
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
23 L
M16



JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.



IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN II.
Operis LIBRUM II. complectens.



SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.



PRÆFATIO.

Postea, quam superiore libro generalem de eloquentia Patrum Tractationem suscepimus, nunc speciatim quoque de ea pronuntiandum est. Et primo quidem de *Latinis* dicemus, non quod eos Græcis præferre sit animus, qui antiquitate, & numero, atque etiam, ut alibi notatum *, eloquentia ipsa sunt multo superiores: verum Latinæ Ecclesiæ hic erat honos habendus, ut cum illa primas obtineat apud Catholicos, Patres quoque ejus præ ceteris, & primo loco in medium procederent. Ordo autem tractationis iste est. Singulæ Dissertationes singulos Patres exhibent, & tribus non amplius capitibus constant. Horum *primum* laudes memorat, cujusque eloquentiæ debitas, atque ab eruditis, & disertis hominibus in eandem congestas. *Secundum* in notam illam inquirit, quæ *χαρακτηρ* Græcis dicitur, nobis autem id significat, quod cuivis est proprium, & quod peculiare quis habet, ut internosci ab aliis scribentibus possit. Stylo enim auctores inter se uti homines vultu differunt. *Tertium* velut digitum in libros eos intendit, qui in laudato Patre potiores sint, plusque ceteris faciant ad eloquentiam sacram comparandam. Et illud quidem quam sit dignum jucundumque auditu, quam multum doctrinæ & eruditionis habeat, nihil attinet dicere. Istuc ingentis

* *Libro I. Dissertat. IV. cap. 2.*

est usus, & iis, quibus per negotia non licet omnia legere, delectu facto, in quolibet genere optima commonstrat, ut minori labore, fructu vix non pari accedant ad legendum. De his vero, quæ secundo loco tractamus, præfari quædam necesse est. Quemadmodum enim profani fecerunt, Græci quidem, cum Isocratis structuram & diligentiam, Lysiæ subtilitatem, Periclis fulmina, Theophrasti suavitatem, Demosthenis vim, Plutarchi judicium, Demetrii Phalerei amœnitatem, Dionis varietatem ubertati conjunctam, Libanii munditias, ac veneres atticas attenderunt studiose: Latini vero, cum copiam Crassi, ornatum Hortensii, lenitatem Cæsaris, majestatem Catonis, Ciceronis omnia notarunt, & æmulati sunt; ita & nos facere oportet ad fructum certiorem, & ut quisque eligere possit, quod sit non modo in rem præsentem, sed ad genium quoque ejus faciat. Qua una re dici vix potest, quam juvetur eloquentiæ studium, & perficiatur *. „Ex „ lectione SS. Patrum, ait Regius **, etiam spiri- „ tum, dicendique modum animadvertet singulo- „ rum, ut imitari possit: in Augustino acumen: „ in Hieronymo copiam sententiarum, & cando- „ rem, vimque sermonis: in Gregorio modestiam „ prudentiamque ad omnes morales actiones: in „ Leone gravitatem, in Chrysostomo fusam & „ aptissimam ad persuadendum eloquentiam: in „ Bernardo dulcedinem. Ex quorum omnium alio-

---

* S. Sidonius Apollinaris *Libro IV. epist.* 3. omnium sive profanorum sive Patrum characteres singulis vocabulis exprimere conatus est, & plerumque haud infeliciter. Ipse Chrysostomus *Libro IV. de Sacerdotio* Isocratis, Demosthenis, Thucydidis, Platonis rationes dicendi diversas annotavit. Vide in eandem rem apud profanos Rhetorica, & Critica Dionysii Halicarnassæi, quæque non uno loco Quintilianus huc in *Institutionibus* habet.

** *Libro III. cap.* XI. *Oratoris christiani.*

„ aliorumque quamvis variis dicendi generibus, „ tanquam vivis coloribus concionem ſuam noſter „ Eccleſiaſtes, ſi ſcite omnia diſpenſet, reddere il- „ luſtrem poterit. „

Fuſe hanc in rem, neque inutiliter Erasmus *Præfat. ad Tom. II. Hieronymi*, ubi principii inſtar illud ſtatuit, num opus aliquod genuinum ſit, nec ne, ex charactere ſcribentis deſumi potiſſimum oportere. Ait autem inter alia: „ Certiſſimus index, & „ vere lydius, ut ajunt, lapis eſt character oratio- „ nis, & habitus. Ut ſua cuique facies, ut ſua „ cuique vox, ut ſuus cuique mos, & genius, ita „ ſuus cuique ſtylus. Nec perinde relucet in ſpe- „ culo corporis imago, quam in oratione mentis „ apparet. Hanc normam ſecutus eſt Varro in pen- „ ſitandis Plauti fabulis, non indices Helii, nec „ Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii, „ hoc eſt librariorum titulos, quemadmodum ait „ Gellius. Hanc ſecutus eſt Ariſtarchus, hanc ipſe „ divus Hieronymus etiam inter diſertos; nam in- „ ter infantem & eloquentem manifeſtius diſcrimen „ eſt, quam inter hominem, & ſimiam, inter ſili- „ cem, & gemmam. „ Quod varia dein cum ex Hieronymo, tum ex aliis exempla petens copioſe proſequitur.

„ Artifex, inquit, de artifice certiſſime pronun- „ tiat, ſculptor ſculptoris, pictor pictoris manum „ protinus agnoſcit, muſices peritus cantionis au- „ ctorem ex harmoniis intelligit. Protogenes Apel- „ lem non ante viſum e linea ducta incunctanter de- „ prehendit, ſed artifex artificem; cum bubulcus „ interim aliquis nec Fulvi, aut Rutubæ manum ab „ Apellis, aut Xeuſidis manu ſit diſcreturus. Quam- „ quam ingenue fateor, accidere poſſe, ut in non- „ nullis tanta ſit diſtinctionis ſimilitudo, ut mode- „ ſtius ſit ambigere, quam pronuntiare. Quam- „ quam cum ſtylum dico, non ſolum ſummam il-

„ lam orationis quasi cutem, aut bracteam intelligo „ verborum, aut figurarum in verbis sitarum, ut „ ubicunque quinque Hieronymiana verba deprehendero, protinus Hieronymum scripsisse confirmem, aut quod subinde clausulam orationis ad „ hunc modum finiat, *esse videatur*, eum statim Ciceronem pronuntiem: apud quem aliquoties reperero, *interim* pro interdum, statim Quintilianum putem: apud quem legero *tanquam* pro velut, aut *insulcire* pro inculcare, mox Senecam „ esse credam. Ubi videro *sane quam*, & *oppido* „ *quam* pro valde positum, extemplo Gellium arbitrer scripsisse: ubi *nupturire*, *verbigerari*, aut „ aliud simile verbum occurrerit, jam Apulejum „ existimem loqui: aut qui ὁμοιοτελεύτοις & ὁμοιοπτώτοις frequentius utatur, hunc continuo credam Augustinum esse: quive crebris periodis in „ longum producat sententiam, hunc illico putem „ esse Gregorium. Plurimas res pariter complectitur styli vocabulum, sermonis habitum, & dictionis quasi filum, figuras, consilium, judicium, „ argumentationis genus, inventionem, tractationem, affectus & ἤθη, quæ Græci vocant, atque „ in singulis horum mille discrimina, nempe non „ pauciora, quam sunt ingeniorum, quorum profecto totidem differentiæ sunt, quot ipsi sunt homines. Alius jucundior est, alius exactior, alius „ simplicior, alius picturatior, alius lenior, alius „ acrior, hic severior est, ille festivior, hic fusior, „ ille densior, hic eruditior, ille sanctior, hic copiosior, ille nervosior: denique ne rem infinitam „ prosequar, totius animi simulacrum semel exhibet oratio. Neque secus, quam in corporum „ propagatione parentum habitus in liberis repræsentatur: ita quoties ingenium exertis viribus gignit aliquid, omnes mentis notas illic licet agnoscere, maxime si quis non imperitus animum ad-

„ ver-

„ verterit. Quamquam in nullis judicium certius, „ quam in his, quos ingenii vis, doctrinæ magnitu- „ do, eloquentia singularis, aliæque dotes eximiæ „ reddunt inimitabiles. „

Atque illa ipsa in re mirari nemo debet, si hoc, & sequenti libro sæpe Erasmi judicium interponimus. Id enim qua de causa faciamus, ingenue nunc profitendum est. Sunt, qui vel nomen hominis execrentur: sunt item, qui in cœlum laudibus ferant. Quos sane utrosque nos minime sequimur. Illud quippe reputamus nobiscum, scriptorem multa in medio relinquere, & ita temperare sibi debere, ne vergat ad extremum aliquod, ac bona & mala ejusdem hominis nullo discrimine habeat. Scio utique, & doleo vehementer, tanti ingenii partus plerosque non tenuibus maculis sordere, atque eo nomine divo Parenti meo Ignatio tam exosum Desiderium fuisse, uti a promiscua ejus lectione suos æque, ac externos vehementer absterreret. Scio eundem Erasmum, ubi minime decebat, morionem agere, & Scurrarum in modum sanctissimis de rebus jocari solitum; quapropter *Luciani* nomen retulit a non paucis *. Scio eum hac ipsa re, tum opinandi, scribendique licentia Luthero viam aperuisse, uti novaret omnia, eosque tumultus cieret, quibus Ecclesia universa misere distracta, atque vastata est. Scio a maximis viris immanium hæresum postulatum, & quod huc maxime spectat, scio ex ipsa styli saliva, quam tantopere jactat, indubitata etiam opera jam Basilio, jam Chrysostomo, jam Augustino abjudicasse, & in vertendo non fraudulenter quidem, sed nec æquali semper diligentia, atque accuratione versatum. Ut autem hæc omnia fateor, sic & illud dari mihi jure æquitatis postulo, non omnia ejus

* 4 abji-

* Propter *Moriam* præcipue, & *Librum colloquiorum* in quibus sane faceto esse licebat, ut Christianum se tamen meminisset.

abjicienda, sed colligenda haud pauca, & in honore adeo habenda esse; maxime in foro hoc nostro, quod Patres attinet, de quibus profecto præ multis aliis præclare est meritus. Sapientissimi, & religiosissimi homines non ejusdem modo ætatis, sed consequentium etiam temporum ita de eo statuerunt, uti optarent, Erasmum præter hoc genus studiorum nullum aliud attigisse. Sed vel sic haud parum, ajunt, juvisse rempublicam literariam, tantum, ut moderatius præstare id potuisset. Ipse adeo Sanctissimus Pontifex Franciscus Salesius *Libro* 1. *Epist.* 31. Erasmum *magnum inter literatos nomen* appellat, & quod majus est, in re ad conciones sacras pertinente non veretur, *Ecclesiasten* illius testem advocare *. Secundo concedi debet, legem, quam tulit hac in parte, etsi ab ipsomet non semper observata sit, bonam nihilominus, atque in hunc diem ab omnibus Criticis receptam esse **. Nempe aliud est principium aliquod verum invenire, aliud constanter omnia eidem accommodare. Itaque cum juxta legem hanc suam pronuntiat, non est illi semper fidendum; quia ipse eodem loco non negat, vel pro ætate, vel pro argumenti natura, vel studio, vel profectu, vel pro animi habitu nonnihil immutari dictionem; aliter encomia scribi, aliter scholia, nonnunquam data opera stylum variare nos, sive quod libet experiri diversa, & nunc hunc, nunc illum studemus exprimere; jam accrescente per assiduam meditationem orationis facultate nonnihil novari oportere: postremo quemadmodum alius est

sermo

* Sed fusius de Erasmo Abbas Marsollier in *Apologia* pro eo edita *Parisiis* 1714. caute tamen admodum, nec sine *Refutatione*, quæ anno proximo ibidem prodiit, legenda. Video etiam in Catalogo Operum Joannis Alberti Fabricii Exercitationem criticam de Religione Erasmi Hamburgi 1717. in 4.

** Tenuerunt eam Eusebius, Hieronymus, Photius &c.

fermo commoti, alius fedati, alius alacris: ita diverfum effe ftylum aliter affecti. Et etfi, ut vult ille, internofci tum adhuc poffint, tamen adeo facile haud poffunt, ut non quam fæpiffime decipiamur. Hoc enim folum, nec plus probant pulcherrima verba, quæ loco citato addit: *Et tamen ea res* (fcilicet ubi aliter affecti fumus) *non obftat, quo minus agnofcas hominis tibi noti faciem. Quem juvenem noveras, fenem agnofcis, cum omnia mutet ætas. Fratrum, aut fororum inter fe fimilitudo non impedit, quo minus Paridem dignofcas ab Hectore, Caffandram a Polixena, atque adeo haud fcio, an unquam inter ullos geminos tam indifcreta fuerit formæ fimilitudo, quin a familiaribus certe quiverint internofci. Quin etiam vehementer attentis ovum ab ovo, ficum a ficu licet difcernere, vel refragantibus proverbiis, tantum abeft, ut ftylus a ftylo difcerni non queat, cum non alia in re major fit varietas: ftylus modo fit ullus, & accedat artifex, qui pronuntiet.* Tertio, cum vero eloquentiam fcriptoris alicujus ferio defcribit, vel laudat Erasmus, maximi faciendum ejus judicium affirmo, tum quod eos legerat, & ingenio, ftyloque, quantum pauci, valebat; ad eam ipfam rem quam facillime explicandam: tum quod & virtutes dicendi in quolibet ita extollit, ut vitia tamen, fi quæ funt, minime diffimulet. Quod fi non eodem loco id facit, nec laudes femper vituperio jungit, alibi tamen præbita occafione id præftat; maxime cum non fimpliciter, & præcife loquitur, fed comparationes inter fe quorumdam inftituit. In quo ipfo hominis vafrities, & rhetoricum ingenium fubin deprehenditur, ea, quæ caufæ nunc faverent, affumentis, cetera tegentis, aut certe relinquentis. Sunt autem defcriptiones ejus tam diffufæ, tam eloquentes, tam ad vivum expreffæ, ut vel incuriofi harum rerum iis pafcantur, tantum abeft, ut audire ceteri recufent. Igitur hic locum habent, quæ Hieronymus

Epist. 62. *alias* 76. *ad Tranquillinum*, & Cassiodorus *Libr. Instit. div. lect. cap.* 1. de sententia, & auctoritate Origenis recte, ac eleganter admonuerunt: Vel ut propiore exemplo utar, quemadmodum Photii hac ipsa in re sententiam catholici quoque passim amplectuntur, ita & nobis Erasmum licet audire, minus utique improbum, sed multo doctiorem.

Cum autem descriptiones has adducimus, liberum nihilominus cuique judicium est. Absit enim ut obtrudamus aliena, qui nostra timide, & dubitanter communicare solemus. Ipse adeo Erasmus *Loc. eod.* ita de se pronuntiavit. *Jam quantum meo judicio tribuendum sit, aliorum facio judicium. Nec enim agnosco laudem, quam mihi tribuunt hac in re quidam, eruditissimi illi, sed amici. Ceterum in censendo dictionis genere, quandoquidem in ea palestra tot jam annos sum exercitatus, si quid mihi sumo, videor id non omnino arroganter facere, præsertim ad utrumque paratus, ut vel mutem sententiam, si quis adducat compertiora, vel concedam, si quis digladiari malit, quam discere.*

Parebimus, quando ipse sic cupit, & quoties longius ab aliis abit, monebimus diligenter, ut abstrahatur lector a sententia ejus, atque in orbitam reducatur.

Quod si ne sic quidem placare quosdam possumus, & nolunt illi vel hac in re Erasmum audire, illis sane per me licet morosos esse. Minime refragabor: imo ut gratiam ab iis ineam, alium illius loco testem adduco, minime suspectum illum, atque in Patribus quam maxime versatum, Sixtum Senensem, qui ea omnia & ipse admonet disertis verbis, quæcunque supra ex Erasmo recitavi. „ Omnium, inquit *ad calcem Libr.* 4. *Bibl. Sanct.* „ omnium fortasse evidentior, ac certior conjectu- „ ra est styli diversitas, quæ veluti lydius lapis „ fal-

„ falsas inscriptiones a veris discernit. Nam etsi „ cuivis impostori facile sit auctorum patriam, genus, temporaque mentiri, ac dogmata sequi: nihil tamen difficilius est, quam alterius imitari stylum. Stylum autem appello non illam exteriorem sermonis superficiem, sed orationis characterem, dictionis contextum, texturæ continuitatem, elocutionis formam, figuras loquendi, dispositionis artificium, tractationis methodum, & cetera, quæ cuique diserto auctori propria sunt. Sicut enim suus cuique homini corporis habitus est, suus cuique vultus, suus cuique nativus color, sua cuique vox, aliæque singulares notæ, quibus a ceteris hominibus distinguatur: ita singulis Ecclesiæ Scriptoribus peculiares quædam proprietates insunt, quæ aut nunquam aut raro alteri conveniant, veluti sunt plausibilis Antiochi pompa, Basilii accurata dictionis diligentia, sublimis Gregorii Theologi cothurnus, Chrysostomi sponte fluens atticismus, purissima Cypriani facilitas, gallica Hilarii grandiloquentia, gravis & arguta brevium sententiarum in Ambrosio copia, in Hieronymo picturata rerum, verborumque varietas, in Augustino cola similiter finientia, & commata similiter cadentia, in Gregorio numerosus periodorum alternatim respondentium incessus, & alia his similia, quæ quantumlibet quis affectet, minime tamen assequi possit. Nec sum nescius, esse, qui diversum sentiant, asserentes in deprehendendis titulorum imposturis nullum esse indicium stylo fallacius; quoniam non idem semper sit eidem dicendi modus, sed pro argumenti ratione vel ætatis mutatione vel studii profectu vel affectuum diversitate, & sæpe duorum auctorum character sit omnino persimilis. Quod nec ipse prorsus inficior. Aliter enim in epistolis scribit Hieronymus, aliter in decertatio-

„ nibus

„ nibus adversus Ruffinum, & Vigilantium loqui-
„ tur, & aliter in Commentariis Prophetarum.
„ Alio modo dicebat, cum esset admodum juvenis,
„ & adhuc Rhetorum exercitatione calens; atque
„ alio modo senex, cum graviora, ac solidiora se-
„ ctaretur: Sed ita tamen semper scribit, ac loqui-
„ tur, ut ubique eum agnoscas esse Hieronymum.
„ Quemadmodum & familiaris tibi amici faciem
„ nunc iratam, nunc mitem, nunc tristem, nunc
„ alacrem, ejusdemque semper esse hominis cogno-
„ scis. Fateor etiam inter aliquos (etsi id rarissi-
„ mum sit) tantam contingere posse styli similitu-
„ dinem, ut eos non facile sit discernere. Tamen
„ industrius styli artifex similitudinem a similitudi-
„ ne distinguet non aliter, quam adamantes ma-
„ gnitudine pares, & splendore non dissimiles in-
„ ternoscunt gemmarii sagaces &c. „

Viden quomodo cum Erasmo Sixtus conspiret! Sed & in ceteris, quæ infra daturi sumus, planum fiet, quod summis viris viam ipse aperuit in hoc genere literarum. Acquiescis jam, & ira deferbuit? nullus dubito, sin minus, expende omnia ejus, & adhibitis aliorum judiciis ad rationis, & pietatis leges revoca, ipsas adeo laudes, quas Patribus tribuit, *velut ab hoste profectas* mea maxima pace accipe. Sic enim fiet, ut tibi decedat nihil, rei vero ipsi quam plurimum accedat.

Est vero præter commoda multa in Patrum charactere inquirendo genus voluptatis haud vulgare, quod ex eo absque labore, absque sumptu, & molestis itineribus quemvis eorum velut de facie nosse licet. Non est autem dubium, homini erudito magnam inde offerri rationem recreandi sui; acceditque ad cumulum delectationis, quod si unius lectione satiatur animus, ad alium transire, & si quod obrepsit tædium, illa styli varietate levare protinus possit. Unde Hieronymus Platus de oblectatione loquens


loquens, quam Religiosi ex studiis literarum, nominatim ex Sanctorum Patrum lectione copiosam haurirent, ita scribit *. *Restat tertius horum studiorum fructus ex accurata Sanctorum Patrum lectione, qui doctrina, sanctitate, eloquentia etiam excellentes tam multa nobis monumenta reliquere, ut iis versandis vix hominis vita sufficiat, non modo ei desit, in quo tempus jucunde consumat. In quo ipso quasi ad levandam satietatem hoc etiam egisse Deus videtur, ut quemadmodum in magno convivio alium aliæ dapes saporem habent: ita illis, quos dixi, tantis auctoribus suum cuique inesset suavitatis genus.*

Atque hæc de Instituto secundi, & tertii Libri præmittenda fuerunt, non solum ut appareret, quem in finem tantum laboris susceptum sit, sed ut contentiones quoque summoverentur, a quibus alienissimi sumus. Sunt quidam sane indoctiores, quam ut his de rebus judicare possint: quia vero præjudicatas habent opiniones, nulli etiam doctorum judicant præfractius. Nolunt enim aliorum audire sententiam, quam quorum auctoritati a teneris assueverunt. Quod si nos, qui nihil sumus, audire renuerint, non stomachabimur quidem; quia talium desperata correctio est: sed contenti erimus, quod nec præcipiti consilio, nec arroganter ad hanc causam accesserimus. Magnis enim ducibus, quales hic sequimur, difficile est multum a proposito aberrare.

Sed neque, quod sequitur, prætereundum. Erunt, nil dubito, qui crises Dominici Bonhoursii hoc in Libro requirant. Et certe *Ingeniosis Patrum*

* *Libr. III. De bono status religiosi c.* 11. ubi etiam singulorum characteres brevissime expressit. Videatur etiam Cardinalis Augustinus Valerius *de Rhetoric. Eccl. Libr. III. cap.* 42. & Laurentius a Villavincentio *Libr. IV. de Rat. Stud. Theol. cap.* 14.

*trum * cogitationibus* ea ſubin interſerit, quæ quam maxime huc facerent. Tamen imperare mihi nequaquam potui, ut vel verbulum inde delibarem. Hac ipſa enim de cauſa, quod plurimum illi defero, nihil exopto magis, quam uti opuſculum illud aliquando latine redditum, editumque apud nos lectores mei per ſe ipſi totum evolvant. Verum quid Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. nuſquam allego? Ut nihil dicam, quod moleſtiæ plurimum habet identidem ex gallicis latina facere, neque etiam decet, uti eadem apud nos ubique recurrant: pervulgati illi ſunt, proſtantque omnibus: denique ex aliis, quos adducimus, haurire ipſimet ſua omnia debuerunt. Idem eſt de Henrico Bœclero **, Tobia Magiro, Adriano Bailleto, Thoma Popeblount, Beniamino Hederich, Petro Baelio, Joanne Clerico, & ſimilibus.



ELEN-

* Latinorum ſcilicet; de Græcis enim nihil habet.
** Non ſolum in *Libr. de Scriptor. Græc, & Latin.* ſed & in *Bibliographia critica.*

Elenchus Voluminis II.

Liber II.

De Eloquentia Patrum latinorum.

Disser-



DE ELO-



DE ELOQUENTIA PATRUM
LIBER II.

Patrum *Latinorum* Eloquentiam singulatim exponit, atque considerat.



DISSERTATIO I.
De Eloquentia TERTULLIANI.

CAPUT I.
Quanta ea fuerit, & quibus laudibus a disertis hominibus cumulata?

Vix est alius antiquorum, qui tot encomia ab omni genere doctorum, & disertorum hominum referret, quot Tertullianus retulit Et certe nescias, utrum acriori ingenio, an ampliori eruditione, an demum potentiori facundia esset.

S. CYPRIANUS summus orator, tanti eum fecit, ut magistrum appellaret, & nec unum diem absque ejus lectione elabi sibi pateretur.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS *in chronico ad annum* 210. omnium Ecclesiarum sermone celebrari Tertullianum ait. Neque hoc contentus *Libr.* 2. *Histor. c.* 2.

virum legum Romanarum peritissimum, & inter latinos Scriptores celeberrimum vocat.

S. HIERONYMUS, cujus in dijudicandis Scriptoribus tam sanum, tamque incorruptum judicium est, *Epist.* 125. *nunc* 36. *ad Damasum* Tertullianum *eloquentissimum virum* dicit. *Epistola vero* 128. *nunc* 64. *ad Fabiolam* nullam sustinet inter suum, & Tertulliani calamum institui comparationem. *Quæso*, inquit, *ne meam stillam illius flumini comparetis; non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.* Idem *Præfat. in epistolam ad Ephesios* aliis quoque summis Scriptoribus præponere eum videtur. Et *Epist.* 84. *nunc* 70. *ad Magnum: Quid Tertulliano eruditius*, exclamat, *quid acutius?*

S. AUGUSTINUS *Libro de bono viduit. cap.* 5. vocat *disertissimum*, & *Libro de Hæresib. ad Quodvultdeum, versus finem, ejus legi opuscula multa* affirmat, *eloquentissime scripta.*

Auctor ANONYMUS, qui contra Prædestinatianos paulo post obitum Augustini scripsit, ita de Tertulliano habet: *Opuscula eloquentissima, & ferventia in defensione edidit veritatis.* Idem *ibid.* de catholicis ejus lucubrationibus testatur, quod *omnia bene, & prime, & incomparabiliter scripserit.*

NICEPHORUS *Libro IV. cap.* 34 *eloquentia admodum pollentem, acrem, & valde ingeniosum* vocat.

Sed nemo copiosius, elegantius nemo Tertullianum laudavit, atque a VINCENTIO LIRINENSI est factum. Ita autem *Commonitorii I. cap.* 24. loquitur: *Sicut ille* (Origenem significat) *apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile Princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis, atque humanis rebus exercitatius? nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero*

nonne

nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut sibi nihil pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? &c.

ExRecentioribus ANGELUS POLITIANUS *Miscellaneorum centur. I. cap.* 56. *Quid porro*, exclamat, *Septimio Florenti Tertulliano respondebimus, christianorum omnium, quorum quidem latine opera extent, ut antiquissimo, sic ausim dicere, in omni pene literatura diligentissimo?*

BEATUS RHENANUS, qui primus Tertulliano situm, & squallorem detergere cœpit *in Epist. ad Episcopum Olomucens.* de præstantissimis, atque vetustissimis quarumcunque divinarum Literarum enarratoribus loquens: *In quo genere*, inquit, *primum occupat locum Tertullianus, omnium disciplinarum exacte peritus, & in arcanis literis nulli secundus. Philosophiam calluit egregie, disputandi rationem summe tenuit, in Rhetoricis exercitatissimus, in omni antiquitatis, & gentilium literarum cognitione consummatissimus.*

DESIDERIUS ERASMUS Roterodamus *Præfat. ad opera S. Cypriani, Inter permultos, quos olim Africa ediderit, eloquentia, doctrinaque celebres* in primis Tertullianum ponit. Idem in *Psalm.* 38. *ad Vers.* Dixi, custodiam vias meas, *Virum* vocat *omnium disciplinarum genere perpolitum.*

JOSEPHUS SCALIGER *in Primis Scaligerianis pag.* 96. *Tertullianus*, inquit, *semper in manibus habendus, accurateque legendus est, tum propter linguæ Romanæ* (eo ævo) *proprietatem, tum propter disciplinarum, ac literarum omnium cognitionem. Fuit enim doctor omniscius, & argutus, qui illotis manibus tractandus non est, nec obiter legendus; ubique enim remoratur lectorem. Tertullianus certe excellentissimus auctor est in omnibus.*

SIXTUS SENENSIS *in Bibl. Sanct. Virum profecto acris, ac vehementis ingenii* appellat, *humanis non minus, quam divinis disciplinis imbutum, suorumque*

temporum Rhetorem præstantissimum, & publicum ejus artis in urbe Carthaginiensi præceptorem.

CARDINALIS BARONIUS *ad annum* 197 magnifice Tertulliani eloquentiam extollit. Libros enim illius *præstantissimi ingenii monumenta* vocat. Jam ait, illum *omnes scientias calluisse, Latinorumque ejus temporis disertissimum ab omnibus prædicari:* jam affirmat, *tam insignem, atque adeo excellentem christianæ Theologiæ scientiam consecutum, ut adversus omnes Hæreticos, & Judæos, & Gentiles tam disertos, tam copiosos, omnique argumentorum genere refertos, e divinæ Scripturæ thesauro depromptos tractatus ederet, quos christiana pietas hactenus admirari non cesset.*

TARQUINIUS GALLUTIUS Orat. 5. *Neminem quidem ex Latinis* (sequiorum temporum) *habeo Tertulliano parem.*

NICOLAUS RIGALTIUS *in Judicio de Tertulliano, & ejus Scriptis: Inter Scriptores Latinos principem locum Tertulliano deberi, veterum elogia super eo præclara consentiunt. Neque est facile Græcorum aliquem proferre, qui religionis christianæ cultum tantopere, tantoque studio posteritati sanxerit, ut jam hinc nobis illud semel statuendum sese offerat, in armariis priscæ christianorum literaturæ scripta non reperiri alia, quæ secundum Evangelia, & Apostolos ab viris antiquæ pietatis amantibus majore cum fructu, ac voluptate legantur.* Et infra *ibid.* addit, Tertullianum *suapte nobilitate clarum eruditionis, facundiæ, pietatis splendore proprio fulgentem caliginis offusæ tenebras dispulisse.* Id est, etsi ex æqualibus ejus nemo, ex propius remotis pauci * mentionem ejus fecerint, iique velut damnatæ memoriæ hominis, nihilominus celebritatem ex scriptis summam adeptum.

LUDO-

* Rigaltius cum solos Eusebium, Hieronymum, & Augustinum Tertulliani meminisse ait, errore non minimo Lactantium, Prædestinatum, Vincentium Lirinensem omittit.

LUDOVICUS THOMASSINUS *de veter. & nov. Eccleſ. Diſcipl. Parte II. Libr.* 3. *c.* 83. Tertullianum primo loco inter veteres Presbyteros ponit, quorum *tot literarum monumenta ſuperſint, ex quibus & eruditionis ubertas, & eloquentiæ vis ea emineat, quæ non poſſit non admirationi eſſe.*

CLAUDIUS FLEURY *Hiſtor. Eccleſiaſt. Libr. IV. c.* 47. *Ea tempeſtate*, ait, *apud Carthaginenſes Quintus Septimius Florens Tertullianus, hoc ultimo nomine notiſſimus, doctrinæ, & facundiæ laude florebat. Natus erat Carthagine, patre copiarum proconſularium centurione. Omnibus ſcientiis operam dedit cum plauſu, omnesque coævos latinæ eloquentiæ fama ſuperavit.*

JOANNES SIANDA *in Lexico Polemico* Tertullianum ait *omnium ſcientiarum evaſiſſe peritiſſimum, & inter Latinos diſertiſſimum.*

Infinitus forem, ſi omnes adjungere vellem viri laudatores. Nam & Criticorum, & Editorum, & Hiſtoricorum plerique ex profeſſo, & fuſe de eo commemorant.

Laus altera Tertullianicæ facundiæ illa etiam, quod præſtantiſſimi ex doctoribus noſtris ſatis non habuerunt eam verbis celebraſſe, ſed profecerunt adeo quam plurimum ex ſcriptis ejus; Tertulliani argumenta adhibuerunt paſſim & diduxerunt, emphaſim, & converſiones figurarum imitati ſunt, nec raro phraſes, & ſententias ipſas tranſcripſerunt. Norunt quod dico, quicunque in *Minutio Felice*, *Cypriano*, *Arnobio*, *Lactantio*, *Paciano*, *Hieronymo* non ſunt omnino peregrini. Accedit, quod primus chriſtianorum ſcripſit Tertullianus; neque enim ante ipſum alius, teſte Hieronymo *, niſi Victor Pontifex, & Apollonius Senator brevi libello oſtenderunt viam, & facem prætulere. Scripſit autem difficillimo tempore, cum maxime inſultarent Ethnici, in-

* In *Catalogo.*

ſcitiam objicerent, & non ferro tantum & igne, ſed ſtylo etiam chriſtianos oppugnarent. Rurſum Tertullianus inſignem apparatum, omniſque generis ſuppellectilem ad ſcribendum attulit. Rhetoricam docuiſſe, ait ex Trithemio Sixtus; ſed non memini id apud veterem aliquem reperire me, bene autem iſtuc, quod ethnicus etiamnum cauſas in judicio egerit Carthagini. Erat autem lectionis infinitæ, & tanta eruditione, qua nemo poſtea, ne illis quidem demptis, qui diſciplinarum omnium cognitionem ſibi pararunt. Ad hæc multitudo Librorum ejus tanta fuit, ut nihil relinqueret intactum. Nam & Philoſophos, & Gentiles, & Judæos, & Hæreticos adortus eſt, moralia vero omnis generis attigit, recteque Trithemius: *Scripſit pene infinita opuſcula.*

Sed & illud eſt argumentum non vulgare interioris eloquentiæ ejus, quod non ſolum præter omnem morem græce eſt redditus ætate ſua, verum, quod nec alius habetur ſive ſacrorum ſive profanorum, cujus ſcripta in hunc diem tot notis, ſcholiis, obſervationibus, & commentationibus ab omni gente, & genere hominum illuſtrarentur. Edidit illum primo, & ſubin- explicavit *Beatus Rhenanus* Seleſtadienſis, dein *Renatus Laurentius de la Barre* notis, ac emendationibus haud pœnitendis, poſt *Ludovicus La Cerda*, qui in Rhetoricæ ſtudiis incanuerat, ingentibus voluminibus eundem eſt interpretatus. Sed & *Jacobus Pamelius* vir doctiſſimus, ac *Nicolaus Rigaltius* in editione ejus & emendatione deſudarunt. *Latinus* item *Latinius Viterbienſis*, ac *Joannes Harriſius Anglus* quam plurima in eo vel reſtituerunt, vel ex conjecturis aliter legenda oſtenderunt. *Joannes a Wouwer* emendationes epidicticas ad opera Tertulliani vulgavit, & *Paganinus Gaudentius* difficiliores illius locos peculiari libro expedivit. Taceo *Alciatum*, *Zephyrum*, *Scaligerum*, *Pancirolum*, *Heraldum*, *Cujacium*, *Gelenium*, *Vertra-*

tranium, *Crinitum*, *Turnebum*, *Quintinum Heduum*, *Hotomannum*, *Marcilium*, *Mercerium*, & *Mercerum* (qui diversi sunt) *Gagnæum*, *Junium*, *Gothofredum*, *Richerium*, *Scioppium*, *Albaspinæum*, *Gretserum*, *Petavium*, *Salmasium*, *Priorium*, *Le Nourryum*, *Lupum*, *Havercampium*, qui in ejusdem viri locos, aut libros commentati sunt.

Hi, inquam, omnes, aliique nondum mihi cogniti, ingens profecto monumentum sunt suadæ, & efficaciæ, quæ in libris celeberrimi hujus oratoris reperitur. Equidem non dissimulo, obscuritatis causa a plerisque factum, uti explicandum sibi putarent: sed quid, amabo, tot eruditi, atque diserti homines immanem eum laborem consciviſſent sibi in auctore difficillimo explanando, nisi obscuritate insuper habita summas in illo eloquentiæ opes, atque omnigenam ubertatem latere intellexiſſent?

Haud absimili de causa, ut ego existimo, Georgius Ambianensis Capucinus *Tertullianum redivivum*, Theodorus Petrejus Carthusianus *Confessionem Tertullianicam*, Carolus Moreau Eremita Augustinianus *Omniloquium Tertulliani*, Michael Vivien Franciscanus Recollectus *Tertullianum prædicantem* ediderunt. Certe cum fontes ad dicendum amplissimos aperiant, & uberrimam pro moralibus æque, ac dogmaticis materiam ministrent, ostendere quam maxime nostris præconibus possunt, quantum in uno Tertulliano subsidii haberent, quantusque in Libris ejus omnibus ecclesiasticæ facundiæ apparatus esset

His Tertulliani Laudibus addo, quod P. Bretoneau *in Elogio P. Bourdaloüe* refert, oratoribus sacris minime prætereundum. Ait enim, principem hunc concionatorem, uti ex sacris scriptoribus Isaiam maxime, & Paulum volvere consuesset, ita ex Patribus ante alios Tertullianum, Chrysostomum, & Augustinum adamasse; quod scilicet oratio illorum

grandior ipsi esse, nervorumque & virium habere plus ceteris omnibus videretur.

Ista etsi non sunt valde multa, sufficere tamen possunt, ut generatim saltem noscatur Tertullianus, dignaque ejus imago animo informetur. Illud Bacherii comittere non possum ut prætercam, qui collatione inter Tullium, & Tertullianum instituta sic denique non sine lepore quodam concludit:

Tullius ille siet Romanis: dummodo nobis legatur hic Tertullius.

Itaque caput hoc concludimus, quin plura addamus. Ut enim clarissimus vir Nicolaus le Nourry in *Apparatu Dissert. V. c.* 1. *a.* 5. ait. *Operæ prorsus nullius foret hoc, sicut facile est, illustrium cujuslibet ætatis scriptorum testimoniis comprobari, quod a nemine ignoratur, & ipsamet auctoris scripta manifestissimum omnibus faciunt.*

CAPUT II.

Quis ejus eloquentiæ character?

Et nos paulo ante significavimus, & jam tot abhinc sæculis Lactantius, atque Hieronymus admonuerunt, tam præcellentem Tertulliani facundiam vitio tamen, & maculis quibusdam minime carere. Prior enim *Libr. V. Divinar. Instit. cap.* 1. ad finem ita ait: *Septimius Tertullianus fuit omni genere literarum præditus, sed in eloquendo parum facilis, minus comptus, & multum obscurus fuit.* Alter vero *Epist.* 13. *nunc* 58. quæ est ad Paulinum, *Tertullianus*, inquit, *creber est in sententiis, sed difficilis in eloquendo.*

Hos passim velut agmine facto recentiores quoque scriptores sequuntur. Nam & Rhenanus, affectati styli duritiem queritur, & alii alias in causas culpam eam refundunt. Rigaltius id potius tribuit dialecto africanæ; quare & indicem appofuit glossarum styli africani. Et profecto extra dubium est, afri-

Africanos difficilius multo, atque implexius ceteris Romana lingua usos: neque difficile mihi accidat id ex pluribus, si non universis, ejus gentis scriptoribus demonstrare. Mihi vero, quod Tertullianus stylo scriberet nimium scabro, & singularis adeo esset in delectu & dispositione vocum, de industria quoque factum videtur. Recte enim dixit Bonaventura Argonensis *: *Tertullianus stylum assumit Rhetorum antiquorum, quibus solenne erat inauditis sententiis uti, vocabulisque phaleratis, quo argumenta proposita magis augerent, atque amplificarent.* Idem dudum ante Adrianus Turnebus *Libr. VII. Adversarior. c.* 20. animadvertit, his verbis: *Septimius Florens erat ille quidem omni liberali eruditione imbutus, verum de industria orationem asperat, & horridum quiddam affectat, & consectatur. Perinde quasi parum virilem eam eloquentiam putaret, quæ concinnior esset, ac elegantior.*

Verum optime ille fecerit, qui id Tertulliani ingenio potissimum tribuat. Severissimo enim & vita, & morum genere sequebatur innatos illos impetus acerrimæ simul, & acutissimæ mentis. Qualis enim vir, talis oratio ejus. Recte Joannes de Bussieres *in Floscul. Historiar. p.* 2. Tertullianus, inquit, *animo, ingenio, styloque afer, & igneus.* Non ergo sibi, nec linguæ suæ temperat in dicendo, maxime quando concitatur animus ejus, & proprium velut campum nanciscitur. Istuc ex ipsomet Tertulliano *Libr. de Pallio ad finem* clarissime patet. Cum enim præmisisset se adigere cauterem, immergere scalpellum, præcisurum gulam, daturum catharticum, addit sine fuco: *Has purulentias civitatis quis eliciet, & exvaporabit ni sermo palliatus?*

* *De optima methodo legendi Ecclesiæ Patres, Parte I. cap.* 9.

Iterum alii obſcuritatis cauſam in eruditionem quoque viri conjiciunt. Et certe ſingularis ea, & vaſtiſſima fuerit neceſſe eſt, qua parem ex antiquioribus nullum habuit. Clariſſimus vir Caſpar Barthius *Adverſar. Libr. XIII. c.* 16. *Patrem eruditionis* appellat. *Libr.* vero 19. *c.* 1. *Scriptorum*, ait, *quantum ad nos venit, eruditior nemo eſt, & ex quo plura condiſcere poſſis, quam Tertullianus. Nullus in eo apex eſt, non cum cura poſitus, ut quo pacto alii inopia, hic abundantia literarum peccare nonnunquam videatur.* Unde Rigaltius eos, qui eruditione carent, penitus arcet ab ejus lectione. *Afer iſte*, ait *loco dato*, *lectorem non admittit, niſi jam eruditum.*

Sed neque illud negare volumus, græcæ linguæ ſtudium plurimum ad obſcuritatem eam, & novitatem dicendi contuliſſe. Atque in hoc oſtendendo longus eſt Renatus Laurentius de la Barre *: „ Deprehendimus etiam, inquit, ſæpe græciſſare, figurisque, & conſtructionibus Græcorum delectari, ut pene de eo verum ſit, quod aliqui de Irenæo recentiores ** dixerunt, & ante divus Hieronymus de Victorino, græce melius, quam latine ſciviſſe. Apparet ſane, noſtrum auctorem in lectione Græcorum veterum, qui plurimi id temporis erant, ſolique inter ſacros interpretes habebantur, abunde verſatum: ut puta in ſcriptis Ignatii, Polycarpi, Papiæ, Quadrati, Ariſtidis, Agrippæ, Egeſippi, Juſtini, Melitonis, Theophili Antiocheni, Appollinaris, Dionyſii Corinthii, Tatiani, Pynti, & Philippi Cretenſium, Muſani, Modeſti, Bardeſanis, Irenæi, Pantæni, Clementis Alexandrini, Miltiadis, Appollonii Martyris, Serapionis, Theophili Cæſarienſis, Bachili, Polycratis, Heracliti, Maximi, Candi- „ di,

* In vita Editioni ſuæ præfixa.

** Nunc nemo fere in ea opinione eſt, Irenæum Latine ſcripſiſſe.

„ di, Appionis, Sexti, Brabiani, & similium,
„ quorum ex assidua lectione adeo græcas loquen-
„ di formulas imbiberat, ut etiam latine scribens il-
„ larum interoblivisci nequiret: non quod negem
„ auctorum, quos recensui, monumenta latine
„ fuisse versa; sed fortassis non omnia. Imo maluit
„ græce doctus ab auctoribus ipsis majori fide mu-
„ tuari, quam fidem sequi interpretis. Maluit, in-
„ quam, ex fontibus bibere, quam ex lacunis, &
„ relinquere, quæ translata erant, nimia religione,
„ & fortassis cum imminutione auctoris.

Denique ne quid omittamus, quod Tertulliano objici possit, illud quoque fatemur, etsi pondus, & acrimonia sententiarum utramque paginam impleant in ejusdem operibus, videri tamen eandem hanc dotem magna ex parte ab ipsa duritie verborum, insolentia dictionis, & ferrato stylo repeti subinde oportere.

Verum & ipsa argumenta majorem subinde, quam pro reipsa speciem gerunt. Quod ex recentioribus Criticis plures adverterunt haud semel. Nobis sufficit Nicolaus le Nourry, qui *Tom. II. Dissertat.* 4. *c.* 1. *a.* 5. ita loquitur: *Alii vero reprehendunt inæquabilem eorum, quibus ille utitur, argumentorum varietatem. Gravissimis siquidem, & invictissimis, inquiunt, argumentationibus plures alias rapidioris ingenii acumine excogitatas quandoque intermiscet, quæ levissimi, aut nullius plane sunt momenti* *. Quid vero de naso, & scurrilitate, quam in eo passim Erasmus deprehendit? Mira enimvero accusatio ab eo homine! Tantopere ergo scurras persecutus Erasmus est, ut vel inter Ecclesiæ doctores deprehendere aliquem posse putaret, qui sibi omnino dissimilis non esset? Verum apage istuc. Tertulliani sales au-
steri-

* Erasmus *Tom. V. in Psalm.* 2. ad scripturarum quoque applicationem præposteram hoc extendit.

steritatem hominis temperant, non tollunt. Atque utinam nasum non magis Erasmus corrugasset, quam afer hic fecit, sic enim nunquam erat futurum, ut *novi Luciani* nomen inde referret.

Non ergo quidquam dissimulamus eorum, quæ in eloquentiam Tertullianus peccavit: sed nec valde excusamus, eadem usi libertate, quam Theologi in dijudicanda doctrina ejus adhibere solent. Quemadmodum autem sincere agentibus nobis prætereunda illa non erant, ita neque hoc tacendum, vitia hæc a summis viri virtutibus non tegi solum, sed plane sepeliri. Tantus est in ceteris, tamque excellens, eos lacertos habet, iis viribus exultat, ut non dico superari, sed nec exæquari quidem ab alio quocunque possit. Nourryus paulo ante laudatus ibidem addit: *At plerique omnes fatentur, illud sive dicendi sive argumentandi genus, sicubi occurrat, micanti prorsus sententiarum gravitate, summaque aliorum argumentorum vi, ac pondere, quasi mira quadam compensatione leniri, & resarciri* &c. Maxime vero eminet Tertullianus perspicacia, vehementia, sale, densitate item, & copia tam sententiarum, quam argumentorum, uti scilicet *viri eruditi, & ardentis*, quem Hieronymus vocat *, ingenium ipsum, & natura ferebat. A Joanne Laurentio Mosheim laudatissimo oratore *Disquisit. Chronologico-Critica de vera ætate Apologetici* vocatur *ingeniosissimus Patrum Tertullianus.* Alexander vero Natalis *Sæculo II. c.* 4. *a.* 8. *Stylus ejus*, ait. *grandis est, generosus, sententiosus.* Erasmus *Libr. XVII. Epist.* 22. *ad Nicolaum Busciducensem: Habet ille quidem suum quoddam orationis genus, quod haud scio, an eo sæculo plausibile fuerit apud Afros, tametsi nobis subdurum videtur. Id quod non dissimulavit noster Hieronymus, qui tribuit illi densitatem in sententiis, sed adjungit difficultatem in eloquen-*

* *Epist.* 65. *num.* 84. *ad Pammachium.*

quendo. Ceterum quis non admiretur pectus illud semper ardens, tam exactam scripturarum cognitionem, tamque promptam memoriam, idque priscis illis temporibus, cum nulla adhuc esset solennis Theologiæ professio, nullæ scholæ, nullæ diatribæ, nulli fere sacrorum Voluminum interpretes. Hæc cum contemplor, mi Nicolae, dispudet me nostrorum temporum! Iterum *Tom. V. in Psalm.* 2. Tertullianus ei dicitur *sacrarum scripturarum sine controversia peritissimus.*

Quid Tertulliani porro vim, ac lacertos commemorem? verba sunt Danielis Heinsii *Orat. III.* Nullus est omnium antiquorum, qui christianos undique appetitos tam valide scriptorum velut aggeribus quibusdam & invictis propugnaculis contra hostium incursus communiret. Terrori enim erat homo ad pugnam semper comparatus, qui quodvis argumentum *buccis sonantibus inflabat*, ut Augustinus loquitur *. Sane invictum athletam Ecclesia habuit, & fortissimum propugnatorem veritatis, qui nisi extitisset, haud scio, an aliquis ceterorum subtilissimas hæreticorum fraudes tam facile detecturus erat, & tam feliciter profligaturus. Ipse enim, ut erat homo omnium literarum, & ad id, quodcunque primo arripuisset, acerrime incumbebat, non solum Physicam, Ethicam, Metaphysicam, Historiam, Jurisprudentiam, sed Rhetoricam quoque militarem illam, ac ferream exprompsit, ut vinceret ubique Christi causa, atque inter ipsas oppressiones triumpharet. Sed hæc non meis, non alterius cujusquam, verum Vincentii Lirinensis calamo reddenda sunt. *Jam porro*, inquit, *orationis suæ laudes quis exequi valeat, quæ tanta, nescio qua, rationum densitate ** conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat. Cujus quot verba, tot sen-*

* *Libro de bono Viduit. c.* 4.

** Alii legunt *necessitate.*

fententiæ funt, quot fenfus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Appelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoftici, ceterique, quorum ille blasphemias multis, ac magnis voluminum fuorum molibus velut quibusdam fulminibus evertit.

Cum vero Moralia Tertullianus attigit, plane effigiavit genium fuum aufterum illum, qui nihil gratiæ, nihil confuetudini, nihil infirmitati daret. Itaque & ftylus eft atrox, ac ferreus, qui frangere omnia, & perrumpere velle videri poffit. Emicat animus ille cenforius, liber, imperterritus, atque in perverforum reprehenfionem ita incumbens, ut impetum ferre non poffint, & nec effugio quidem locum inveniant. Eft nempe in eo ardor quidam infitus, nec imitabilis, acor ftyli a natura profluens: unde denfitas fenfuum, unde fublimiffimæ cogitationes paucorum verborum ambitu inclufæ, unde vis in difputando infracta, quæ in omnem partem premit, urget, & ftringit *, quemcunque fit nactus adverfarium. Neque tamen putes, nullas in auftero homine phaleras, nulla Rhetorum lenocinia reperiri. Eft, ubi temperat rigori illi fuo, & ludit, & renidet toto vultu. Id cum alii complues, tum Nicolaus Cauffinus ** eleganter obfervavit. „ Perge, inquit, ad fæculum tertium, in cujus ftat limi„ ne, quem merito latinorum fcriptorum (de „ chriftianis loquor) Antefignanum dixeris, Tertul„ lianus. Qui vir, & quantus! Non fpecto levicu„ los orationis flofculos, quos ipfe aut non habuit, „ aut contempfit: fed miror in eo torrentis inge„ nii vim quamdam redundantem, & pondus acer„ rimæ

* Anonymus quidam *apud Pamelium in vita*, eloquentiam maxime Auctori invidiam conflaffe dicit apud Clerum Romanum, id quod facile captu eft attendenti hunc characterem, ubi in reprehenfiones effundebatur.

** *Libr. XV. ante medium.*

„ rimæ mentis, quam majoris eloquentiæ ſedem „ poſſis appellare. Quamquam ſi quando ab he„ roica illa ingenii auſteritate ſtylum frangit in Rhe„ torum delicias, non eſt inconcinnus &c. „ Brevius *Guil. Cave ad an.* 192. *Habet tamen Tertulliani ſtylus majeſtatem quamdam ſibi propriam & grandem eloquentiam, ſale & acumine plurimum conditam, quæ ſimul legentis ingenium exercet, & animum ſuaviter delectat.*

Verum de charactere Tertulliani plus quam ſatis. Novimus virum velut de facie, & tam certo, tam clare novimus, uti facile a ceteris omnibus dignoſcatur. Itaque ne longius excurram, velut breviarii loco Thomæ Campanellæ verbis, quæ dicta ſunt, contrahere juvat. Ait autem * quam audacter, tam ſplendide. *Tertullianus denique ut Theologorum Magiſter plus probat duobus verbis, quam ceteri mille argumentis. gravis, arduus, acer, efficax, brevis, concinnus, Philoſophicæ; Grammaticæ, non autem civilis cultor, & ſuo africaniſmo homines velut ad peregrinas merces alliciens.*

CAPUT III.

Quibus in ſcriptionibus eloquentiæ vires maxime Tertullianus exprompſerit?

Præcipuum ſemper inter opera Tertulliani Apologeticus habitus eſt, quem adverſus Gentiles ſane copioſum, ac luculentum conſcripſit. Ad hunc elapſo ſæculo acceſſerunt libri duo *ad Nationes* ex Codice Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis, quos primus omnium edidit Jacobus Godefredus J. C. & Profeſſor Genevenſis. Argumentum nihil differt ab Apologetico. Eadem enim argumenta, quæ ibi delinea-

* Libello *de libris propriis, & recta ratione ſtudendi* c. 9.

lineaverat, hic uberius tractanda resumpsit, idque haud paulo pressius, atque accuratius. Dolendum profecto, & inter ceteras orbis literarii jacturas deflendum, *opus* istuc *præstantissimum*, ut Priorius vocat *, injuria temporum ita plurimis in locis exesum esse, ac vitiatum, ut parum jam sui studiosis possit afferre emolumenti. Utrumque opus summopere laudat idoneus censor Lactantius; ait enim *Libr. V. Institut. divin. c.* 4. Tertullianum *hanc causam plene perorasse*. Hieronymus magis adhuc in librorum istorum laudes effunditur. Nam *epistola* 84. *nunc* 70. ad Magnum Oratorem Romanum: *Apologeticus ejus*, exclamat, *& contra Gentes libri cunctam sæculi continent disciplinam*: eruditionem scilicet, doctrinam, & eloquentiam universam. Tantis auctoribus accedunt reliquorum eruditorum judicia, qui omnes his ipsis lucubrationibus palmam adjudicarunt. Ex plurimis paucos seligo. *Quid*, quærit Stephanus Baluzius, in *Notis ad epistolam* 1. *S. Cypriani*, *Quid eruditius, aut acutius Apologetico Tertulliani?* Antonius Pagius *ad annum* 199. *n. V.* eundem *præstantissimum illud opus* appellat. Beatus Rhenanus in *Epist. cit. Apologeticus*, inquit, *scriptus ad Gentes pro christianorum expurgatione, quas non & eloquentiæ, & eximiæ eruditionis opes ostentat?* Angelus vero Politianus *Enchiridii Epistolar. Libr. IV. epist.* 5. ita habet: *Ceteros ejus libros cave putes cum Apologetico conferendos, ob eruditionis copiam, vim argumentorum, ipsiusque etiam dictionis ardorem singularem.* Nicolaus le Nourry præstans ille Criticus *Dissertat. IV. c.* 2. *a.* 4. *Apparatus* sui: *Summo fere omnium*, inquit, *cum græcorum, tum latinorum christianorum applausu, communique approbatione susceptus, lectusque fuit hic liber. Neque ad id probandum alio opus habemus teste, quam Eusebio, qui memoriæ prodidit, illum tanto apud Græ-*

* In *Argumento.*

Græcos fuisse in pretio, ut ab eis vernaculam suam in linguam conversus fuerit &c. Equidem ratio ipsa scribendi, & phrasis parum recedit ab ea, quam reliquis in operibus tenet: verum quod desiderari in verbis potest, tanto plus rebus ipsis hic compensatur. „ Qui hunc librum, pergit idem celeber„ rimus auctor, primariis, ut ajunt, labris attigerit, „ putamus esse neminem, quin statim fateatur, il„ lum frequentibus verborum a bona latinitate alie„ norum spinis, salebris, asperitatibusque respergi, „ & magna involvi sæpius obscuritate: at nullum „ quoque esse credimus, qui non fatebitur, Ter„ tullianum, si hoc in libro lectores suos verborum „ leporibus, venustate sermonis, & politæ, ele„ gantisque orationis suavitate non deliniat, ac de„ lectet, miro tamen styli acumine, sententiarum„ que gravitate eos concutere, ac pleraque omnia „ illius argumenta tanti esse momenti, ac ponde„ ris, ut iis aut convincantur æquiores, aut perti„ naciores conterantur, atque obruantur. Neque „ tamen dissimulare possumus, eum asperioris in„ genii impetu nonnunquam raptum quædam adhi„ buisse argumenta, quæ aut infirma, atque etiam „ falsa pluribus videntur. Verum infra docebimus, „ eos non satis diligenter attendisse, quantum ille „ hoc in libro brevitati consuluerit, & plura quæ „ falsa putant, vera profecto deprehendi, si cum „ aliis, quæ ipse alibi fusius enarrat, attento animo „ componantur. Non jure autem prorsus immeri„ to potest in hoc libro desiderari melior argumen„ torum dispositio, & ordo, qui majus toti operi „ lumen attulisset, & quo Tertullianus sibi facilius „ conciliasset lectoris benevolentiam, & appro„ bationem. „

Equidem & alii complures ex Scriptoribus nostris cum græca, tum latina ex Ecclesia magnam ex eodem argumento laudem sunt consecuti: & infra

Minutium, Cyprianum, Lactantium, Clementem, Origenem, Athenagoram, Tatianum, Theophilum, Athanasium hac de causa celebrabimus: verum Afer iste omnes & acumine, & impetu facile superavit. Tam audacter in adversarios insurgit, tam arcte eos stringit, tanto robore cædit, & solo affligit: recteque Pamelius præter alia notavit, vel unicum hunc librum (certe non magnum) ad convincendam gentium pertinaciam satis esse potuisse.

Eximie Jacob. Pontanus *Philocal. L.* 3. *c.* 22. „ Præclarissimus, Deus bone! & omni prædicatione efferendus est hic Tertulliani Apologeticus, „ id est Christianismi christianissima defensio, lon„ geque quam S. Martyris Justini (quam tamen „ pro exemplo intuetur) & Philosophi Aristidis, „ qua ingenio, qua doctrina excellentior. *Quem* „ *sese ore ferens, quam forti pectore, & armis?* Ut „ de Ænea magnanimo heroë Dido in 4. & de eo„ dem Diomedes respondens Legatis in 11. Æneid. „ - - *experto credite, quantus in clypeum assurgat,* „ *quo turbine torqueat hastam.* Qualia, quam argu„ ta Enthymemata vibrat! quam valide premit! „ quantum ubique nervorum, roboris, ossium? „ quid ille literarum ignorat? quos libros non le„ git? non auro contra charus hic apologeticus no„ bis fit oportet, cujus rationibus, & argumentis „ instructi quemvis quantumcunque hujus mundi „ sapientem, & a christiana Philosophia alienum, „ ac Deos commentitios venerantem lethalibus pla„ gis ad terram dare, & occidione occidere possi„ mus.„ Legi etiam potest Joannes Costerius *in Notis ad Vincent. Lirinens.*

Alterum locum inter scripta Tertulliani *Præscriptiones adversus Hæreticos* sibi vendicant; nam & istæ admirabiles sunt, merisque nervis constant. Renatus Laurentius de la Barre ita de hoc libro: *In*

quo

quo mirum est, ait, *quantis rationibus catholicæ Ecclesiæ legitimam successionem, auctoritatem primariam, & in causis fidei jurisdictionem afferat, probet, & confirmet.*

His solis hæreses universæ, quotquot hactenus ab inferis extitere, vel futuris etiam temporibus inde efferent caput, ita contrivit, ut ante pugnam debellatum sit, & quoties stylo manum admovet, plura simul opinionum monstra velut confixa procumbant. Pamelius, & alii plures *vere aureum* opus, Dumesnil *opus Tertulliani præstantissimum* appellant; & maxime illi quadrat, quod Trithemius de libris ejus generatim ait, *hæreticorum errores fortiter contrivisse.* Est autem multo jucundissimum audire, quomodo ex ipsis *Protestantibus*, quos dicunt, non pauci hoc opusculum dilaudent, & admirentur. Eccur enim id illi faciant? Ego quidem minime video, nisi quia virtus vel in hoste laudatur, & devicti solatium quoddam est ostentare vires, & arma tollere, quibus succumbendum fuit. Mirificus autem, & singulari artificio præditus in eo noster est, quod mores hæreticorum & vitam, & effugia omnia brevissime quidem, verum ita describit, ut accuratius, magisque ad vivum nullus pictor coloribus exprimeret. Cum ergo id genus hominum eadem semper chorda soleat oberrare, in illis primæ ætatis depravatoribus hodiernos quoque velut in antecessum Tertullianus jugulavit. Vide editionem hujus opusculi Bruxellensem 1675, a Christiano Lupo curatam.

Post hos vero libros mihi quidem quam maxime probantur, & sapiunt duo illi *de Carne Christi*, & *de Resurrectione Carnis*, ubi quidem luculenter Tertulliani character emicat, modusque arguendi quam acutus, tam densus, stringens, & copiosus. Ait autem de istis Beatus Rhenanus loc. cit. *In Libro de carne Christi, & de Resurrectione carnis quantus in*

 Phi-

Philosophia fuerit aperte commonstrat, dum tantum argumentorum illic profert, tam apposite, tam dense, tam acute, ut nihil apud nos exstet in hac re. quod cum illo conferri possit. Supersunt Libri Morales praecipue, uti *ad Martyras*, ad *Uxorem*, de *Spectaculis*, de *Patientia*, de *Pœnitentia*, de *Habitu muliebri*, de *Cultu fœminarum*, de *Velandis virginibus*, de *Oratione* *. Hi enim ceteros, quos adducere adhuc possem, facile antecellunt, locosque habent eximios, & tam communes, ut sacris oratoribus latissimum præbeant campum, in quo non facile solum, sed longius etiam exspatientur. Certe eo minus prætermitti eos velim, quo breviores sunt, & citius legendo absolvuntur. Quamquam & de singulis aliquid dicendum est.

Ille *ad Martyras* excelsæ mentis partus est, fortitudinem, ac robur tantum non inspirat, ostenditque velut in speculo, quam essent ea ætate christiani rebus omnibus humanis superiores. Idem in alio genere de Libris *ad Uxorem*, & *de Spectaculis* dicas. Ut enim in prioribus contemnuntur molestiæ, & cruciatus, ita in his voluptates, ac deliciæ omnes calcantur. Ejusdem spiritus Librum *de Patientia* multi admodum extollunt. Tarquinius Gallucius *Orat. V. magnificam*, *ornatissimamque orationem* appellat: Petrus vero Priorius *in argumento* hoc *opus*, ait, *mira esse elegantia concinnatum.*

Liber *de Pœnitentia* tam est accuratus, & elegans præ aliis plerisque, ut hac maxime de causa & Erasmus, & Rhenanus alterius cujusdam styli illum esse putarent.

De *Habitu muliebri*, & de *Cultu fœminarum* libri studiose volvendi sunt, multumque conducere ad temporum nostrorum emendationem possunt. *Libri*

* Quem nuper Muratorius ex codice nescio quo redintegravit.

bri sunt, ait Rigaltius *in primis utiles*, *altioris sapientiæ*, *sententiis graves*, *dictionis artificio grati*, *sed lectoris attentissimi judicium quærunt. Secundo autem*, addit ibidem, *multa de primo tractantur uberius*, *nova etiam non pauca proferuntur utilius*, *plena omnia spiritus christiani sublimioris*. Idem fere judicium de illo quoque libello, qui de *Velandis Virginibus* inscribitur.

De *Oratione Dominica* liber singularem quoque & apud antiquos, & apud recentiores laudem habet. Rigaltius *hoc*, ait, *cœlestis gratiæ pignus* * *Patres antiqui certatim prædicavere*, *nemo Tertulliano doctius explicavit*, *nemo sanctiore cultu posteris colendum demonstravit*. Certe jam D. Hilarius *Canone* 5. *in Matth. Volumen aptissimum* vocavit. Post hoc *Scorpiacum* quoque, seu *Scorpiacen* volvere Lector debet, *opusculum sane elegans*, ut Rigaltius, *insigne volumen*, ut Hieronymus dicit **. Porro in Libris, quos contra Ecclesiam Tertullianus scripsit, multa præclara insunt, eodemque quo cetera ardore, ac ingenio profusa. *Montanista factus*, ait Cave, *sectam hanc viriliter propugnavit editis quamplurimis doctissimis pariter*, *atque eloquentissimis libris*, *quibus disciplinæ suæ rigorem a contemptu vindicavit*, *aliisque*, *quibus in Ecclesiam Catholicam*, *sub nomine Psychicorum invectus est*. Verum uti facundiam hominis laudamus, ita perfidiam non possumus non execrari. Valet ergo de his ejus libris, quod dudum Vincentius Lirinensis admonuit, *disertiorem multo in iis*, *quam fideliorem* Tertullianum *esse*.

Libri *adversus Hermogenem*, *&* *Valentinianos*, item Liber *de anima* sunt maxime philosophici, & quam multum speculationis habent, tam parum ad Rhetoricam sacram conferre possunt. Sed & Libri

* Orationem scilicet Dominicam.
** *Libro adversus Vigilantium.*

adverſus Marcionem, etſi ibi inſanum illud caput ita premit undequaque, & contundit, ut quo ſe vertat, non inveniat, noſtra tamen ætate tam parum pro nobis faciunt, ac ceteri, quos priore loco nominabam.

Pluribus Diſſertationem hanc illuſtrare poſſunt Petrus Alixius in *Diſſertat. de Tertulliani vita, & ſcriptis* Pariſiis 1679. Petrus Thomas du Foſſe, qui & ipſe *vitam Tertulliani* ſcripſit *. D. de Giri in Diſſertatione Critica apud Trivultienſes anno 1702. D. de Fayolle in opere: *Genie de Tertullien Pariſiis* 1662. Nicolaus le Nourry *Diſſertat. IV. c.* 4. *artic.* 3. Jacobus Pontanus *Philocaliæ Libr. I. cap.* 2. Joannes Laurent. Mosheim ſupra citatus promittit ſe in vitam, fataque Tertulliani diligentius, quam hucusque factum, peculiari libro inquiſiturum, cui & Diſſertationes quasdam in opera ipſa adjecturus eſſet. An id præſtiterit reapſe, an vero, uti Henricus Dodwellus, ſolum molitus ſit, haud ſcio; certe necdum vidi.

Editionem Ludovici de la Cerda, quæ, quod animadverſiones ſpectat, non habet parem, ob notam viri ſapientiam & reconditas literas multum quidem perveſtigavi; ſed incaſſum. Mirari autem hodieque ſubit, in ampliſſima urbe, & tot aliis bibliothecis ne unum quidem celeberrimi operis exemplar potuiſſe reperiri. Sed & illa editione Georgii Ambianenſis carebam, minori utique incommodo; quare nec multum operæ impendi, ut illa potirer.



APPEN-

* Ultimo editam *Lugduni ann.* 1691. Texit autem nomen ſuum hic auctor, & ſub alieno Domini de la Motte comparere voluit. Quæ res & mihi initio & aliis compluribus impoſuit.

APPENDIX.

De Eloquentia Minutii Felicis.

In elegantissimo hoc Auctore ornando breviores erimus, quam ejus fortasse merita, & lectoris expectatio postulent; ne quod pronum est, citius ipsum ejus scriptum, quam elogium legendo absolvatur. Itaque aliud fere non dico, quam quod proprie, & strictissimo sensu huc pertineat. Et ex antiquis quidem Scriptoribus neminem scio, qui de Minutii eloquentia commemoret, præter Lactantium, Hieronymum, & Eucherium. Nam Sanctus Cyprianus, etsi illum legit diligenter, nec pauca ex eo mutuatus est, uti infra dicetur, nunquam tamen hominis mentionem facit.

Sic autem de Minutio Lactantius *Libr. V. Institut. div. c.* I. ait: *Ex his, qui mihi sunt noti, Minutius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus Liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.*

Atque hanc tu laudem dicis, interpellat me aliquis? Non vides Lactantium, intimum illum eloquentiæ cognitorem, minus contentum Minutii scriptione? Nonne ex his Evangelii propugnatoribus unum esse dicit, *qui defensioni ejus non suffecerunt?* Lege totum illud caput, & inficiari jam non poteris, aperte significari, argumentum hoc christianæ defensionis levius, quam oportuisset pertractatum eo dialogo, aut certe animi causa potius, quam studio & contentione susceptum esse. Responsio prima fronte non tam facilis videtur, eaque fateor initio haud parum curæ mihi injecit: scrupulus enim in ipsis Lactantii verbis semper hærebat. Denique re diligentius ponderata, atque discussa vidi plane, nullam inesse difficultatem. Id enim solum-

modo indicare Lactantius voluit, argumentum non tam fuse, quam ipse vellet, nec plenissime pertractatum; quod scilicet Minutius assumere argumenta quædam contentus, cetera, quæ nemo tum requirebat, intacta dimisisset. Gavisus sum autem haud parum, cum in Nicolao le Nourry * hanc ipsam quæstionem agitatam reperi, eamque ex mea plane sententia decisam. Audiamus verba doctissimi hominis. „ Nihil itaque aliud sibi Lactantius vo-„ luisse videtur, nisi christianæ Religionis defen-„ sionem hoc Minutii in libro totam, integram, „ atque omni, qua poterat, parte perfectam, & ab-„ solutam non exhiberi. Christianæ enimvero Re-„ ligionis veritas variis, ut jam monuimus, & „ omnes ultro fatentur, argumentis, quæ sola, se-„ parataque sufficiunt, demonstrari potest. Minu-„ tio itaque nullus vitio unquam jure merito ver-„ terit, quod ad funditus evertendos gentilium er-„ rores, ad propulsandas illorum in christianos fal-„ sissimas criminationes, ac stabiliendam christia-„ næ Religionis veritatem ex pluribus argumentis „ ea selegerit, quibus hæc satis, superque demon-„ strantur. Ita sane aliqui haud plane ignobiles „ christianæ Religionis defensores illius veritatem „ demonstrarunt ex adimpletis divinorum Prophe-„ tarum oraculis: alii ex Christi Discipulorumque „ ejus miraculis, alii vero aliis argumentis, quæ „ hic dinumerare nihil necesse est. Quis tamen „ illos suo defensoris munere non rite perfunctos „ dicere unquam ausus est? „

Alii eo quoque sensu commode accipi posse Lactantii verba existimabunt, quod Minutius, ut defensionem veritatis melius susciperet, causis profanis nuntium remittere debuisset, ne illis distractus totum

* *Tom. II. Apparat. ad Biblioth. Veter. PP. Dissertat. I.* §. 2. a. 2.

tum se transferre non posset ad primariam illam causam pervincendam. Utut sit, mea parum refert, salvaque Minutio manet laus sua, imo augetur hac ratione quam plurimum. Sic enim clarum est, summum Christianorum Oratorem, nihil in eo auctore præter otium, aut plura potius opuscula desiderasse, quod ipsum quantæ laudis sit, nulli etiam minus æquo æstimatori potest esse obscurum.

Alter Minutii laudator est Hieronymus, qui in *Catalogo cap.* 58. hunc in modum de eo scribit: *Minutius Felix, Romæ insignis Causidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur. Sed & alius sub nomine ejus fertur de fato, vel contra Mathematicos, qui cum sit & ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stylo convenire.* Et iterum *Epistola* 84. *nunc* 70. *ad Magnum: Minutius Felix Causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, & in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum?*

S. vero Eucherius vir disertissimus, & qui præcipuos illos Patres, qui ante ejus tempora floruissent, omnes legerat, *Epist. ad Valerianum* cognatum suum, Minutium non dubitavit inter *clarissimos facundia* numerare.

Præterea, quanti ab aliis fieret Minutius, & quo loco scriptum ejus in Ecclesia esset haud obscure divus Cyprianus prodidit, qui *de Idolorum vanitate*, item *ad Donatum*, & *Demetrianum*, & alibi non sensa ejus solum insecutus est pluribus locis, verum verba quoque ipsa non raro adoptavit. Plures credo, quam triginta loci sunt, quos Sanctus Doctor e tenui hoc opusculo vel servatis iisdem vocibus transcripsit, vel immutatis tantisper, ac suis interjectis usurpavit. Id quod mirum haud dubie videri debet in tanto, tamque facundo Præsule, nisi clarissimo nomine Minutius fuisset, & quam maxime

ad oratorium Cypriani genium feciffet. Non enim, ut in Tertulliano, ipfam rem, fed phrafin quoque, fed verba Minutii alia mente retinuit, quam quod intelligeret, elegantiora invenire fe vix poffe, quam ille perfcripferat.

Sed & Lactantius ex Octavio plura defumpfit, & fuis opportune locis immifcuit, id quod clariffimus le Nourry cum de utroque hoc fcriptore ageret, advertit folerter, & accurate adnotavit.

Quod poft antiquiores hos nemo Minutium laudarit, minime mirum eruditis effe debet. Latuit enim diutiffime, & cum (qui unus fupereft) codex Manufcriptus * Romæ in Vaticana Bibliotheca repertus effet, non proprio, fed Arnobii nomine comparuit, hujus feptem libris velut *octavus* additus; quem in errorem homines, talium rerum fatis adhuc rudes, haud dubie nominum affinitas pertraxit. Cum vero magno Reipublicæ literariæ commodo agnitus eft tandem, atque a Francifco Balduino Jurisconfulto Heidelbergenfi e ruderibus, in quibus tot jam fæculis delituerat, protractus in lucem, certarunt fcilicet eruditi, difertique homines, uter alteri palmam in ornando, celebrandoque pulcherrimo Scriptore præriperet. Non ergo multos tantum, fed magnos quoque laudatores nactus eft Minutius, & vix aliquem legere me memini, qui nominatum illum fine elogio aliquo præteriret. BALDUINO tamen pro meritis dandum eft, uti ante alios omnes ipfe audiatur. Ita autem de eo ad Fridericum Electorem Palatinum fcribit. *Cum antiqua quædam monumenta pervolutarem, ecce cum fuo Octavio commode mihi occurrit Minutius Felix, quem ego quidem tam agnovi lubenter, tamque magna cum lætitia ftatim fum complexus, quam multis jam fæculis latuiffe*

* Eft ille etfi Eruditorum judicio fatis mendofus, tamen nongentorum fere annorum.

tuisse dolebam. Ejus itaque Dialogum, qui mirifice me recreavit, lectissimum dico libellum, quem cæca posteritas non agnitum prope suppressit, putavi cum aliis communicandum. Et in *Præfatione* Minutium *magnum & excellentem oratorem* salutat, *qui prioribus Jureconsultis non solum abs religione alienis, sed & ejus acerrimis adversariis succedens sive forum, sive collegium Romanæ togæ, atque advocationis, quod tot jam annis aspersum fuerat sanguine, & cineribus piorum hominum, tandem aliquando voce, & vestigiis christiani Jurisperiti expiasset, atque consecrasset.*

CAROLUS SIGONIUS in *Histor. occidental. Imper.* Cum de Romana eloquentia Sæculo tertio loqueretur, sic habet: *Non prætereundum illud etiam, eloquentiam per hæc tempora summo studio Romæ, & in Italia celebratam. Testis est divus Hieronymus, qui ad Rusticum scripsit:* Mater post studia Galliarum, quæ florentissima sunt, misit te Romam, ut ubertatem, nitoremque gallici sermonis gravitas Romana condiret. *Floruere autem hac laude Romæ Nazarius, qui Rhetoricam docuit, & Minutius Felix, qui causas oravit, & Lampridius Spartianus, Capitolinus, & Vopiscus, qui vitas superiorum Imperatorum literis mandaverunt. Qui quanta dicendi facultate valuerint, ex scriptis eorum perspici potest.*

JOANNES MEURSIUS in *Hypocritico Minutiano ad initium* Octavium Minutii *scriptum sane perelegans*,

CARDINALIS vero BARONIUS *ad annum* 211. *Aureum plane Commentariolum* vocat, addens, *& quæ objectari solerent, & quibus objectata confutarentur*, scitissime ibi proponi.

MICHAEL VASQUEZ de Padilla *de Augustiss. Mysteria SS. Trinit. pag. mihi* 109. *Disertissimus*, inquit, *Christianorum Advocatus Minutius Felix.*

NICOLAUS CAUSSINUS *Libr. XV. de Eloquentia sacra, & humana propius initium: christiani nominis acerrimum, eundemque disertissimum propugnatorem*

Minu-

Minutium dicit. Idem fere ait HIEREMIAS DREXELIUS in *Prodromo cap.* 3. §. 30. & Eminentissimus BONA in *Notitia Auctorum,* quam Tractatui de divina Psalmodia subjunxit.

JACOBUS TIRINUS in *Indice Auctorum* de Minutio Felice: *Scripsit eleganter Dialogum Christiani & Ethnici, cui titulus* OCTAVIUS.

CASPAR BARTHIUS Libro XLIII. Adversar. c. 25. *Elegantissimus Dialogus est* MINUTIUS FELIX CONTRA GENTES, *qui cum in omnium manibus versetur, quantulacunque in eum merita nostra erunt tamen utilia in commune. Quod si neque hoc assequemur, certe nobis bene erit tam jucundæ animæ vel tantillam operam navasse.*

PHILIPPUS BRIETIUS *Sæculo III. cap.* 1. *Eodem tempore*, ait, *edidit præstantissimum opus, quod inscribitur Octavius, Minutius Felix Romæ Causidicus insignis . . . hoc opus diu Arnobio adscriptum, cujus conficiebat librum octavum, tandem redditum est auctori suo, indigno propter excellentiam ingenii, cujus opus & liber tamdiu lateret.*

NATALIS ALEXANDER *Sæculo III. cap.* 4. Octavium *insignem Apologiam* nominat.

GUILIELMUS CAVE ad annum 220. *In quo sane libello totum gentilium cultum, Deorumque prosapiam non minus erudite, quam venuste, & ingeniose convellit, & Christianos, eorumque sacra ab omnibus Cæcilii calumniis, atque objectionibus eleganter, & nervose vindicat.*

RENATUS RAPINUS *de Eloq. Sacr. considerat.* 11. cum docuisset, ornatum, atque amœnitatem minime abesse a concionibus nostris debere, inter Latinos Patres Minutium primum ponit, qui siccitatem, & asperitatem, ceteris adeo familiarem, effugere in scribendo potuisset.

STE-

STEPHANUS BALUZIUS in *Notis ad Epiſtolam* I. *S. Cypriani: Quid elegantius*, exclamat, *Octavio Minutii Felicis?*

JO. GOTTL. HEINECCIUS bonæ latinitatis ſtudioſiſſimus in *Fundamentis ſtyli cultioris Parte III. cap.* I. vult Minutium Felicem non ſecus, ac Terentium, Ciceronis epiſtolas, & libros aliquot Philoſophicos, nec non Julium Cæſarem, diurna, nocturnaque manu verſari a Tirone, poſtquam omnium facillimos illos Phœdrum, Pomponium Melam, Eutropium, & Cornelium Nepotem jam legit. Et certe ea de cauſa editus ſæpe eſt in uſum ſcholarum a Chriſtophoro Cellario. Prima editio, ni fallor, curata eſt *Halæ* 1699. ubi lectionem ejus valde commendat humaniorum literarum ſtudioſis, qui ſic in Scriptore purioris latinitatis proficere, ſtyloque nitorem, & elegantiam addere ſic poſſent, ut ſimul fidei fundamentis, ſanctitate morum, ac hiſtoria eccleſiaſtica imbuerentur. Probat idipſum Clariſſimus le Nourry Diſſertationis laudatæ *cap.* 2, *art.* 4. *

CLAU-

* Ego ut ingenue fatear, quam ægre a tantis viris diſſentio, judicium hoc eorum comprobare nullatenus poſſum. Non quod Minutium eloquentia deficiat, qua claſſicis auctoribus annumeretur, ſed quod loci in eo quidam ſint, teneris mentibus omnino fugiendi, ne audiant, quæ tutius multo ignorent. Quod ſi ergo ſeu domeſticus præceptor, ſeu publicus ad ejusmodi locum explicando devenerit, quid aget ita deprehenſus? omittat illum, atque prætereat? verum id ſciendi cupiditatem acuet in diſcipulis, & in hujus facti rationem diligentius etiam inquirent. Ergo audacter, uti cetera explicet, caſtisque omnia caſta putet? hoc vero ſine pudore vix fiet a præceptore; juvenes vero ſine offenſione, & periculo manifeſto nequaquam audituri ſunt. Itaque differatur lectio ad eos annos, ubi ſecurius per ſe ipſi incidere in ſordes Ethnicorum poſſint, obfirmato jam animo, & noſcendis ejusmodi rebus paulatim aſſuefacto.

CLAUDIUS FLEURY *Histor. Ecclesiast. Libro V.* §. 39. opusculum Minutii nostri *præcellentem Dialogum* appellat.

JO. MATTHIAS GESNERUS Commentator Heineccii animadversione in locum illius supra datum: *Minutium*, ait, *& elegantiæ. & concinnitatis esse studiosissimum, ex quo nostræ religionis principia, ac mysteria stylo elegantiore exprimere discamus.*

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS, magnum inter suos nomen, *Præfat. in Apologeticum Tertulliani* recens editum, Minutium asserit *uno etiam libello multum veræ gloriæ meruisse.*

JOSEPHUS BINER *Parte XI. Apparat. pag.* 40. ita habet: *Minutius Felix Afer, Romanus Caussidicus, qui elegantissimum Dialogum scripsit inter Cæcilium Gentilem & Octavium Christianum.*

BERNARDUS MARECHAL *in Concord PP. Minutii Felicis eloquentia*, ait, *ac rerum profanarum eruditio optime e Dialogo ejus colliguntur. Meritum, & præstantia Scriptoris hujus cuique id opus percurrenti facile perspecta fient. Si styli nitorem spectes, verborum delectum, concinnitatem, vim ingenii, subtilitatem argumentorum: si his omnibus amœnissimas item, quæ passim occurrunt, descriptiones, imagines, ac figuras non varias minus quam nobiles addas, habes in Minutio pene dixi elegantissimum Scriptorem totius antiquitatis. &c.*

ABBAS LADVOCAT, *in Lexico Historico portatili, celebris hujus Oratoris Octavium excellentem & amœnum Dialogum* appellat.

Superest, ut meam quoque opinionem aliorum sententiis adjungam. Hanc si quis roget, fidenter pronuntio, tanti me opusculum hoc tenuissimum facere, ut malim plurimos, spississimosque eloquentiæ tractatores, quam *Octavium* hunc nostrum sacris oratoribus deperire. Tam immensa vis rerum hic latet, tam aptis argumentis, exemplis, & aucto-

auctoritatibus pugnat, atque adverfarios iisdem, quibus armati funt, telis retundit: tam felix ingenium, tam vividus fermo, tam nitens eloquium inde promanat, ut omnem ejus elegantiam, ac leporem fentire fit multo facilius, quam enarrare. Nec mirum, Cæcilium, cum paulo ante defpumaret convitia, & efflaret minas, & ampullas horribiles projiceret, denique Chrifto ipfi infultaret, continuo orationis hujus velut fulmine percuffum victas manus dediffe, & arbitri, judicisque conftituti fententiam prævertiffe. Felix orator, qui difputationem tam feriam, tamque gravem ita fufcepit! Et quot funt hodieque ejuscemodi, qui fummo licet ftudio fimile quid vel in genere morum procudentes, auditores, qui nihil minus ante cogitaverant, immutent penitus, atque ita commoveant, ut perfuafos fe penitus, imo ad vitium fugiendum, virtutemque amplexandam adactos palam profiteantur?

Verum & de charactere Minutii aliquid dicendum. Mirum profecto, viros doctos & Minutium ab Arnobio diftinguere tamdiu non potuiffe *. Nempe attentio eos, ac diligentia defecit; fecus debebant advertere difcrimen, quod fane ingens eft inter Afri illius difficilem, confufam, inæqualem, & hujus Romani feliciffimam ac politiffimam dictionem. Equidem le Nourry ibid. cap. 1. art. 2. quosdam ait ex ipfo ftylo in Africa natum fufpicatos;

* Miratur doctiffimus le Nourry, Erasmo quoque ipfi in legendis Patribus tam exercitato hac in re impofitum fuiffe. Verum quod pace ejus dixerim, Erasmus jam ante obierat diem fuum, quam prima editio Faufti Sabæi Brixiani 1542. prodiret in lucem. Imo Erasmus *in Nuncupatoria* crediti *Arnobii in Pfalmos* difertis verbis dolet intercidiffe illos laudatos libros, quibus idem, ut putabat, Arnobius *adverfus gentes* pugnaf-fet. Eft autem nuncupatoria ea ad *Hadrianum VI.* P. M. anno 1522. data.

tos: sed recte respondet, hos nec probare, nec probare posse, aliquid durioris africani sermonis in eo deprehendi. Quod si paucula in eo sunt, in quibus offendit oratio, atque obscurior fit: id non auctori, tanta perspicuitate, tanta facilitate ubique loquenti tribuendum, verum vitio librariorum, aut certe inopiæ MS. Codicum, ad quos loci illi exigi, castigarique possent. Paulo ante laudatus le Nourry *ib. c.* 2. *a.* 5. plures ostendit ejusmodi locos corruptos, aut corruptionis suspectos, quos post tot jam factas Minutii editiones sanari etiamnum oporteret.

Porro omnes fere, qui Minutii eloquentiam obiter descripserunt (neque enim fuse id facere solent) nitorem ejus laudant cum densitate quadam rationum admirabili conjunctum. Et certe in hoc præcipue excellit ejus genus dicendi, quod tam multa, tamque grandia brevi, tersa, & facili oratione comprehendat. Sex plus minus majoribus foliis comprehenditur Octavius & nihil fere accusationum illarum præteriit, quas alii sive ut Religionem nostram tuerentur, sive etiam propugnarent, prolixissimis disputationibus complexi sunt. Hoc est, quod lectori primum occurrit, quod intentum semper ejus animum tenet, quod admiratione defigit, quod vel in celeberrimis hujus ævi oratoribus frustra requiritur. Caussinus operis laudati *Libr. III. c.* 14. Minutium *summa* ait *dictionis facilitate præditum.* Havercampus quoque *loco cit. rotundum ejus*, *& lene fluens eloquium* in ea brevitate admiratur.

Balduinus ait: *Genus dicendi est argutum, acre vehemens, est pressum, densum, nervosum, crebris sententiis compactum, omniumque antiquitatum, atque historiarum memoria refertum, in quo plures sententias, quam periodos numerare possis.* Quo sane ipso admirandus splendor exsurgat, necesse est. Etsi autem flumen illud, & perpetuam Ciceronis jucunditatem

tatem

tatem non eſt plene aſſecutus (quis enim eam aſſequatur?) Senecam tamen, cujus ingenium imitari videtur, meo judicio poſt ſe longiſſime relinquit. Provoco ad cujusque alterius ſententiam, neque dubito fore, ut quod mihi contigit iterato illum legenti, etiam ipſe de ſe continuo fateatur, Minutium ob rerum & ſententiarum copiam incredibilem, nexibus & converſionibus gratiſſimis conſertam, dictionem denique ipſam lepore, ſalibus, & omni genere elegantiarum conditam, novum ſibi identidem, atque alium apparuiſſe. Ecce quem hauſtæ eruditionis uſum facere vir diſertus poſſit! Legit Minutius Philoſophos, legit Poëtas, & Oratores, id quod pluribus oſtendere poſſem, ſi mei foret inſtituti: ſed neque legit tantum, verum imitatus quoque eſt, & excerpſit. Atque hoc dum facit, dum omnia Ethnicorum convertit in rem ſuam, & apiculæ in morem comportat, nec hiulca, nec inæqualis, nec obſcura fit oratio ejus. Sed & Tertulliani veſtigia ſicubi terit, qua claritate, quo ordine, quá connexione id exequitur? ita ſententiam retinet, ac vigorem ſectatur, ut verborum ſpinas penitus omittat, nec quidquam obſcuritatis, ſordium & ſcabritiei ejus contrahat.

Joannes Fridericus Gronovius *Libr. Obſervator. in Scriptor. Eccl. cap.* 7. „ Minutius Felix, inquit, „ Dialogum contra Paganos ſcripſit, lactea ſermo„ nis ubertate Lactantio nihil cedentem; mirabili „ ubique perſpicuitate, etiam in acute dictis; ni„ hil argutiarum obſcuritate moleſtum; nihil in„ tempeſtiva eruditionis oſtentatione inſolens, aut „ arceſſitum: nihil verborum novitate, aut trans„ ferendi improbitate, aut compoſitionis ſcabitu„ dine durum, horrens, abruptum. Omnia certe „ ejus, in quibus, quomodo legendum ſit, non „ ambigitur, has habent virtutes. Argumentum „ ingens, illa quoque, quæ labem contraxerunt,

„ ita esse curanda, ut non in Minutio Minutium
„ quæras, Tertullianum, aut quemvis durissimum
„ Afrorum invenias. „

Sed & Nourryum quoque audire debemus, qui *cap.* 2. *art.* 3. omnia fere ista sic confirmat, ut tamen nova quædam superaddat. Sic autem ait. *Omnes porro magno plane consensu unaque voce fatentur, Minutii in hoc dialogo dicendi genus esse grave, argutum, elegans, politum, acre, vehemens, pressum, concisum, præclaris, gravibusque sententiis passim ubique repletum. In eo etiam elegantes quædam, concinnæ, & ipsa sua brevitate gratissimæ descriptiones occurrunt, atque ea in primis cunctorum ore celebrata, qua puerorum sese testarum in mare jaculationibus oblectantium ludus describitur.*

Qui quam brevissime rem absolvere velit, neque complurium præterea auctorum verba transcribere, is mea opinione rectissime faciet, si dicat, in Minutio omnes se aliorum virtutes, nullum vero vitium reperisse. Atque hoc ipsum solari nos quam maxime debet, si quando dolemus, tantum oratorem non etiam alia ingenii sui monumenta reliquisse. Nam in hoc veluti breviario plura ille conclusit, quam sperare possemus. Itaque illud ipsum cuivis lectorum meorum dictum velim, quod sæpe memoratus Balduinus Principem suum in *Nuncupatoria* admonuit. *Verba non numerabis, sed appendes, & rerum, atque sententiarum pondus æstimabis, quorum quidem maximam vim, & copiam in summa verborum brevitate hic admiraberis.*

De Minutii Felicis eloquentia præter Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. fusius commemorant Editores ejus sane quam plurimi, Franciscus Balduinus, Fulvius Ursinus, Joannes Wouwerius, Gebhardus Elmenhorstius, Desiderius Heraldus, Nicolaus Rigaltius,

tius, Jacobus Ouzelius, Christophorus Cellarius, Jacobus Gronovius, Jacobus Davies & novissime Joann. Gottlieb Lindnerus. Sed & Ignatius Weitenauer *Subsidior. Libro XI.* & Joann. Georgius Walchius in *Historia Critica Linguæ latinæ*, *præsertim cap XI.* & Ignat. Hyacint. Amat. de Graveson *Histor. Eccl. Libro I. pag. mihi* 49. demum fusissime Petrus Antonius Burchardus in *Dissertat. de Minutio, Kilonii* 1685. egregie de ea atque accurate disserunt *. Quos omnes intactos ego dimisi, ut superesset avidioribus, quod per se ipsi evolverent: Ceteri vero, qui breves esse nos volunt, nihil haberent, quod de tractationis longitudine conquerantur.

DISSERTATIO II.

De Eloquentia S. Cypriani.

CAPUT I.

Laudes ejus, & judicia Auctorum.

Cyprianus, qui & Thascius, Carthagine natus est, civitate Africæ primaria, habuitque parentes Senatorii ordinis, qui ut genere sic opibus, & potentia clari essent. Quare institutio ejus, si quæ alia, liberalis fuit, capaxque ingenium brevi artibus græcis, atque latinis egregie imbutum. Maxime vero (ut iis temporibus) Eloquentiam ille adamavit, qua ita inter æquales excellere adolescens cœpit, ut eandem deinceps in luce civitatis doceret publice, & summum sibi inter oratores nomen compararet. Causarum quoque Patronum egisse videri potest, tum quod disciplinæ hujus proprium id esset, cum quod verbis legum medio e foro petitis utitur non semel. Ita exercitatus studiis literarum, & præsidiis omnibus ad dicendum instru-

* Iste tamen non tam sua, quam Cavei verba videtur exhibere.

inftructus ad Ecclefiam acceffit, non fine ingenti gratulatione fidelium, qui a tali homine nonnifi fumma quoque poterant expectare. Diftractis opibus, & baptismo fufcepto, etfi ftudiis divinarum literarum involutus effet, tamen ex veteri confuetudine nonnihil & eloquentiæ dandum adhuc putavit, atque ad Donatum, & alios forte familiares (neque enim ejus omnia extant) fplendide, & graviter de divinis rebus fcripfit. Dein per omnia Ecclefiæ munia ad Presbyterium promotus, eum fe oftendit, ut Epifcopo Carthaginis demortuo e fuga, qua honores declinabat, retractus communi flagitatione, aut vi potius facta, ad fupremum facerdotium raperetur. Hac in provincia adminiftranda & ftudio fanctitatis, & mole negotiorum, & perfecutionibus impiorum perpetuo diftentus, neque ftylum ultra exercuit, neque pompa verborum, & apparatu fermonis, quo ante, ufus eft: verum fcripturæ, & Tertulliani, quem Magiftrum fuum dicebat, legendis, quoad licuit, fe deinceps impendit. Itaque factum, ut quidquid habebat ingenii, & profanarum literarum ad facra transferret, & eloquentiam graviorem fecutus, quæ Epifcopum decebat, formam nobis, & exemplar perfectum relinqueret dicendi ad populum, & graviffimis de rebus chriftiano more differendi. His in eorum gratiam, qui initiorum Cypriani ignari funt, obiter præmiffis, oratorum, aliorumque fententias de eodem latas, afferre jam oportet.

Præ omnibus magiftrum dicendi, quo nemo ad Tullium propius acceffit, LACTANTIUM videlicet, audiamus. Hic *Libr. V. Inftitut. div. c.* I. ad chriftianos fcriptores forte delapfus, Cypriani quoque mentionem facit, fed ita honorificam, ac luculentam, ut nihil fupra. Sic autem loquitur: „ Unus „ igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus; „ quoniam & magnam fibi gloriam ex artis oratoriæ „ pro-

„ professione quæsierat, & admodum multa con„ scripsit in suo genere miranda. Erat enim inge„ nio facili, copioso, suavi, & quæ sermonis ma„ xima est virtus, aperto, ut discernere nequeas, „ utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in „ explicando, an potentior in persuadendo fuerit. „ Addit autem *ibidem* capite sequenti, vel apud Ethnicos, eosque disertos celebritatem esse consecutum, qui, quantumcunque ejus jam christiani doctrinam odissent, atque irriderent, eloquentiam tamen haud desissent admirari.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 18. quæ tota in laudem Cypriani est, scriptis beati viri insigne elogium texit, atque inter alia non dubitat dicere, Cyprianum doctrina & eloquentia tanto reliquos mortales anteivisse, quanto nos brutis animantibus præstamus.

S. Hieronymus nunquam nominare Cyprianum simpliciter potest, quin eloquentiæ ejus laudem adjiciat. Sic *Epistola* 84. *ad Magnum oratorem Romanum nunc* 70. *Eloquentia pollentem* vocat. In *Catalogo Scriptorum* ait, *gloriose Rhetoricam docuisse, & sole clariora esse ejus opera. Libr. XVII. Commentar. in cap.* 60. *Isaiæ* dicit *virum sanctum, & eloquentissimum Martyrem, qui velut excelsa quondam in sæculo arbor ædificarit Ecclesiam Dei.* Denique *Commentar. in Jonam c.* 3. elegantem tropologiam prosequens inquit: „ Proponamus nobis beatum „ Cyprianum, qui prius Idololatriæ assertor fuit, „ & in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut ora„ toriam quoque doceret Carthagini, audiisse tan„ dem sermonem Jonæ, & ad pœnitentiam con„ versum in tantam venisse virtutem, ut Christum „ publice prædicaret, & pro illo cervicem gladio „ flecteret. Profecto intelligimus, Regem Ninive „ descendisse de folio suo, & purpuram sacco,

 „ un-

„ unguenta luto, munditias sordibus commutasse:
„ non sordibus sensuum, sed verborum. „

PRUDENTIUS *Hymno XIII.* quem in laudem divi Cypriani prolixum panxit, ita canit:

Punica terra tulit, quo splendeat omne, quidquid usquam est,
Inde domo Cyprianum: sed decus orbis, & magistrum.
Est proprius patriæ Martyr: sed amore, & ore noster;
Incubat in Lybia sanguis, sed ubique lingua pollet;
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit,
Dum genus esse hominum Christus sinet, & vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra literarum,
Te leget omnis amans Christum, tua Cypriane discet.

Et *infra.*

Flevit obire virum mœsta Africa, quo docente facta est
Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrimans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum; tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantum regit, exit usque in ortum
Solis, & usque obitum. Gallos fovet, imbuit Britannos,

Præsi-

Præsidet Hesperiæ, Christum ferit ultimis
Hiberis.
Denique Doctor humi est, idem quoque
Martyr in supernis,
Instruit hic homines, illic pia dona dat Patronus.

S. AUGUSTINUS mirum, quantum erga Cypriani libros, & stylum afficeretur. Recteque Scholiastes ipsius, infra nominandus dixit. *Inter ceteros vero* (Patres) *beatus Augustinus singularis fuit ingenii doctrinæque ejus* (Cypriani) & *amator* & *prædicator* *. Sic *Libro II. de prædestinat: SS.* qui *de perseverantia* inscribitur *c.* 19. Cyprianum vocat *Doctorem lucidissimum. Libr. IV. contra duas Epistolas Pelagianorum c.* 8. ait, *etiam in orientalibus Ecclesiis fama prædicante*, & *scripta ejus longe lateque diffundente*, *notissimum. Tractat.* 7. *in Joann. Magnus* inquit, *Cyprianus Orator. Libr. IV. de doctrina Christiana* ex eodem plura dicendi specimina exhibet Concionatoribus, quibus demonstret, nullam eloquentiæ partem in christianis Scriptoribus desiderari. Confert autem illum subin cum Ambrosio, quemadmodum Fabius Tullium cum Demosthene committit. Eodem opere *Libr.* 2. *c.* 39. *Nonne videmus*, inquit, *quanto auro*, & *argento*, & *veste suffarcinatus exierit de Egypto Cyprianus Doctor suavissimus*, & *Martyr beatissimus*. Iterum *Serm.* 312. *alias* 116. *de diversis*. divinum in eo consilium agnoscit, ut sanctam Ecclesiam tanto cum eruditionis, & eloquentiæ apparatu ingrederetur, *ut per illam linguam stultitia* gentium *nudata feriretur*, *per quam*

 prius

* *Atque utinam*, ait Erasmus *Præfat. in Cyprian. Divus Augustinus*, *ut Afer Afrum*, *Episcopus Episcopum numero voluminum præcurrit*, *ita dictionis elegantia potuisset assequi! utinamque linguam hujus tam feliciter esset æmulatus*, *quam candide miratur*, *ac prædicat* &c.

prius tecta atque velata pulchra prudentibus videbatur. Demum *L. II contra Cresconium Grammatic. c.* 32. cum de Cypriano sermo esset, ita virum extollit: *Cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror.*

EUDOXIA quoque Imperatrix, bonis literis intime imbuta fœmina, eximiis versibus Cyprianum celebravit. Quod testatur Photius *Cod.* 184. quo maxime firmatur illud sæpe ab Augustino indicatum, versa in Græcum ejus opera, & propter splendorem ac efficaciam in omnium manus venisse. Quod si latine Eudoxia scivit (neque enim inquirere mihi vacat) id nihilo minus facit in rem nostram.

S. EUCHERIUS *Parænesi ad Valerianum, Clarissimum facundia* Cyprianum appellat.

MAXIMUS TAURINENSIS *Serm.* 1. *de Cypriano: Eloquentiam ejus*, ait, *inspiratam divinitus & Ecclesias docuisse, & Sæculum confutasse.*

GELASIUS Papa in *Concil. Romano*, & CASSIODORUS *Institut. divin. liter. cap.* 19. inter Patres Latinos primas eloquentiæ Cypriano deferunt. Ubi posterior etiam *declamatorem insignem, doctoremque mirabilem* vocat: addens, impossibile esse omnino complecti *, quantum inter alios Scriptores conferat.

FLORUS LUGDUNENSIS Ecclesiæ Diaconus Sæculi IX. Scriptor apud Mabillon. *Tom. I. Veter. analect.* de Cypriani Reliquiis.

> Hac locuples Christi Thesaurus conditur arca
> Purior argento, fulvo pretiosior auro,
> Clarior & cuncta gemmarum luce micantum:
> Hic

* An potius *animo complecti*?

Hic nempe insigni Doctor suavissimus ore,
Eximius Præsul, Martyr celeberrimus idem,
Lucifer ut nitidus, magna Carthagine missus
Emicat, & pulchra Cyprianus sorte quiescit.

Ex Recentioribus ROBERTUS FORTUNATUS Maclonienſis *Epiſtola* editioni Remboltinæ præfixa, Cypriano nominato, *quo vix nobiliorem*, ait, *ſanctiorem, copioſiorem, ſubtiliorem, divinioremve comperias ſcriptorem* &c.

ERASMUS ROTERODAMUS *Epiſt. ad Laurentium Puccium Cardinalem*, qua Baſileenſem illi hujus Patris editionem commendat, & inſcribit, ita de eloquentia Cypriani præclare omnino, & granditer loquitur. „ In tam vaſta, inquit, rei literariæ clade, quæ non ſolum tot egregia veterum monumenta, verum etiam innumeros ſcriptores immortali memoria dignos, totos abſorbuit, fortaſſis ineptius videatur, Reverendiſſime Pater, unius, aut alterius interitum deplorare, ni Cyprianus unus eſſet multorum inſtar habendus, ſive ſpectes eloquentiam, ſive doctrinam, ſive Paſtoris dignitatem, ſive pectus, apoſtolici ſpiritus vigorem ubique fragrans, ſive martyrii gloriam. Hanc autem jacturam haud ſcio an hoc moderatius ferremus, ſi totus nobis interiſſet. Nunc quoniam ex his fragmentis, quæ nobis neſcio quis caſus ſupereſſe voluit, conjicimus, qualia fuerint illa, quæ perierunt: gravius etiam animo diſcruciamur, quicunque theſaurorum hujusmodi ſumus avari. Porro ut nunc in obſcuro ſit, quæ & quam multa vir ille ſcripſerit, operum claritas in cauſa fuit, quæ Hieronymo perſuaſit, ut non duceret operæ pretium, lucubrationum illius indicem texere, cum ipſius ætate & ſole clariores haberentur, & publicitus omnium manibus tererentur, non exiſtimans fieri poſſe, ut

„ tantam lucem ac celebritatem ullus casus oblivio-
„ nis tenebris obscuraret. „

Et rursus:

„ Non possum equidem inficias ire, quin olim
„ inter orthodoxos Scriptores primas tribuerim Hie-
„ ronymo: verum ubi Cyprianum, quem prius &
„ carptim, & oscitans legeram, propius sum con-
„ templatus, prorsus animi dubius reddor, utrum
„ utri præferam; adeo suis uterque virtutibus sum-
„ mus occurrit. „

Dein:

„ Talem Ecclesiæ Doctorem, talem christianæ
„ pietatis athletam nobis dedit Rhetorum schola,
„ ne quis sibi stolide placeat, quod nihil rhetorices
„ attigerit. Efferant alii, quantum libet, eos, quos
„ nobis ediderunt Dialecticorum, ac Peripatetico-
„ rum scholæ, quos nec nos sane improbamus:
„ certe primas inter orthodoxos Patres Cypriano
„ tribuit Papa Gelasius. „

Denique:

„ Celebris est apud Romanos Hannibal Pœnus,
„ qui cum Italis de Romano certavit imperio:
„ hunc æquum est haberi celebriorem, qui cum
„ Romanis orthodoxis felicius, quam Hannibal, de
„ Romana certavit eloquentia. Ille cum Scipione
„ conflixit armis: hic cum Cornelio Romano Pon-
„ tifice sic suscepisse pietatis certamen videtur, ut
„ ambos virtutibus pares eodem die, licet anno non
„ eodem, similis martyrii palma decorarit, eloquen-
„ tiæ gloria vicerit Cyprianus. „

PAULUS MANUTIUS *ad S. Carolum Borromæum*, qui ejus in edendo Cypriano operam expetierat, ita eleganter scribit: „ Extant de eo prodita literis,
„ æternæque consignata memoriæ præclara sancto-
„ rum hominum testimonia, sed in re nota, atque
„ ante oculos posita testibus non egemus. Vitæ
„ illius prope animatam imaginem in libris, quos
„ reli-

„ reliquit, veriſſimis expreſſam lineamentis intue-
„ mur. Quantus eſt in tuenda Eccleſiæ Catholicæ
„ dignitate? quam ſeverus in retinenda vetere di-
„ ſciplina? quam acer in condemnandis novarum
„ opinionum auctoribus: in contumacia inſectan-
„ da, libidine comprimenda? Quæ ſententiarum
„ gravitas, verborum vis, doctrinæ præſtantia?
„ Nemo ita languet, aut ita friget in cupiditate
„ ſummi boni, qui non excitetur, & quaſi facibus
„ admotis incendatur, cum ejus epiſtolas legit.
„ Jam reliqua ejus doctrina quos fructus affert,
„ quam uberes, quam ſalutares! Docemur, exoriri
„ calamitates omiſſo veri Dei cultu, hæreſes gigni
„ Pontificis auctoritate contempta: qui virginita-
„ tem & pudicitiam colat, ei propoſita eſſe maxi-
„ ma in cœlo præmia: qui Eccleſiæ præſit, aperto
„ animo, ac ſimplici eſſe oportere, prudentia ta-
„ men ita tectum, ut inſidiis minime pateat com-
„ munis inimici. Plane omnes veterum Philoſo-
„ phorum libri præceptis referti comparandæ vir-
„ tutis, ſi cum Cypriani ſermonibus conferantur,
„ inanes, & pene pueriles videbuntur. Sumantur
„ in manus, quæ de Eleemoſyna, ac benignitate
„ literis mandavit: ſtatim omnes, ſi quæ reſident
„ in mentibus noſtris, avaritiæ ſordes exhauriri, &
„ infundi eximium erga pauperes amorem ſentie-
„ mus. Gravis eſt, & late patet invidiæ morbus?
„ at hic rationibus egregie curatur, ex intima Theo-
„ logia depromptis. Vexamur calamitatibus, &
„ ærumnis, quibus propoſita eſt humana vita?
„ præclaram audiamus Cypriani vocem ad pœni-
„ tentiam cohortantis, exemplo multorum allato,
„ qui nihil acerbum, aut malum præter culpam
„ unquam duxerunt, & cum illo immenſo ſempi-
„ ternæ vitæ lucro libenter omnes hujus exiguæ vi-
„ tæ fructus commutaverunt. Extat etiam ad Mar-
„ tyres, ut cum dolore pugnent, acerbiſſimisque
„ cru-

„ cruciatibus forti animo resistant, prudens, & „ pia cohortatio: deinde quod morte vitam quæsierint, & ex hostibus Dei victoriam reportaverint, „ amoris, & gaudii plena gratulatio. Neque vero „ aliter sensit, aut sui dissimilem se præbuit in ex„ tremo vitæ die: sed cum ita semper vixisset, ut „ obscure inglorieque decedere non posset, ita de„ cessit, ut hoc uno vel obscurissimam vitam illu„ strare posset. Multa prætereo, nec sane perse„ qui conor omnia, ne suscepisse hoc videar, ut „ Cyprianum debitis ornem laudibus, quod, ut „ ego sentio, pro ejus dignitate nemo, vel solus „ ipse præstare posset. „

Sixtus Senensis in *Biblioth. Sanct.* ait, Cyprianum, *postquam gloriose Rhetoricam docuisset, post non multum in presbyterum, & Episcopum Carthaginis electum, multa piissima opuscula, elegantissimæ phraseos, & Ciceroniano candori proximæ, ad ædificationem Ecclesiæ scripsisse.*

Cardinalis Bellarminus *de Scriptorib. Ecclesiast.* Cyprianum *virum eloquentissimum, & sanctissimum* vocat.

Cardinalis Baronius *ad annum* 250. hæc de sancti Doctoris eloquentia animadvertit. *Licet ejusmodi in dicendo, atque scribendo inierit rationem, ut non excrescentem modo facundiam circumcideret, ac resecaret, sed solo tenus demeteret; tamen tam latini, quam græci ejusdem facultatis omnium disertissimi eam sunt vehementer admirati.* Quod cum allatis testimoniis Lactantii, & Nazianzeni confirmasset, subdit; *Quod si post messem tanti æstimatæ sunt paucæ humi inhærentes spicæ residuæ; quanti facienda erat prima illa florentissima eloquentiæ seges, quam humanæ gloriæ spirans aura jucundissime agitabat?* &c.

Joannes de Bussieres in *Flosculis Historiarum* Cyprianum *Christi Rhetorem* appellat, qui, *cum Plotinus celeberrimus Platonicus, & auditor Origenis*

Romæ

Romæ doceret, ingenti mortalium plausu, longe melius Carthagine vera Christi doctrina suos imbuisset.

JOANN. FRIDER. GRONOVIUS Libr. *Observator. in Scriptor. Eccles. c.* 3. *Mirifice*, ait, *se semper delectatum beatissimi Martyris Cypriani scriptis.*

NATALIS ARGONENSIS *Part. III. cap.* 2. *Cyprianus*, ait, *eleganter, atque etiam ingeniose, acuteque scribit.*

NICOLAUS LE NOURRY * *Nemini*, inquit, *quantumvis parum erudito incompertum esse putamus, quis fuerit sanctissimus ille vir, qui Ecclesiam non solum vitæ sanctimonia, & effuso sanguine, sed suis etiam scriptis mirum plane in modum illustravit.*

ANSELMUS DESING ** & FRANCISCUS MANNHART *** Cyprianum eloquentia Ciceroni haud longe imparem audent dicere.

JOSEPHUS BINER *Part. XI. Apparat. pag.* 41. Cyprianum *oratorem summum* appellat.

Taceo alia innumera facundiæ ejus elogia; nam qui his contentus non est, adire eos poterit, quos magna copia, atque delectu infra ad calcem nominabimus.

CAPUT II.

Notæ peculiares.

De Cypriano Augustinus *Epistol.* 48. *nunc* 93. recte admonuit. *Stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci.* Etsi enim nec ipse omnino nihil africum habet, uti Erasmus in *Hilarium* dicit, **** tamen ceteris Afris ingenti sane intervallo præ-

* In *Apparatu ad Bibliothecam Patrum Tom. II. Dissertat.* 5. *cap.* 1. *art.* 2.

** In *compendio eruditionis Libr.* 2.

*** *Dissertatione* 7. *Theologica, &* §. 6. de *Antiquitatib. christianor.*

**** Vide præterea Morhofium de *Patavinitate Liviana cap.* 9. *& seq.* Daumium *Libr. de causis amissæ eloquentiæ.* Jacob. Pontanum *Philocaliæ Libr.* 1, *c.* 23. Dupinum in *Biblioth. nov.* Dodwellum in *Dissertationib. Cyprianic.* & Fellum in *Annotationib.*

præcurrit ejus ratio differendi, & enuntiandi. Porro characterem Cypriani ipse Augustinus *Libr. V. de Baptismo contra Donatistas cap.* 17. non infeliciter ita expressit: *Sed jam ad illa eloquia pacifica, Cypriani, hoc est ad epistolæ finem omnibus consideratis, pertractatisque perventum est: quæ me legentem, & sæpe repetentem non satiant. Tanta ex eis jucunditas fraterni amoris exhalat, tanta dulcedo charitatis exuberat.* Accedit sententiæ Hieronymus *Epist.* 13. *nunc* 58. *ad Paulinum: Beatus Cyprianus*, ait, *instar fontis purissimi, dulcis incedit, & placidus.* Item Cassiodorus *Loc. cit.* quando ait, eum *velut oleum decurrere in omnem suavitatem lingua composita.* Sed & Prudentius *laudato Carmine*, captus plane ea suada sic exclamat:

> Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
> Fontibus eloquii te cœlitus actus irrigavit.
> O nive candidius linguæ genus! o novum saporem!
> Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
> Sedem animæ penetrat, mentem fovet, & pererrat artus:
> Sic Deus interius sentitur, & inditur medullis.

Denique ex nostris Nicolaus Caussinus *Libro XIV. de Eloquent. Sacr. & hum. cap.* 23. *mellitissimum Doctorem* Cyprianum appellat. Et iterum Libro XV. *Jam martyrii purpura decorus orator Cyprianus, & quod de eodem dixit divus Augustinus, totus auro, & margaritis Egyptiorum, hoc est exterarum disciplinarum nitens, quas non habet eloquentiæ suavitates!* Hæc omnia de suavitate, & unctione incredibili, quæ deprehenditur in Cypriano, sunt verissima quidem, neque dubio locum relinquunt: verum partem duntaxat eloquentiæ ejus conficiunt.

Alia

Alia præterea Sanctus orator habet, claritatem dico, gravitatem, soliditatem, densitatem, ac efficaciam prorsus singularem.

Et de claritate quidem pulchre Joann. Franc. Picus Mirandulæ Comes *Libro III. Epist.* 10. In *Cypriano Plinii lenimina, Apulejanæque illecebræ, & Ciceronis non filus, sed perspicuitas.* Hæc vero perspicuitas tanto majorem juxta Erasmum * laudem habet, quod est Afrorum minime propria, ut dictum alias, & deinceps dicendum. Licet ergo Tertullianum non imitaretur tantum Cyprianus, sed legeret quotidie, tantum abest, ut aliquid obscuritatis ejus contraheret, ut potius lumen tenebris illis quam maximum inferret. Notarunt hoc plurimi, & ex merito commendarunt. Nobis hoc loco sufficit Cardinalis Bona, qui in *Notitia auctorum* Cyprianum non floridum modo, suavem, doctum, & efficacem ad persuadendum agnoscit, sed addit præterea, quod Tertullianum *sic sit in quibusdam opusculis imitatus, ut stylo clariore, & elegantiore uteretur.* Verum de hoc fusius, quando, qua ratione Patres imitandi sint, *Libro IX.* ostendemus.

Quod vero gravitatem, densitatem, & soliditatem, quamque ab his consequi necesse est, efficaciam spectat, non est obiter a nobis, vel jejune pertractandum. Hieronymus Platus in Patribus legendis diligentissimus præter dulcedinem illam puritati & copiæ consertam, orationem Cypriano tribuit *plenam dignitatis, & ponderis* **.

Abbas Ladvocat in *Lexico histor.* *Cyprianum*, inquit, *unum esse ex Patribus, qui latinius scripserunt. Stylum ejus masculum* vocat, *eloquentem, gravem, sublimem, dignumque christiana majestate*: præterea ait, *accedere ad naturam, nihilque habere declamatorium.* Con-

* In *Præfatione* sæpius allegata.

** *Libr. III. de bono status Religiosi cap.* 11.

„ Nihil in hoc reperies, quod ad oſtentationem „ ingenii videri poſſit adſcitum, aut quod ullo pa- „ cto vafritiem ſapiat, quæ non abeſt Hieronymo. „ Talis ubique ſermonis habitus eſt, ut loqui ſen- „ tias chriſtianum Epiſcopum, ac martyrio deſtina- „ tum. Pectus ardet evangelica pietate, & pietati „ reſpondet oratio: loquitur diſerta, ſed magis „ fortia, quam diſerta, neque tam loquitur fortia, „ quam vivit, ut ipſe meminit alicubi. Huic nimi- „ rum perſonæ magis congruebat dignitas, quam „ lepos; etiamſi locis aliquot declarat, ſibi non de- „ fuiſſe naſum, ſicubi res ita poſtulaſſet, velut ubi „ ſalſiſſime ridet hæreticum quemdam, qui nega- „ bat, Cyprianum habendum pro Epiſcopo: deinde „ cum refellit eos, qui non merſos, ſed aſperſio- „ ne aquæ baptizatos in periculoſis morbis non „ Chriſtianos, ſed *Clinicos* cenſebant appellandos. „ Nam hic præter perpetuam illam jucunditatem, „ ſanguinis in morem per omne corpus ſparſam, „ jocis etiam, ac dicteriis utitur. In una duntaxat „ Epiſtola, cujus initium eſt: *Bene admones Do-* „ *nate*, non nihil luſit apparatu, pompaque ſer- „ monis. Unde & Auguſtinus comptæ, jucundæ, „ ſplendidæque dictionis depromit exemplum. „ At nempe, quod huc omnes ſe referunt, Auguſti- num ipſum, ubi ea de re loquitur, audire debemus. Sanctus Doctor Cypriani, ut dicebam, ſtudioſiſſi- mus *Libr. IV. de doctrina chriſtiana c.* 14. admonens, *in populo gravi nec illam ſuavitatem delectabilem eſſe, qua exigua, & fragilia bona ſpumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna, atque ſtabilia decenter, & graviter ornarentur*, hæc ſubdit: „ Eſt tale ali- „ quid in epiſtola beati Cypriani, quod ideo puto „ vel accidiſſe, vel conſulto factum eſſe, ut ſcire- „ tur a poſteris, quam linguam doctrinæ chriſtia- „ næ ſanitas ab iſta redundantia revocaverit, & ad „ eloquentiam graviorem, modeſtioremque reſtrin-

„ xerit, qualis in ejus consequentibus literis se„ cure amatur, religiose appetitur, sed difficillime „ impletur. Ait ergo quodam loco: *Petamus „ hanc sedem; dant secessum vicina secreta, ubi dum er„ ratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines „ bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fece„ runt* *. Non dicuntur ista, nisi mirabiliter af„ fluentissima fœcunditate facundiæ, sed profusione „ nimia gravitati displicent. Qui vero hæc amant, „ profecto eos, qui non ita dicunt, sed castiga„ tius eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, „ non judicio ista devitare. Quapropter iste vir „ sanctus & posse se ostendit sic dicere; quia di„ xit alicubi: & nolle, quoniam postmodum nus„ quam. „ Itaque video passim velut exemplum proponi Cyprianum, quando de gravitate, & efficacia sermonis præcepta dantur a dicendi Magistris. Nicolaus Caussinus **: *Inter Latinos*, ait, *magnam habet dicendi gravitatem sanctus Cyprianus, qui profecto mihi videtur post illam ad Donatum epistolam mollioribus adhuc luxuriantem cincinnulis omnes dicendi veneres abjecisse, totumque se ad severius dicendi genus elimasse.* Dein specimina ex eo petit cum illo ipso, tum sexto capite, qualia maxime vellem ut alias quoque eodem delectu adduxisset. Quærit dein, ista cujus spiritus sint? videri enim sibi quot verba, tot spargi fulmina, sensus esse graves, & heroicos; nihil Cyprianum admittere, quod dicendi gravitatem atterat, & ex Episcopo faciat Sophistam: generosas esse ejus insectationes, &, si quæ sint figuræ dictionis, fluere sine ulla affectatione: verba esse gravius anhelata, orationem adamantinam, quæ perrumpere amet saxa potentius ictu

---

* Loquitur de vitibus tempore autumni.

** *Libr. XVI. c.* 23.

ictu fulmineo: præludere eum fulmini, mox erumpere &c.

Atque ista sufficere hic possunt; satis enim ostendunt, nihil eorum Cypriano defuisse, in quibus characterem scriptionum ejus situm dicebamus. Jure autem repetimus postrema verba Lactantii, primo capite inter elogia allegati, ubi ait: *Discerni* non posse, *utrumne Cyprianus ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Quod si ille discernere nequivit, & pronuntiare, qua maxime harum dotum sanctus Doctor excelleret, tanto magis mihi danda est venia, si ob rei difficultatem non ita plene, cumulateque id præstiti, quam aut lector expectasset, aut ipse etiam voluissem.

Superest, ut cum Cardinali Federico Borromæo * concludamus. Hic enim, qui Patres non minus, quam ævi sui concionatores nosset, characterem Cypriani ita expingendum sibi sumit, uti eundem sanctissimum virum gravibus simul verbis velut exemplar sustollat, quod omnes, maxime juniores, cum dicunt ad populum, respicerent perpetuo, & contemplarentur. Verba illius hæc sunt: *Orator est succosus, brevis, abundans varietate pulcherrimarum rerum, & sæpe vivax, nervosus, acutus, ac denique talis, ut si quis hunc sibi proponeret imitandum, summam facile laudem in suggestu posset invenire. Certe licet admirari, quid sit causæ, quamobrem in tanta copia, tot exemplis ornandæ graviter orationis malint homines eligere data opera, veluti per aberrandi dulcedinem, nova quædam, & a consuetudine communis sensus aliena, penitusque vitiosa, & absurda.* Et *infra* iterum: *Si quis erit igitur amplificandæ orationis incuriosus, atque tardior ad inveniendum, & rerum, atque verborum inops, nec ea fœcunditate, quæ cernitur*

* *Libr. V. de sacris oratorib.*

in multis, poterit ille meo judicio diligenter, & attente pervolutare Cyprianum, atque ita nativam ingenii sterilitatem evincet.

CAPUT III.
Ubi potissimum illa eloquentia resplendeat?

Eloquentissima haud dubie, maximeque elaborata, & oratoriis omnibus luminibus ornata est *Epistola* 1. *alias* 2. *ad Donatum*, de qua jam supra fuit mentio injecta. Etsi vero nemo negat, esse ibi paucula, quæ gravius aliquanto dici potuissent, facile tamen, imo splendide excusata sunt. Diximus enim, phaleras adhibuisse Cyprianum conversionis initio, ubi & ipse nondum omnes posuerat, & Donatus familiaris ejus eloquentiæ perquam studiosus pro veteri amicitia etiam expectabat. Ita plerique Epistolam hanc ceteris omnibus quemadmodum tempore, sic facundia præponunt. Maranus *in Vita* §. *III.* ait: „ Summa quidem elucet eloquentia in „ aliis operibus Cypriani: inest gravitas sententia- „ rum, ac verborum splendor, sed epistola ad „ Donatum tanto artificio composita est, & tam „ elegantibus ornata picturis, ut ea tempora mi- „ nime redoleat, cum Cyprianus in maximis rebus „ gerendis, & differendis occupatus jam non ex- „ quisitas venustates elaboraret, sed orationis divi- „ tias sine fuco, sine pigmentis funderet. „

A qua sententia recedendum mihi tantisper video. Ut enim ingenue fatear, quantumcunque delectet me, & vix non fascinet ea epistola: nihilominus, quod eandem cum aliis contuli sæpissime, tantum tamen abest, ut omnibus Cypriani opusculis superiorem ausim dicere, ut potius inter ipsas adeo epistolas inveniam, quæ istam haud parum antecellit. Est autem nunc LV. ad Cornelium Papam notissima illa quidem, sed de cujus facundia

tam

tam pauci commemorant, ut non possim satis admirari. Me cum primum legissem, neque putarem, melius quid illa ad Donatum inveniri posse, sic rapuit, tamque augustam sui imaginem in animo reliquit, ut repeterem eam identidem, prælegerem aliis, & pluribus post diebus necdum a jucundissimæ rei sensu me plene colligerem. Hic enim vero videas Christianum Demosthenem, uti jam alias Libro primo ex Rollini sententia dicebam: hic apparet, qualis, & quanta sit eloquentia Patrum, humanis juxta, ac divinis præsidiis instructa, & adornata. Recte de illa Epistola Suyskenus ait, hic *invictæ præsertim constantiæ, animique magnitudinis indicia reliquisse* Cyprianum, *& ipsum sacerdotales dotes, ac virtutes suas in ea graphice depinxisse.* Addere debebat, nihil simile in hoc genere legi apud antiquos, ne profanos quidem.

Quoniam vero nunc de *Epistolis* loquimur, ut ordine res agatur, non est recedendum ab illis, atque alio dilabendum. Inter has ergo præterea eminent

Quinquagesima secunda.
Quadragesima.
Trigesima quarta.
Decima sexta.
Nona.
Quinquagesima sexta.
Sexagesima secunda.
Sexagesima quarta.
Sexagesima quinta.
Sexagesima Nona *.

 Unde-

* Hæc Satyrica est, pungitque acerrime, ac Ironiam mordacissimam ita dextre urget, ut in arrogantis illius viri genium non posset magis convenire. Atque hæc una cum illa, quæ proxime antecedit sunt duæ illæ, quas supra a sale, & acrimonia Erasmus laudavit.

Undecima.

Septuagesima septima.

Octogesima prima.

Quinquagesima septimá.

Ex Libris anceps iterum electio est, uter utri præferendus videatur. Mihi præplacet *Liber de Lapsis*, apud veteres identidem laudatus. Ruffinus *Histor. Eccl. L. VI. c.* 34. ait, *Cyprianum de his* (Lapsis) *Librum magnificentissime scriptum edidisse, in quo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse a Christi visceribus statuat.* Ludovicus Granatensis *Libr. VI. de ratione concionandi c.* 10. *n.* 3. „ Legat, qui volet, inquit, divi Cypriani „ sermonem de Lapsis, & dubitare nemo poterit, „ quid in eo magis mirari debeat, an summam elo„ quentiæ vim, an flagrantissimum charitatis, & „ pii doloris affectum, quo miserandum lapsorum „ casum & ruinam mœstissima oratione lamentatur. „ Ars enim diuturna consuetudine in naturam quo„ dammodo versa, & intellectus jam pridem artis „ præceptis imbutus non tam ex arte, quam ex „ se ipso, quæ dicenda sunt, arte inconsulta pro„ videt, ideoque non modo divino spiritui men„ tem hominis agenti, atque inflammanti non ob„ sistit, sed & illi ministerium vocis accommodat, „ ut flammas suas verborum copia suffragante fo„ ras emittat. „ Gaspar Barthius *Libro XLVI. cap.* 17. opusculum hoc *aureum Librum* vocat. Mitto ceteros laudatores. Stylum liber ille habet si quis alius elegantem, ac oratorium, gravitatem vero spirat paternam, & constantiam pastoralem, ex qua simul flagrantissima charitas, & piæ commiserationis affectus eluceant.

Secundo loco ponendus est *Liber de Mortalitate*, luculenta plane oratio, in qua suos in exitiali lue, strageque corporum sic Cyprianus animat, ac erigit, eam in differendo vim, eum delectum sententiarum

tiarum expromit, ut nihil majus præstare in eo argumento vel principes oratorum possint *Præstantissimum librum* vocat Maranus. Suyskenus vero, cum dixisset, docere illum, nec mortem aliorum deflendam, nec suam timendam, sed desiderandam, addit: *Id autem eo argumentorum pondere, ea sermonis gravitate simul, & suavitate, iisque sententiis executus est, ut nihil præterea in hoc genere merito desideres, nec minus viri eloquentiam, quam pietatem, ac religionem mireris.* Denique infra, cum locos ex eo quosdam recensuisset, ita concludit. *Æquo longior essem, si singula Sanctissimi Præsulis hujusmodi eximia sensa prosequerer.*

Atque utinam priorem illum sermonem haberemus, quo Cyprianus suos hortatus est, uti in eadem calamitate Ethnicos a suis desertos ipsi ne desererent. Pontius enim, qui & compendium ejus aliquod dat, multa & quidem magna præterire se ait, *de quibus hoc tantum dixisse satis sit, quod si illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent.* Addit autem effectus ejus publicos, & salutares apud omnes ordines continuo apparuisse: distributis inter se charitatis officiis nec pauperes quidem cessasse; verum quod facultatibus deerat, compensasse laboribus: & cum Tobias necatos a Rege, & projectos sui tantum generis colligeret, fideles, tanto doctore, id hostibus quoque suis, & persecutoribus impendisse. Quam stupenda sermonis efficacia, qua Sanctus Orator id perfecit, ut Christiani, quantum in ipsis erat, spreto etiam præsentissimo discrimine, illis vitam conservarent, per quos minime steterat, quo minus Christiani omnes non siccam tantum mortem obirent, verum torti crudelissime, & excarnificati necarentur!

Sequitur *Tertius* meo judicio *Liber de Disciplina, & habitu Virginum.* Hunc Suyskenus dicit *insigne opus, auctore suo dignissimum;* sed & ipse Hierony-

mus *Epist.* 8. *nunc* 130. *ad Demetriadem* & *iterum* 22. *ad Eustochium* vocat *volumen egregium*. Recitavit ex eo locum etiam Augustinus *Libr. IV. de Doctrin. christ. c.* 21. Imitatur autem S. Doctor Tertullianum Libris de *Virginib. velandis*, de *habitu muliebri*, & præsertim de *cultu fœminarum*; idque præstat tam egregie, ut optandum summopere esset, illum loco libellorum precatoriorum hodieque in Virginum manibus perpetuo versari. Neque id meum, sed divi Hieronymi consilium est, qui opusculum hoc præ ceteris omnibus quam commendatissimum illis cupit. Ait enim *Epist.* 7. *nunc* 107. *ad Lætam*, cui præcepta dat ad filiolam recte educandam: *Cypriani opuscula semper in manu teneat.*

Quartus non minus celebrandus Liber *de opere, & Eleemosynis*, qui locos sane admirabiles habet, & vel tenacissimum lectorem ad fœnerandum Domino, & stirpem pauperibus largiendam emollire potest.

Quinto loco laudandus venit *Tractatus de Oratione Dominica.* Maranus vocat *præstantissimum Cypriani opus.* Suyskenus *opus præclarum*, & Sixtus Senensis supra relatus *sanctæ, ac venustæ brevitatis explanationem.* Gaspar Barthius *Libro LVIII. c.* 5. de eo loquens: *Quo libro*, inquit, *nobiliorem non habet tota Latina Christiana antiquitas.* Et jam Cassiodorus de *Instit. Div. Lit. c.* 19. *Inter alia*, ait de Cypriano, *quæ nobis facundiæ suæ clara monimenta dereliquit, in expositione orationis Dominicæ, quæ contra subrepentia vitia velut invictus clypeus semper opponitur, libellum declamatoria venustate conscripsit.* Sanctus vero Hilarius *Can.* 5. *in Matth.* ita æstimabat hanc scriptionem, ut nihil porro addendum ei existimaret. Verissima sunt hæc elogia, verum illud Marani & Barthii non tam de facundiæ eminentia, quam aliis prærogativis intelligendum est.

Sum-

Summam quoque laudem merentur Libelli duo contra Gentiles, quorum unus de *Idolorum Vanitate*, alter ad *Demetrianum* inſcribitur. Et de primo quidem Hieronymus *Epiſt.* 84. *ad Magnum Oratorem Roman. nunc* 70. exclamat: *Cyprianus, quod Idola Dii non ſint, qua brevitate, qua hiſtoriarum, omnium ſcientia, quo verborum, & ſenſuum ſplendore perſtrinxit!* Fuſius de eo Gaſpar Barthius *Libr. XLIII. Adverſar. cap.* 24. Maranus, & ante ipſum Pamelius, aliique adverterunt, compendium quoddam Tertulliani, & Minutii Felicis illud eſſe. *In quo* (verba Marani ſunt) *multa imitatione expreſſa, nonnulla etiam totidem verbis translata occurrunt ex Libris Tertulliani adverſus Ethnicos, & ex Dialogo Minutii Felicis.* Sed hæc ipſa cauſa eſt, cur aliis præponere illum nequaquam licet; laudis enim non minima pars in eum, cujus inventio eſt, derivatur. Atque iſtuc etiam in Librum de *Bono patientiæ*, & in Librum ad *Demetrianum* dictum velim. Verum alia præterea cauſa eſt, cur hujus opuſculi mentio a nobis inſtituatur. Hoc enim multi non ſolum in poſtremis habent, ſed aperte etiam calumniari ſolent. Equidem acerbitas quædam in eo ſe prodit, non nego, verum ab homine blaſphemo, & effrænis maledicentiæ ſæpiſſime provocata. Adde, quod minime compertum eſt, quis Demetrianus ille, adverſum quem Sanctus Præſul id conſcripſit. Niſi enim Præfectus vel ex Magiſtratibus quiſpiam ille fuerit, nihil jam obſtabat, quo minus acrius ſcribere vir ſanctus poſſet, & ſceleſtum illum graviſſimis etiam verbis a maledicendo abſterrere. Quod vero Lactantius *Libro V. divinar. Inſtitut. c.* 4. dicit, Cyprianum in eo non uti argumentis, quæ ad hominem eſſent (quod & Hieronymus Epiſt. ſuperiore ad Magnum refert, & in medio relinquit) facilem, neque incommodam admittit reſponſionem. Quid enim prohibet dicree-

Cyprianum in communi calamitate firmare potius christianos voluisse, hominis intemperie perculsos, quam ipsum ad fidem pertrahere? Hac vero ratione rectissime ex Vaticiniis ostendit, famem, & pestem a sceleribus, non vero ab Evangelio provenire *.

Superest de *Zelo*, *&* *Livore* libellus. Augustinus fortitudinem in eo, & gravitatem commendat; sed & populis notum fuisse dicit **. Hieronymus quoque *in cap. V. Epistolæ ad Galatas Librum valde optimum* appellat. Et profecto argumentum ad eam diem novum egregie Cyprianus pertractat, atque diducit. Verum, ut candide loquar, stylus ipse neque tam lucidus est, ac lenis, ut alias solet, neque numeros, & sonitum illum oratorium Cypriano proprium semper habet.

De suppostitiis, aut dubiis agere non est mei instituti, id tamen monuisse nunquam pœnitebit, vel inter ea, quæ Cypriani perperam dicuntur, esse nonnulla sane eleganter, & egregie scripta. Apposite Erasmus, ubi mentionem de illis facit, in Præfatione toties laudata ita habet: *Ut Cypriano cum ceteris scriptoribus est commune, quod ipsius lucubrationibus multa sint aliorum admixta: ita hoc fuit Hieronymo felicior, quod hujus voluminibus multa sint inspersa prorsus indigna lectu, Cypriano nihil adscriptum nisi doctum, & a magnis viris profectum.*

Qui propius Sancti Doctoris genium & stylum attigerunt, sunt *Liber de Spectaculis*, & *Liber de Pudicitia.* Et hunc quidem Pamelius & Bellarminus genuinum putant Cypriani fœtum: nec indignum ceteri censent, qui ei tribuatur; ex styli tamen

* Vide Baronium ad *annum* 256, qui censuram Lactantii gravibus argumentis revincit. Sed neque alii desunt ex recentioribus quoque Criticis, qui idem faciant.

** *Libr. IV. de Baptismo contra Donatistas cap.* 8.

men diverſitate quadam alteri cuidam, antiquo tamen auctori, adſcriptum volunt. Ille quoque de Spectaculis germanus Pamelio viſus eſt. Suyskenus, qui *librum inſignem* dicit, vero ita pronuntiat: *Sed & ſtylus libri ad Cyprianicum non parum accedit, ut nonnullis nonniſi perparum ab illo diſcrepare videatur. Fatendum tamen, hanc ſtyli differentiam minime dubiam eſſe Cyprianum legere aſſueto. Neque enim reperire hic eſt eam dicendi vim, & efficaciam ipſi tam propriam, nec ſacrorum textuum uſum, quo in operibus ſuis mirum in modum excelluit.* Dudum ex guſtu, ac ſaliva idem judicium tulit Theophilus Raynaudus, & quidem, niſi memoria me fallit, de utroque libello. Maranus ait: *Non indignum opus Cypriano liber de ſpectaculis, ſive eloquentiam ſpectes, ſive evangelicum vigorem . . . Et quamvis ex his, qui inter Cypriani opera editi fuerunt, nullus ad ſancti Martyris ſtylum propius accedat: ineſt tamen quædam diſſimilitudo, quam aures legendo Cypriano aſſuetæ, & contritæ facile percipiant.* Paucis dicam, vix quisquam eſt hodie, qui hac in parte cum Pamelio ſentiat, vel ſolo etiam ſtylo conſiderato: ſed neque legiſſe me quemquam memini, qui neget, hunc & ſuperiorem librum ejusmodi eſſe, ut juvari inde eloquentia ſacra poſſit, & cui ipſe Cyprianus nomen illud ſuum quam libentiſſime commodaret.

Librum de *Singularitate Clericorum*, ſi paulo latinius ſcriptus eſſet, inter præcipua eloquentiæ ſpecimina ego reponerem. Laudant eum paſſim auctores, eſtque factus ad eas conciones, quibus occaſiones peccandi propiores inſectari debemus.

Expoſitio Symboli, quam Maranus *eximium opus* vocat, Ruffini eſt juxta omnes, & caput operum ejus; adeo ut miratus ſim haud ſemel, auctorem illum ſcribere ita potuiſſe. Theophilus Raynaudus *Tom. XI. de juſt. & injuſt. confix. libror.* ait: *Explicationem Symboli Apoſtolorum ſua concinnitate, & elegan-*

elegantia se commendare. Imo ea de causa dubitare videtur, num alterius cujusdam Ruffini sit, quam Aquilejensis. Pamelius in argumento: *Expositionem*, ait, *Symboli Apostolorum a nominis definitione auspicatus Ruffinus latissime singulos illius articulos explicat, ac utriusque Testamenti Prophetiis, scripturisque pulcherrime confirmat.* Addit, non immerito sibi videri Gennadium * primas illi hac in re tribuere. Monet tamen, errare eum in Canone Scripturarum recensendo. Verba Gennadii sunt: *Proprio autem labore, imo gratiæ Dei dono exposuit idem Ruffinus Symbolum, ut in ejus comparatione alii non exposuisse videantur.* Etsi vero Ruffini partiarius est Gennadius, totusque ab eo stat, & miris hominem laudibus cumulat, de hoc tamen illius opere recte censuit. Sentit cum eo Erasmus ipse *Præfat. in Catechismum suum Tom. V. pag.* 944. Ipse eo afficior quam maxime, neque satis commendare eundem catechistis possum, imo & ceteris concionatoribus, quoties fidei mysteria populo explicare aggrediuntur.

In Sermonibus quoque de *Cardinalibus Christi operibus*, qui Arnoldi bonæ vallis sunt, locos sæpe invenire est, qui gratiam, & facundiam spirent singularem. Id quod ante me plures, & idonei sane testes adverterunt. Placuerunt maxime Theophilo Raynaudo, qui & auctorem detexit, & allegavit frequentissime. Quod præcipuam in illis laudem meretur, est sapientia quædam minime obvia, Theologiæ intima cognitio sensuum vero sublimitas singularis, imo & verborum: etsi stylus ipse scaber dici debet, tumidus, nec raro ambiguus, atque obscurus.

Liber

* *De Viris illustribus.*

Liber *contra Novatianos* non habet quidem phrasin Cypriani, sed contemni plane non debet, etiam ab eloquentiæ studiosis.

Sed quid Liber de *laude Martyrii*? Erasmus, Dupinus, & Fellus pro otiosi declamatoris fœtu habuerunt. *At profecto*, ait Maranus, *æquius judicandum erat de eximio opere, ad cohortandos Confessores composito non sine vivido quodam pietatis ardore, quem frigidus verborum artifex non facile imitetur* &c. Suyskenus *præclarum opus* vocat, *stylo oratorio magisque elaborato, quam indubitata Sancti opuscula, si* EPISTOLAM AD DONATUM *excipias*. Pamelius sublime dicendi genus, pulchras item similitudines, & poëticum quemdam modum in eo agnoscit. Verum etsi ob phrasin operosam, & implicatiorem Cypriani non esset hic liber, habet ille alia sane ejus argumenti, præsertim in epistolis, multo præstantiora, *uti* 52. 81. 9. *&c. De numero Sanctorum Patrum*, ait Jacobus Pontanus *Philocaliæ Libro III. cap.* 11. *nullus est præter Cyprianum, cujus de Martyrio & Martyribus tam crebra, tam honorifica, tam inflammata oratio. Ut carceribus propter Christi confessionem inclusos celebrat! ut variis casibus, & ærumnis ejusdem causa jactatos deprædicat! ut ad quævis supplicia animo prompto perpetienda exsuscitat! ut cruciamenta, & carnificinas constanter expertos dilaudat! ut huic sacro certamini nihil confert! ut huic cœlesti triumpho nihil anteponit!*

Hæc de Cypriano profanæ olim eloquentiæ Magistro, nunc sacræ & Patrono, & Doctore, qui postquam plurimos mortales velut incentivo tubæ cœlestis animaverat, totque ante se Martyres præmiserat, demum præclara illa, atque eximia scripta sanguine etiam suo obsignavit. Plura dabunt ad hæc illustranda cum illi, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo agunt, tum editores ejus Rembolius, Morellius, Pamelius, Rigaltius, Fellus, Baluzius, seu potius Maranus, & qui gallice vertit Lombertus. Accedunt ex veteribus Pon-

Pontius Diaconus vitae Scriptor *num.* 3. 13. & 14. Auguſtinus Sermonibus *nunc* 310. 312. & 313. *alias* 113. 116. & 114. *de diverſis.* S. Maximus *hom.* 2. *in Natali beati Cypriani.* S. Ennodius in *hymno de S. Cypriano.* Ex Recentioribus Scholiaſtes Auguſtini in *Librum ejus IV. contr. duas Epiſt. Pelag. ad cap.* 8. Gervaſius Abbas Trappenſis *in vita*, Dodwellus in *Diſſertationib. Cyprianic.* Bailletus *in vitis SS.* Suyskenus in *actis SS.* Quo magis miranda eſt Petri Criniti impudentia, in tanto oratore, quem omnia Sæcula, quem oriens, & occidens admirati ſunt, in quo ipſe Lactantius tantum facundiæ, & lenitatis reperit, quem Græci transfuderunt in linquam ſuam, cujus editiones inde a typorum incunabulis ingenti numero repetitæ ſunt, in hoc, inquam, ſermonis duritiem, & quæ non alia? criminantis. Equidem ſiſtendus tantiſper is Auctor fuit, neque permittendum, uti impune abiret hoc loco, atque inultam aufferret dicacitatem ſuam. Et jam paraveram lixivium, acre illud, & calens, nec ei abſimile, quo hominem aliquando Erasmus prolixe perfudit. Venerat Crinito in mentem, uti contra Hieronymi latinitatem quædam muſſitaret. Iſtuc vero Erasmo, qui cenſoriam melius callere ſe exiſtimabat, intolerabile viſum, quare ut dixi, probe tinctum, lautumque depexuit ad vivum. Ego vero, quod operæ pretium nullum viderem, aliter apud me decrevi. Nempe non erat iis moribus Crinitus, eoque genio, uti magnis viris accedere ſemper, & ſentire cum iis poſſet, minus vellet. Dein tantum non eſt nomen ejus, ut vel minimum Cypriani luminibus officiat: denique lectores dudum amiſit. Prætereamus ergo illum, neque reſpiciamus, quemadmodum facere catellis conſuevimus, ſi qui forte vehementius latrare occœperint. Stabit Cypriani fama, & tamdiu in pretio erit, donec græculi & ſugillatores non dico meliora proferant, ſed vel paria duntaxat auſi ſint.



DIS-

DISSERTATIO III.

De Eloquentia LACTANTII.

CAPUT I.

Quid de ea viri eloquentes senserint?

Lucius Cœlius (seu Cæcilius) Lactantius Firmianus Arnobii Rhetoris discipulus fuit: tantumque eo Doctore profecit, ut & ipse adhibitus ad docendum, magnam in eo munere celebritatem inveniret. Causas vero, quas aliqui egisse eum dicunt, nunquam attigit, neque litibus, & contentione illa forensi involvi se est passus. Cujus rei ipsummet, idoneum utique testem habemus. Nicomediam, quæ Diocletiano regnante Imperii sedes fuit, ad Rhetoricam tradendam accitus, domicilium ibi fixit. Verum ob paucitatem discipulorum, qui in Græcia * latinum præceptorem minus requirebant, posita docendi provincia ad scribendum se contulit. Postea (neque enim latere vir tantus poterat) in Galliam a Constantino Magno evocatus est, ut Crispi Cæsaris primam ætatem moderaretur, eumque & latinis literis, & nobilioribus aliis scientiis informaret. Atque ibi verisimile est, libros eum suos edidisse, tam nitide, pure, & æquabiliter scriptos, ut non ab Afro, non ab ærea illa ætate, sed media ex urbe, ipsoque Augusti ævo profecti videri possint. Certe nihil simile Ecclesiastica Bibliotheca haberet, si vel posterioribus sæculis scripsisset Lactantius, vel ætatis suæ errores evitare potuisset. Verum de hoc suo loco infra dicetur:

* Non quod græcam nesciret Lactantius, sed quod latinam profiteretur. Græce enim doctissimum fuisse, atque auctores linguæ hujus legisse studiose, ex libris ejus omnibus ubique elucet.

cetur: nunc magnorum hominum testimonia recensenda sunt, ex quibus, qua eloquentiæ fama, qua apud omnes existimatione Lactantius fuerit, plenius, faciliusque cognosci a lectoribus nostris possit.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS in *Chronico ad annum* 318. *Crispum*, ait, *Lactantius latinis literis erudiit, vir omnium suo tempore eloquentissimus.*

S. HIERONYMO, ut alia hic prætereani, *Epist.* 13. *nunc* 58. *ad Paulinum* Lactantius dicitur *quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ.*

S. AUGUSTINUS *Libro II. de doctrina christiana cap.* 39. digito in Lactantium intento ostentat spolia, opesque ingentes literarum, quibus onustus ille ex Egypto exierit, ad tabernaculum novi fœderis exornandum.

S. EUCHERIUS *Parænesi ad Valerianum* inter *clarissimos facundia* Doctores primo loco Firmianum ponit.

Ex Recentioribus, sive illis, qui post restauratas bonas literas scripserunt, FRANCISCUS PETRARCHA Lactantii singularis, & æquissimus æstimator fuit. Nam *Invectiva in Medicos Libro* 1. *ad finem* Lactantium *virum* vocat & *Poëtarum*, *& Philosophorum notitia*, *& Ciceroniana facundia*, *& quod cuncta transcendit*, *catholica religione clarissimum.* Item *Libro* 2. *de otio Religiosorum*, *magnum virum*, *& exundantem lacteo torrente* appellat.

ANTONIUS RAUDENSIS Minorita, vir non indoctus, & si quis alius latinus, verum Lactantii juratus hostis, in *Proœmio Dialogor.* ad *Eugenium VI.* Papam, quibus Lactantium proscribi cupiebat, „ Lactantii, inquit, Firmiani divinas Institutiones, „ Beatissime! cum propter dicendi summam ele„ gantiam illam, summamque suavitatem suam: „ ubi nulla prorsus affectata eloquentia, nulla ser„ monis præparatio inesse perspicitur, tum impri-

„ mis

„ mis ob illius doctrinam gravissimam, qua Christi „ Jesu veri Dei nostri causam adversus Gentes pro „ sua virili portione tutari conatus est, & sæpe, & „ lubenter lectito. Pascuntur enim mirum in mo„ dum legentium aures, nutritur & animus, dum „ orationis splendorem, & ornatum, summamque „ simul gravitatem animadvertentes intelligunt. „ Tanta est enim apud illum virum loquendi faci„ cilitas, tanta humanarum, divinarumque rerum „ & disciplina, & eruditio, ut plerique omnes ex „ his, qui tempestate hac nostra eloquentiam pro„ fitentur, novique Cicerones quidam prædicari „ gestiunt, cum illum degustaverint, sese ineptis„ simos homines quosdam judicent, & ab eloquen„ tia exules omnino esse se sentiant, orationem „ suam, utpote plebeiam, ac pene infantem dam„ nent, illam vero summe probent, summe ad„ mirentur, ac summis laudibus ad cœlum tol„ lant &c. „

NICOLAUS ARCIMBOLDUS Jurisconsultus, & Ducis Mediolanensis Consiliarius *eodem opere pag.* 24. defendens Lactantium, & cum Raudensi, quem diximus, tum Candido Decembri Grammatico contradicens: „ Firmianus noster, inquit, seu pace, „ seu bello dixerim eloquentissimorum virorum, „ si Arpinatem unum & Patavinum * excepero, „ semper mihi visus est facile princeps. „ Et infra. „ Habesne Candide, quem Lactantio aut oratio„ nis cultu, aut sententiarum copia præficere possis? „ Ciceronem certe scio, statim asciveris? cedam. „ Non tamen Lactantius statim pusillus est, si Ci„ cerone maximo non multo minor est. Livium „ attuleris? fatebor. Vide tamen, quam multis, „ qui antea, & post illum floruerunt, ipse unus „ ex-

* Ciceronem & Livium.

„ excellat, qui a duobus duntaxat eloquentissimis „ vincitur. „ Denique brevi post: „ Parum dixi, „ & pro laude tanti viri omnis mea laus inferior. „ Itaque hoc unum mihi persuadeo, ita credo, „ & sentio, Lactantii gloriam eam esse, quæ ne- „ que meis laudibus crescat, neque tua, aut alio- „ rum impugnatione minuatur. „

LEONARDUS ARETINUS *Epist. ad Constantiam Sfortiam*: *Maxime vero*, ait, *inter omnes, qui de christiana veritate scripserunt, longe eminet, & excellit nitore quodam ac copia Lactantius Firmianus, vir omnium christianorum procul dubio eloquentissimus, cujus libros lege quæso, si literas amas.*

FRANCISCUS PHILELPHUS *Libro V. Epist.* 20. Lactantium *virum doctissimum, atque disertissimum* dicit.

JOANNES TRITHEMIUS *Libr. de Scriptorib. Ecclesiast.* Firmianum Lactantium *virum* affirmat *in sæcularibus literis abundanter doctum, divinis Scripturis nobiliter institutum, ita ut in arte dicendi post Ciceronem facile obtinuerit principatum:* Addit, *Rhetoricen primum Nicomediæ, deinde Romæ sub Diocletiano, ab eodem vocatum, docuisse, multaque præclara volumina scripsisse.*

JOANN.BAPT. PLATINA *in Eusebio I. Qua in re* (in scribendo scilicet) *tantum valuit, ut post tempora Ciceronis ab eo secundus habeatur.*

JOANNES FRANC. PICUS MIRANDULANUS *Libro I. de stud. div. & hum. Philos. cap.* 7. *Quis*, inquit, *apud nos non videat esse Ciceronem, sed christianum, hoc est aliquem, qui eum ad lineam, unguemque expresserit? quis enim non advertit Lactantium Firmianum æquasse ipsum, & forte præcelluisse in eloquendo?*

LUDOV. CÆL. RHODIGINUS *Antiq. Lect. Libr. VI. cap.* 18. *Lactantius*, inquit, *inter christianæ veritatis assertores eloquentia maxime illustris.* Rursum *Libr.*

Libr. IX. cap. 12. *virum doctissimum, & de christiana veritate optime meritum* vocat.

JOANNES BAPTISTA PIUS *Annotat. cap.* 98. Lactantium Firmianum illustri vocabulo *maximum religionis veræ propugnatorem* appellat.

FRANCISCUS FLORIDUS *Subseciv. lect. Libr. II. cap.* 4. ita fuse, sed eleganter loquitur: „ Lactan„ tius Firmianus Arnobii auditor, Latinorum om„ nium, qui Theologica tractarunt, citra contro„ versiam eloquentissimus, nostræque religionis „ assertor acerrimus, celeberrimi, dum viveret, no„ minis, propter singularem excellentiam a chri„ stianæ pietatis cultoribus habitus est, editisque „ non paucis elegantissimis, magnique eruditione „ refertis lucubrationibus, quarum bona pars do„ ctorum manibus teritur, pars vero commune „ cum ceteris Romanorum scriptis naufragium pas„ sa est, sic in omnium ore versatur; quasi qui uni„ ce cuncta Philosophorum dogmata christianis ex „ diametro adversantia optimis rationibus perver„ tens, & gravissimis sententiis, & styli candore „ unice sit commendandus. Quamobrem fuerint „ licet, qui alias Theologiæ partes facilius, quam „ ille, atque etiam argutius excoluerint, in iis ta„ men, quæ ad confutanda Gentium (sic enim vo„ cabantur, quicunque ante Christi adventum le„ gem a Moyse traditam non amplecterentur) pla„ cita spectant, nemo ad hanc diem extitit, quan„ tum quidem ipse judicare valeo, qui cum La„ ctantio longo intervallo sit conferendus; vel quia „ rerum, verborumque pondere, ac efficaci qua„ dam naturæ vi susceptum contra munitissimas „ Ethnicorum sententias munus egregie obit, vel „ quia paucis verbis plurima complectitur, semper, „ quod de Thucydide perhibet M. Tullius, sibi in„ stans, nullasque sordes, ut alii complures fa„ ciunt, secum trahens. Quod nisi tam eximius

„ auctor

„ auctor plurima scripsisset, in quibus vix credas, „ virum tam curiose in sacris, profanisque literis „ versatum labi potuisse, cum unum ex omnibus „ latinis scriptoribus maxime deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, ut eodem tempore illi ex unius lectione & christianæ „ fidei rudimenta, & Romani sermonis puritatem „ discerent. „

JOANNES BAPTISTA EGNATIUS *Epistola ad Antonium Trivultium, Manutianæ Lactantii editioni* præfixa eundem *disertissimum christianorum virum* appellat.

LIL. GREGOR. GYRALDUS *Dialog. V. de Historia Poëtarum* Lactantium Firmianum *unum* dicit *eloquentiæ Ciceronianæ inter christianos præcipuum æmulatorem.*

JOANN. LUDOVICUS VIVES *Commentar. in cap.* 29. *Libri XVIII. S. August. de Civit.* cum septem volumina Lactantii contra gentes *elegantissima* vocasset, *& acutissima*, addit: *Nec est ullus inter christianos scriptores tam vicinus dictioni Tullianæ.* Idem *Libr. III. de tradend. disciplinis ad finem. Christianorum omnium facundissimus est Lactantius: sonum habet plane Ciceronianum, præterquam in paucis.* Denique *Libr. V.* ad judicium elimandum, & excolendum inter eos auctores, qui plurimum bono illo valuerunt, etiam Lactantium ponit.

GUILIELMUS CANTERUS *Libr. III. novarum Lectionum cap.* 30. *Quem*, inquit, *inter græcos Theologos locum Nazianzenus Gregorius obtinet, eum inter Latinos fere Firmianum Lactantium tenere non immerito quis judicet.*

SIXTUS SENENSIS *in Bibl. Sanct. Verbo:* ARNOBIUS, Lactantium Firmianum *magno excellentique ingenio & eloquio* fuisse affirmat.

MICHAEL THOMASIUS, qui primus fere antiquiores Lactantii editiones castigavit, iisque notas sub-

ſubjecit, de eloquentia hominis ita in *Dedicatione operum* habet: *Omnia tanta ſermonis elegantia tractat, ut ſi ſolam in eo elegantiam ſpectaremus, propter eam unam a nobis maxime legendus eſſe videretur.*

CLAUDIUS VERDERIUS *Cenſione in Auctores*, *elegantiſſimum* nuncupat *Chriſtianorum Lactantium.*

CAROLUS SIGONIUS *Hiſtoriar. de Occidental. Imper. Libr. III. n.* 315. *Quorum unus* (qui Criſpum in omnibus liberalibus artibus erudirent) *fuit Lactantius Firmianus, vir diſertiſſimus.*

CARD. BARONIUS *ad ann.* 250. *Latinorum*, inquit, *Rhetorum Culmen Lactantius.*

ROBERTUS BELLARMINUS *de Scriptorib. Eccleſiaſt. Opera omnia . . . ad eloquentiam Tullianam proxime accedunt.*

DANIEL HEINSIUS *Orat. III. Quid diffuſam*, exclamat, *& cum ſolo Cicerone conferendam Firmiani eloquentiam commemorem?*

ANDREAS SCHOTTUS in *Idea Roman. Hiſtor. Lactantii Cœliorum cognomen eſt. Hic diſertus ille Scriptor, Chriſtianorum Cicero.*

LUDOVICUS CRESOLLIUS *Theatri rhetor. Lib. V. cap* 8. *Lactantium virum in dicendo ſummum* nominat. Et *Libr. I. C.* 2. *Os veluti, ac tubam Religionis, qui ſanctos ritus ſingulari judicio, & eloquentia confirmaret. . . . Stylo divinum, atque doctrina.*

JOSEPHUS ISÆUS *Præfat. in Lactant.* „ Graviſſimum, ait, inter Eccleſiaſticos Scriptores ſemper „ habitum a veteribus Lactantium Firmianum, qui „ pauliſper modo in literis ſit verſatus, jure negaverit nemo. Cujus ſi libros accuratius expendamus, profecto reperiemus illorum, qui eisdem de rebus ſcripſere, Lactantium nemini cedere, quam plurimos longe anteire. Nam cum „ ejus oratio multum habet roboris, atque nervorum, tum vero ita ubique præclariſſimis facundiæ

 „ lumi-

„ luminibus illustratur, ut vix unquam satis digno
„ præconio a quoquam laudari posse videatur.

JANUS BROVKHUSIUS *in Propertii Librum IV. Eleg.* 1. *v.* 11. Lactantium *christianorum disertissimum* dicit.

GUILIELMUS CAVE *in Cypriano* Lactantium *christianæ eloquentiæ principem* vocat. Et *infra in ipsomet Lactantio: Christianæ Religionis causam adversus importunos, gravissimis rationum momentis, omnibusque eloquentiæ nervis vindicavit.* Item *ibid. Scriptor est sane mire elegans, & disertus, christianorum omnium sine controversia facundissimus, unde Cicero christianus vulgo audit. Nec desunt, qui eum Ciceronem non æquasse modo sed & præcelluisse volunt. Id citra invidiam dici potest, illum ab ipso Ciceronis ævo dictionis nitore vix ullum habuisse parem, neminem superiorem.*

CHRISTOPHORUS CELLARIUS in *Præfat. operum Lactantii.* Lactantium Firmianum ait *Scriptorem & rerum nobilitate, & nitore, ac cultu dictionis præstantissimum.* In *Nuncupatoria* vero ad *Paulum Fuchsium*, *Christianorum Ciceronem appellat, qui summus eloquentia inter priscos christianos, summique oratoris, quem Roma coluit, perpetuus imitator fuisset.* Idem indicem *formularum latinitatis Lactantianæ* editioni adjecit, ut *elegantissimus Scriptor* (sic enim loquitur) *& cum Cicerone comparandus majore cum fructu legi, & imitando exprimi ab adolescentibus possit.*

STEPHANUS BALUZIUS in *Notis ad Epist.* 1. *S. Cypriani*, ait, *Lactantii libros divinarum institutionum omnes consentiunt Tullianam eloquentiam redolere.*

NICOLAUS LE NOURRY in *Apparat. ad Biblioth. PP. Dissert. III. cap.* 3. *art.* 3. *Quod porro*, inquit, *addit Hieronymus, Lactantium esse quemdam fluvium eloquentiæ Tullianæ, id sane verum esse, facile omnes concedunt, & Hieronymo suffragantur.*

NICO-

NICOLAUS LENGLET DU FRESNOY in elegantissimam Lactantii editionem sic inter cetera præfatur: *Tanta facundia, nitore tanto, tanta etiam gravitate de rebus maxime in religione necessariis sublime disputat, atque disserit, ut nostris temporibus æque gratus sit, ac prioribus Ecclesiæ sæculis.*

EDUARDUS A S. XAVERIO, qui ultimam editionem curavit, *in fine Isagoges ad Benedictum* XIV: *Tuto*, ait, *& cum fiducia profero, magni semper a cordatis viris æstimata fuisse Lactantii opera, in quibus plurima ne dicam omnia, quæ in aliis variorum generum scriptis voluminibus eruditionis acquisitæ lumina dispartita sunt, tam concinne, tam eleganter adunata reperiuntur, ut neque ad pietatem, neque ad morum compositionem, neque ad robustum oratorem christianum instituendum iisdem arbitrer reperiri posse aliquod aptius exemplar adolescentibus studiosis proponendum.*

ABBAS LADVOCAT in nitidissimo *Lexico historico portatili*, ut vocat: *Uno verbo*, inquit, *Lactantius omnium veterum latinæ Ecclesiæ auctorum eloquentissimus & excepto fors Sulpitio Severo latinissimus.*

Hæc mihi elogia plus quam satis sunt. Recte enim Lengletus supra laudatus, cum multa sane attulisset, ita concludit: *Non e re putavimus ultra progredi: sat est monuisse, neminem inter nostrorum temporum scriptores esse, qui Lactantii nostri cum laude non meminerit, quamvis eum non inculpatum omnino habeant eruditi, ejus tamen multiplicem doctrinam, variam in re profana eruditionem, summam tandem ejus eloquentiam prædicant omnes.* Quod si qui nihilominus plures ejusdem laudes cumulare velint, habent Editores Joannem Andream Episcopum Aleriensem, Andream Cratandrum doctum Typogra-

phum *, Erasmum **, Xistum Betulejum ***, Josephum Isæum supra laudatum ****: item Servatum Galleum in *vita Lactantii*, Stephanum Baluzium, & Christophorum Pfaffium, quorum illi *librum de mortibus persecutorum*, isti integram *Epitomen* debemus: Jacobum Bruckerum in *Histor. Phil. Tom. III. a pag.* 465. maxime vero Ludovicum Goldnerum ad *Librum de opificio Dei*, cui vitam Lactantii, & judicia Eruditorum adjunxit (*Geræ* 1714.) Matthiam Kortholdum, aut potius discipulum ejus aliquem *Dissertat. de Cicerone christiano*: Walchium in *Diatriba de Lactantio*, & in *Historia Critica Linguæ Latinæ* sæpius. Joann. Ludolphum Bünemann, qui Lactantium cum linguæ latinæ principibus æque contulit, ut persuasum sit omnibus, Lactantium auctores inter ecclesiasticos disertissimum fuisse, quemadmodum Lengletus loquitur *****. Denique Joannem Augustum Krebs *Dissertat. de stylo Lactantii*: Joann. Ge. Geret. *Dissertat. de variorum de Lactantio judiciis* (*Witebergæ* 1723.) Eduardum a S. Xaverio cum alias passim, tum *Dissertat.* 19. *Decad. II.* Taceo Fabritium *Biblioth. Lat. Volum. II.* & *III.* & *Biblioth. med. & infim. Latinit. XI.* Caveum, Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c.

Accedunt MSS. infinitó numero, editionesque tot, & tam variæ, ut vix ullus sit ex omni genere Scriptorum, non dico ecclesiasticorum, sed quorumcunque, qui toties, vel transcriptus a librariis, vel

* In *editione Basileens.* 521. De illa Andreæ sermo infra redibit.

** *Præfat. ad Librum de opificio Dei.*

*** In *Commentar. & Disputatione:* utrum Lactantiana scripta recte in scholis juventuti prælegi, & enarrari conveniat contra Lactantio-Mastigas?

**** In *Prolegom. ad Lactantium.*

***** Vide secundam Bünemanni editionem.

vel a Typothetis excusus, vel ab eruditis emendatus sit, quemadmodum Lactantius. Aut da mihi aliquem, cui simile quid contigisset! Lengletus certe in sola urbe Parisina septem & triginta manuscriptos codices vidisse se testatur. Editiones quod spectat, mox ab inventa Typographica, cum in squallore, ac tenebris relinquerentur auctores ceteri, ante omnes Lactantius protractus est in lucem, atque eodem adhuc sæculo decies septies prælo subjectus. Quod profecto manifeste ostendit, quibus omnium studiis expetitum, quo numero distractum, qua sui commendatione lectum fuisse oporteat. Post non raro bis, aliquando ter eodem anno diversis in locis acatholicis æque, ac catholicis editus, denique plus quam centenis vicibus novo cultu, curisque novis publici juris est factus. Quid notas, quid scholia memorem, quid indices, & formulas latinitatis, ceteraque ejus generis, quibus unum hunc auctorem Itali, Germani, Galli, Belgæ, Angli, Hispani certatim expoliendum, illustrandumque susceperunt? Ipse summus Pontifex Paulus II. Joanni Andreæ, qui tum maxime literarum gloria florebat, negotium dedit, uti medicam manum adhiberet Lactantio, eumque emendatius editum sibi nuncuparet. Christina * Suecorum Regina literis magis, quam regno nata Lactantii eloquentiam quam maxime in deliciis habuit, versavitque identidem, ac regustavit. Præterea Lactantius omni tempore magni nominis imitatores habuit. Exprimere enim eum imitando conati sunt Sulpitius Severus in Historia **: Joannes Sarisberiensis in Polycratico: M. Antonius Flaminius in Psalmos: Joannes Aventinus in Annalibus Bojorum, aliique complures. Multi denique in scholis prælegerunt adole-

* *Miscella. Lipsiens. Tom. III.*
** *Libr. I. cap. 13.*

ſcentibus, pro claſſico, & præcipuo auctore venditantes: quod cum feciſſent, ea re, velut optime geſta, palam gloriati ſunt. atque ut alii idem facerent, auctores magnopere fuerunt. Quo magis mirandum, fuiſſe, qui voces ejus quasdam, ipſamque compoſitionem, ſemel, iterumque reprehendere auderent. Sed quinam tandem illi fuerunt? Latiales ſcilicet viri de furfure antiquariorum, qui ſæculo eo grammaticali ſexto, & decimo ita nares corrugabant, ut nihil ſacrum, nihil ſatis elimatum, nihil denique dignum aſſenſu ſuo putarent. Ab his vero jure quodam noſtro exigimus, ac poſtulamus, uti quam curioſe alios, ita & ſe, ipſumque adeo Ciceronem inſpiciant, nova haud dubie reperturi non ſemel, id quod hic perſequi longum, atque nonnullis oppido moleſtum foret. Sed & iſtuc ſufficit ad homines hos confutandos, quod, ut vidimus, contra torrentem nituntur, illudque vi facta convulſum eunt, quod ſæculorum conſenſu ſummo firmatum, atque ſtabilitum eſt. Quod ſi Eraſmus quoque Lactantium alicubi vellicat, ac *Ciceronis Simium* dicit, id non ita accipiendum, quaſi eloquentiæ hominis derogare quid vellet. Intererat enim Eraſmo id loci, ut quavis ratione ægre illis faceret, quos paulo ante dicebam nihil, quod Ciceronis non eſſet, latinum duxiſſe. Quod ſi cavillum moramur, Tullium ipſum debebimus abjicere, eadem de cauſa; ibidem enim plura in ſcriptis ejus, & quædam fors haud immerito ille carpſit. Sed & alios Eraſmi locos conſulat lector, ubi ſummam ille Lactantii exiſtimationem præfert, planeque contrarium aſſerit. Sic *Antibarbarorum Libro I. Lactantium* ait *Firmianum Ciceroniana facilitate fluere, nec a declamatoria illa palæſtra, in qua fuerat multos annos verſatus, abhorrere.* Et *Libr. XXVII. Epiſt.* 37. ad *Damianum a Goës: Nihil eo nitidius, dicas chriſtianum Ciceronem loqui.* Item *Libr. XXVI. Epiſt.* 33. *ad*

ad Georgium Saxoniæ Ducem, *Quem Basilio*, inquit, *conferam nondum invenio. nisi si quis scripturarum cognitionem, quam habuit Hieronymus, cum Lactantii felici facilitate copulet.* Hæc sola evidenter ostendunt, Lactantium Ciceronis Simium minime fuisse. Nam quæ imitatores, *servum* illud *pecus*, anxie extundunt, nec feliciter plerumque, nec facile fluant, necesse est. Itaque ipsummet Erasmum Erasmo opponimus, non alios auctores, non nubem illam testium superius adductorum. Ostendat per se, quo loco esse nobis debeant gerræ illæ, quibus Ciceronianum suum infarsit, eo minus deinceps curanda, quod dudum non ab aliis tantum, verum ab ipsomet confutatas videmus.

CAPUT II.

Dotes hujus Eloquentiæ.

De nullius Scriptoris charactere facilius statui posse videtur, atque illo Lactantii Firmiani. Tam multi, tamque idonei auctores, neque obiter tantum, sed fuse, & ex instituto, argumentum istuc pertractarunt. Scribit enim de Lactantii stylo Betulejus in Prolegom. Walchius altera parte Diatribes, Joannes Augustus Krebs justo tractatu, & novissime Eduardus a S. Xaverio integra pariter Dissertatione. Verum enim vero id ipsum, quod laborem levare videtur, auget, atque exaggerat ultra modum. Tam varia, tam multa legenda secernendaque sunt in ea turba scriptorum, illi præsertim, qui cum accuratus esse velit, non minus tamen brevitati studere, lectorumque genio servire debet. Ipsa nempe copia inopes facit, rerumque speciebus perperam in mente confusis obscuritatem inducere magnam solet. Itaque non nisi optima, atque utilissima seligentes operam dabimus, ut velut ex imagine quadam sui Lactantius noster agnoscatur.

Vel

Vel ex iis, quæ superiori capite diximus, patet, quem Lactantius tenorem in scribendo servaret. Ciceronianus nempe est, & Tullium quantum argumenti conditio patitur, quam proxime imitari studens æquavit in pluribus, in aliquibus etiam superavit. Certe dictione ipsa proxime ad Ciceronis phrasin, ac numeros accessit, hancque palmam non plurimis solum præripuit, verum universis. Itaque si Gesnero fides, exemplar est perfectæ imitationis, neque eum hac in parte tam facile alius quispiam assequetur. *Eo duce*, inquit *, *facile discemus*, *quæ optima sit imitandi ratio; nam Ciceronis dictionem*, *atque ubertatem tam accurate expressit, ut non temere quisquam paria illi ea in re fecerit.* Quanta autem hæc laus sit in diserto homine, illi æstimabunt, qui norint, quo ambitu, qua contentione, XV. & XVI. sæculo magna ingenia huc incubuerint, uti Principis Oratorum dictionem vel in epistolis saltem redolerent, quantumque placuerint sibi, ubi id assecuti sibi videbantur, veluti felicitatis scilicet partem non minimam consecuti.

Quotquot ergo mentionem de Lactantio injiciunt sive antiqui, sive recentiores, sive Catholici, sive Protestantes, uno ore nomen hoc *Ciceronis christiani* eidem tribuerunt, quod ex parte quadam jam vidimus & ex innumeris aliis locis ostendi adhuc prolixius posset. Sufficit vidisse laudatam dissertationem de *Cicerone christiano*, *seu eloquentia Lactantii Ciceroniana* auspicio Matthiæ Kortholdi *Gissiæ* 1711. vulgata.

Neque nomine solo contenti sunt Critici, sed postquam illud Lactantio communi sententia asseruerunt, rem ipsam quoque tribuunt, atque in Ciceronis imitatione ita sitam ostendunt hujus scriptoris

* *Animadvers. ad Heineccii fundamenta styli cultior. Parte III. c.* 1.

ris peculiarem notam, ut vel sola hac ab oratoribus ceteris sive veteribus sive novis quam clarissime discernatur. Quæ causa Lengleto fuit, ut in Præfatione ab hac quæstione velut inutili, & extra dubitationem posita, quam brevissime se expediret. Ait enim. „ Dictu inutile putavi de stylo Lactantii „ longius disserere. Sat est observasse cum S. Hie„ ronymo, aliisque viris doctissimis, scriptorem „ hunc disertissimum Ciceronis eloquentiam refer„ re. Nusquam enim turget, raro assurgit oratio, „ sed cum lenitate quadam æquabiliter profluit, non „ tamen sine nervis & viribus. Tam est accurata, „ tam fortis, ut nulla sit aptior ad persuadendum, „ sed sine judiciali asperitate, & sine sententiarum „ forensium aculeis. Puro studet eloquio, perspi„ cuo, atque eleganti, sequiturque hanc Ciceronis „ ipsius normam: *pacatiorem Philosophorum oratio„ nem esse, oratorum vero pugnaciorem.* In vocum „ dispositione tantam sectatur suavitatem, ut etiam „ apud eloquio potentes Cicero christianus audire „ mereatur, & Romani Oratoris ingenium omnino „ sapiat. „

Quod si quis minutim, & singularibus in rebus videre cupit, is sane quam optime fecerit, si Joannem Augustum Krebs supra laudatum adeat. Is enim *Dissertatione anno* 1702. *Halæ* in lucem emissa ex instituto ostendendum hoc suscepit, solicite Ciceronis inter se, & Lactantii varios locos, omnemque styli rationem conferens. Ita autem eleganter, atque accurate comparationem illam suam exequitur, ut vix quidquam desiderari in ea posse videatur. Certe Diaria Trivultiensia *anno* 1706. *pag.* 1069. dignum judicarunt hoc opusculum, quod futuris Lactantii editionibus semper adjungeretur. Quod utinam factum esset; rarior enim fit in dies, & vix jam haberi exemplar ejus aliquod potest.

Ceterum ne gloriam hanc moderni auctores soli sibi usurparent, haud abs re fuerit, admonere. collationem hanc inter se Ciceronis, atque Lactantii minime novam esse, verum a Majoribus nostris, etsi non editam in lucem, sæpius tamen, nec indiligenter dudum institutam. Certe Joannes Franciscus Picus satis aperte significat, se eo fine utrumque legisse, uti committeret inter se ambos, atque censoriis notationibus adhibitis virtutes utriusque, aut vitia solicite admodum, & singillatim examinaret. *Lactantius*, inquit *Libr. III. Epist.* 10. *Ciceronis stylum effigiavit, aut, ut quibusdam placet, supergressus est. Mihi videtur rebus, & sententiis uberior, nec numeris injucundior, nec stili æquabilitate, & candore posterior. Has quippe virtutes maximis viribus & æmulatus, & assecutus est. Hunc nec æquales, nec posteri momorderunt, nemo elumbem, & fractum, asianum, & redundantem nemo causatus est* *.

An ergo, dices, in omnibus plane conveniunt, unusque ac idem utriusque character est? Minime id quidem: sed varia habent, quibus differant, etiam simili, id est Philosophico in argumento; nam aliud Lactantius, qui ut dictum in foro versatus non est, nequaquam attigit. „ In eo, inquit Eduardus a S. Xaverio *Differt. XVIII. c.* 2. „ *art.* 1. maximopere differunt, quod Cicero fusior est, & verbis potius, quam rebus adversarios suos aggreditur, exagitat, vexat, amicos „ vero blande demulcet, adulatur, & laudat: Philosophorum dogmata more Academicorum nunc „ adstruit, nunc destruit, & quacunque potest „ arte se supra ceteros extollere gestit, ita ut propriam gloriam potius, quam alienam utilitatem quæ-

* **Istuc ut intelligatur, notandum est, apud Quintilianum hæc & alia a suorum temporum hominibus Tullio objecta.**

„ quæsivisse summa astutia videatur. Non est propterea mirandum, si eloquentia ejus maxima est, „ & omnino incomparabilis; ad hanc enim ostentandam omnibus viribus velitatus est, nulli sectæ „ addictus, omnibus pro libitu abutens: sed hinc „ illa eadem formidabilis eloquentia sæpe arrogans, „ interdum & ambitiosa, callida, & prolixa facta „ est, frivolis conjecturis, falsisque assumptionibus plerumque suffulta. At non ita Lactantius, „ qui eum propterea jure redarguit, ac sæpe efficaciter refellit, contrariis usus argumentis, & modo frontem, modo latus ejus transverberans. „ Ipse autem uni semper veritati litat, & quoties „ aut ambigue, aut simulate loquitur, tum id facit maxime, ut ex propriis adversariorum placitis „ eos adigat ad illam repudiatis erroribus amplexandam. Non ipse, ut Cicero, tempori & eloquentiæ servit, sed eloquentiam veritati, & religioni „ subordinat, eaque summa prudentia utitur ad ferrea pectora, ac ærea corda expugnanda, non „ violenta, non versuta, non verbosa garrulitate, „ sed robusta, prudenti, ingenua, atque diserta elocutione. „

Hæc ille verissime quidem, sed quibus id nondum repræsentat, quod quærimus. Ipse enim mox subjungit: *Quæ profecto non artis oratoriæ diversitas est, sed potius oratoris, proveniens a varietate professionis, fidei, ac judicii, quibus cum diversimode essent imbuti, varie etiam ideas & effata accommodabant ad id, quod utile esse sibi quisque persuaserat.* Nos tamen afferenda vel ideo putabamus, quod non dictionem tantum, & veluti vestem orationis, sed ipsum characterem nosse volentes quam maxime juvat animos eorum inspicere, ut qui ex scriptione ipsa velut ex speculo elucent. Arcimboldus jam memoratus Lactantii characterem ita pulchre expinxit. „ Illi viro mira in oratione suavitas est, „ mi-

„ mirum ingenium, excelsum, sublime, dulce, „ facile, eruditum, quo loquente, qui literas callent, Musas latine loqui propemodum credant. „ Præditus enim est omnibus ornamentis, nec „ cadit, sed in illo semper summa sunt omnia. „ Nam quantum mihi cernere datum, singula sic „ in illo eminent, & lucent, ut ea non mediocriter quoque doctos impellant, avocent, detineant, afficiant. Disputat ille subtiliter, graviter, ornate, ubi frequenter illum Ciceronis argutiam, subtilitatem, amplitudinem effingere, „ nos, qui ab studiis humanitatis non omnino seclusi sumus, aut alieni, animadvertimus. Sermo „ quidem illius copiosus est, varius, dulcis inprimis, & qui reluctantes nos ducat pro arbitratu „ suo, aut pertrahat: & si aliquando in dicendo „ severum nimis judicamus, sese statim condire „ pari jucunditate percipimus. Experimur quidem „ non minus difficile, quam magnum esse summæ „ gravitati multum comitatis adjungere; id Lactantius noster cum incredibili quadam suavitate, tum vel præcipue stylo ipso suo assequitur. „ Nam ex illo mella profluere, dum legimus, & „ quæ scribit complere apes floribus, & innectere „ videntur. Quis enim supercœlestes, quæ de „ Deo summo prædicantur, occultissimas doctrinas, & traditiones in lucem tam aperte, tam „ clare, tam floride, nisi ipse unus notus nobis „ sit, efferre potuisset? „ Eduardus vero, ubi ad stylum ipsum delatus est, ita *Art. II.* ait: „ Ut „ primum se illi occasio præbet, eidem apte ac „ concinne orationem accommodat, ita, ut si „ quantitatem spectes, nunc circumductus, nunc „ medius, nunc concisus appareat: si vero ad qualitatem attendas, modo attollitur ut sublimis, „ aliquando fit placide humilis, ut plurimum mediocris incedit. Semper tamen castus, ubique „ per-

„ perfpicuus, undique mirificam fpirans fuavita„ tem, tantaque venuftate, atque elegantia ab uno „ ad aliud argumentum tranfit, ut vel peritiffimus „ lector decipi poffit, cum de hujusmodi tranfi„ tu judicare voluerit. Hinc jure, meritoque S. „ Hieronymus quafi fluvium quemdam Tullianæ „ eloquentiæ illum appellat. Non enim rivulo„ rum inftar hæret aliquando minutus, & exilis, „ fed alto fimillimus flumini, five in fublime fefe „ erigat, five ad ima defcendat, plenus tamen „ femper majeftate fluit, omniumque aures quan„ tumvis avidas, & capaces citra fatietatem implet, „ & animum blanda, perennique oratione per„ fundit. Stylus ejus Atticum inter & Rhodium „ apte collocari poteft, ac Romano infigniri vo„ cabulo. „ Et infra *Art. III.* „ Character ejus „ medius incedit grandem inter & tenuem, quem „ æqualem femper retinet, in latinitate caftus, in „ concinnitate elegans, in ornatu fobrius, in cla„ ritate perfpicuus, in modo fibi, & iis, cum „ quibus loquitur, femper congruens. Oratio „ ejus nusquam redundat, figuris, tropis, meta„ phoris, fententiisque aptiffime adhibitis. Erudi„ tio ejus ampla, judicium prudens, ingenium „ eminens, majeftas blanda, decor amabilis, fub„ tilitatis, & acuminis ufus pene incredibilis do„ tes funt ejus eloquentiæ peculiares, & cum quæ„ dam interdum repetat, in his maxime copia ap„ paret, atque uberrima dicendi facultas, qua non „ folum Ciceronem æquaffe quibusdam vifus eft, „ fed etiam fuperaffe.

His paulo diffufius dictis breviora quædam fubjungamus. Et primo quidem magnopere me afficit, quod Bünemannus *in Præfat.* ex *Editione* antiquiffima *Roftockenfi anno* 1476. recitat. Eft enim elogium præclarum, & quod plane accedat ad vivum: Lactantius *vel folus inter chriftianæ profeffionis Scri-*

 ptores

ptores supereminet nitore quodam, & copia, vel nullum eorum sequitur facundia simul, & lenitate sermonum. Joannes Adelphus Mulingus, qui *anno* 1508. Gregorii Naz. quædam edidit, *in Præfat. Quis*, interrogat, *dulcior, tersiorque Lactantio?* Isæus quoque *loc. cit. beatam* Lactantio *tribuit suavitatem orationis, majestatem, ac pulcritudinem.* Cave *loc.* item *cit. Stylus illi tersus, nitidus, facilis, fonte quodam eloquentiæ nativo sponte fluens.* Abbas Ladvocat *loc.* itidem *cit. Stylus ejus*, inquit, *purus est, clarus, & naturalis, phrases nobiles, atque elegantes.*

Quod si ad singularia descendere sit animus, *Rotunditas* Lactantii, atque fluiditas ea est, nihil ut illi a Cicerone ipso videatur, adjici potuisse. Dictio enim eundem fere tenorem sequens tersa, lenis, perspicua, cui nihil insit asperum, vel hiulcum, scabrum nihil, durumve, aut hyperbatis impeditum: plana sunt omnia, & quam acuta, tam æquabilia. Verba omnia veluti mollem ceram tractat hic scriptor, & quamlibet imaginem nullo nisu imprimit. Paucis dicam, quilibet palpare sibi videtur felicem illam facilitatem, fluxumque Tullianum, quem supra tributum ipsi ab Erasmo dicebamus. Ex hac ipsa autem facilitate nascitur dulcedo quædam, quam in Lactantio degustarunt quam plurimi, & deprædicarunt. Quid quod non pauci sunt, iique celebratiores Critici, qui *Lactantii* nomen non primitus inditum, sed postea propter eminentem illam suavitatem, candorem, dulcoremque orationis tributum illi existiment?

Dos altera est *vis occulta, ac facultas nescio quæ, qua sensim absque tumultu omnia sibi obstantia propellit, atque e medio tollit.* Equidem in eo ipso inferior est Cicerone, quando vel ad populum, vel ad Senatum ille dicit. Verum cum paria sunt cetera, idemque argumentum, nec minimum quidem illi concedit. Nam & ad oratoriam usque

maje-

majeftatem vehementiamque fummam affurgit, & motus ejus tam tempeftive adhibiti ubique funt, ut nec langueat aliquando oratio, neque concitetur ultra decorum. Quoties vero gentilium errores aggreditur, quanto poteft robore ipfam caufæ arcem invadens non ante defiftit, aut quieti fe dat, dum ejus convulferit omnia, uno impetu, atque everterit. Laudavit id jam Petrarcha *Senilium IV. ad Boccatium*, quod *tam valide peregrinarum fuperftitionum fundamenta convelleret.* Ludovicus quoque Vives *Libr. IV. de tradend. difciplin. Ad efficacem*, inquit, *rationem argumentandi Ariftoteles, ad civilem Ciceronis dialogi, & Lactantius primas partes feret.* Celeberrimum vero eft illud S. Sidonii Apollinaris *Libr. IV. Epift.* 3. *Inftruit ut Hieronymus, deftruit ut Lactantius, adftruit ut Auguftinus &c.* Nihil ergo exaggeravit, nihil vero majus jactavit Eduardus a S. Xaverio, quando *ead. Differt.* 18. affeverantius etiam dixit: *Et quidem in hoc adeo Lactantius excelluit, ut etfi alii plerique ex noftris defuiffent ad impia Ethnicorum Philofophorum placita deftruenda, atque ad Chriftianas virtutes propugnandas, ipfe folus fufficeret.*

Tertio advertere in Lactantio ubique debemus, quam *mira dexteritate, ac perfpicacia propofitiones alias ex aliis creberrime eruat*, non fine perpetua fententiarum gravitate, miftioneque figurarum, quibus, ut ufus tulerit, res jam elevat, jam extollit, lumina vero orationis, vivacitatem fcilicet, ornatumque multiplicem eum expromit, qui non deceat folum caufas, verum etiam illuftret quam plurimum. Teftis eft *Anthologia* Thomæ Beconi ex præcipuis Lactantii fententiis *Lugduni anno* 1558. *edita. Crebris*, ait Eduardus, *& quidem graviffimis orationem fuam fententiis locupletat, & ornat, quibus impetrare credas, quod vi fuaviffima etiam ab invitis & reluctantibus extorquet, tunc maxime, cum*

 ani-

animi affectus excitare gestit. Adeo enim vehementer sive ad iram sive ad amorem, sed potissimum ad misericordiam & admirationem incitat, ut placide eum sequi potius videaris, quam violentiam pati. Nicolaus vero Arcimboldus, *loco* supra *laudato*, *Profecto*, ait, *nemo est illo viro gravior, luculentior, doctior, cujus ornatissima semper oratio ingentibus plena sententiis, quæ etsi effusa, non tamen violenta, nec horrens est.* Huc pertinet quod in Christiano hoc Cicerone sum vehementer admiratus, quod pulcherrimo semper ordine argumenta disponeret, atque connecteret inter se, haud secus ac peritissimus Imperator faciat, ubi prælium initurus, conflicturusque cum hostibus aciem disponit. Atque istuc optime iterum Eduardus, quem dicebam, explicavit. Nam *Articulo* 3. ita præclare loquitur: „ Illud imprimis sese nobis considerandum offert, „ quod in operibus Lactantii ceu indelebilis index est suarum elucubrationum, nempe perspicuus rerum dicendarum ordo, quo eas rite dispositas lectorum mentibus exhibet, tam concinne accomodatas, ut quamvis summa, & exquisita arte veterani oratoris partes perfectissime adimpleat, semper tamen nativa quadam suæ eloquentiæ suavitate artificium omne sapienter abscondit, & oratio ejus, tanquam ex vivo gurgite profluens nullo labore exundare videtur. „ Hinc lectorum animos statim sibi in procemio devincit, tantamque existimationem, atque auctoritatem sibi in propositione conciliat, ut jam dissentire pudeat, cum rem simpliciter narrat, vel contradicere, cum assumptum exponit, aut confirmat. . . . A causa, quam agitat, raro admodum digreditur, sed novis semper instat argumentis, urget exemplis, similitudinibus illustrat. Interdum utitur enthymemate, rarius Syllogismis, Inductione frequenter. Quoties ab „ aucto-

„ auctoritate a Sacris nostris aliena argumentum „ desumit, id ab illis depromit, a quibus fas non „ est adversariis vel tantillum recedere, quamquam „ si introspiciantur, ut plurimum nec vim ha- „ beant, nec veritatem in se contineant. Quod „ ab eodem factum esse noscitur, ut eos ad ho- „ minem, ut ajunt, refelleret, suisque armis con- „ foderet. Et idcirco quemadmodum illi ex pro- „ babilibus, ex apparentibus, vel etiam ex falsis „ falsa deducebant, sic ipse, aut eorum effata „ assumens, aut ad manifeste repugnans aliquod „ admittendum eos ex propriis placitis compellit. Hoc autem ordinis, atque dispositionis varium artificium statim in oculos incurrit, quamprimum quis editionem illius Parisinam in manus sumpserit. In hac enim ingenti lectorum commodo cuilibet libro analysis, est adjuncta, in qua, quem dicimus, nexum, seriemque rationum non sine voluptate mirari licet, & uno velut obtutu emetiri.

Accedunt argumentandi schemata illa a Cicerone mutuata, formulæ item amplificandi, quæ omnia quam varie expromit, tam ad propositum, atque naturam ita adhibet, ut res per se obscurissimæ artificio singulari sic in apricum protrahantur, ut nec adolescentium captum excedant. Denique & vafritiem quamdam a Cicerone Lactantius traxit, & cum callide quædam adversariis largiatur, id ita præstat, ut obtineat multo plura: in illudendis adversariis mire festivus, nec minus subtilis, atque ingeniosus in eludendis. *Illos*, ait idem Eduardus, *aliquando Plautino sale perfricat, moderate ridet, vehementer increpat, & semper de iis sine fastu, aut ostentatione triumphat.*

Sed & de puritate aliquid dicendum. Hanc quod attinet, singularis illa, atque ea ætate (maxime si Afer Lactantius fuit) sane miranda est. Janus Brovkhusius delicatus Censor *in Propertii Li-*

 brum

brum II. Eleg. 14. *v.* 31. *purissimum Scriptorem* Lactantium dicit. Et certe si puritas spectatur, nihil sunt præcipui quique Patrum, ne Cypriano quidem, ac Hieronymo dempto, ut primum cum Lactantio conferuntur. Solus forte Sulpitius Severus est, ut supra ex Ladvocat audivimus, qui æquiparari cum eo possit. Lengletus *Præfat. cit.* „ *Habet tamen*, inquit, *verba quædam peregrina, sed eâ vel sunt illius sæculi, quo vixit Lactantius, vel Africanæ terræ solum redolent. Sic Tertullianus, sic Sancti Cyprianus, Augustinus, & Fulgentius æque ac Lactantius Africanis verbis quibusdam utuntur insolitis, & barbaris. Ea porro in rerum Indice diverso, id est Italico charactere, edi curavimus.* „

Ita Lengletus. Sed vereor, ut ex pauculis illis, quæ vitio auctori nostro dantur, omnia peregrina, ne dicam barbara sint. Est quædam latinitas falso suspecta, & de hac nemo, nisi qui ipse latinissimus sit, incorrupte, explorateque judicare potest. Eduardus a S. Xaverio *Dissertatio XXI.* ostendit, longe a peregrinitate omni Lactantium abesse, nullumque Ecclesiæ scriptorem ad Cæsarem, Ciceronem, & Cornelium Nepotem propius accessisse. Nec spernenda sunt momenta illa rationum, quibus id evicisse sibi vir diligens, & eruditus persuadet.

Verum de charactere Lactantii plus, quam satis sit, diximus. Illud unum addo, præclaram Krebsii Dissertationem, eorum omnium loco esse posse, quæcunque sive ex nostro, sive ex alieno addere præterea capiti huic vellemus. Quod vero Auctoris hujus verba nunquam repræsento, sane idonea est causa, quod pauca ex eo transcribere ob præstantiam minus dignum, multa autem ob prolixitatem & copiam nimis longum foret.

CAPUT

CAPUT III.

Ubi ea excellat præcipue?

Extra omnem controverſiam eſt, Lactantium, quoties contra Philoſophos & Gentiles inſurgit, ſe ipſo eſſe ſuperiorem, paremque alium non habere in eo genere confutandi. Unde merito Hieronymus *Epiſt.* 65. *nunc* 84. *ad Pammach. & Ocean.* poſt med. dicit, eum contra gentes *ſcripſiſſe fortiſſime.* Cui Paulus Manutius *Nuncup. ad Germanum Minadoum* addit : *Flagitioſas veterum ſuperſtitiones tanto eloquentiæ flumine ab eo confutari, quantum in alio nemine, qui eandem materiam tractaverit, reperiatur.* Ita nimirum veritas adverſus ſuperba illa, & calamiſtrata ſophiſmata hic triumphat, ut non aliorum modo ſapientum, ſed ipſius maxime Ciceronis argumenta vi ſumma retundantur, atque ad oculum demonſtretur, ſapientiam eorum univerſam inanem verborum ſtrepitum, & garrulitatem extitiſſe, nihil aliud. Verum hæc laus Lactantii, quæ ſane ſumma eſt, anſam quam plurimis præbuit, uti eundem alia ex parte deprimerent magis, ſi non omnino aſpernarentur. Melior eſt, inquiunt, in refutandis falſis, quam in veris aſſerendis. Deſtruere autem quilibet poteſt, ædificare non niſi pauciſſimis conceſſum. Cavillatio hæc antiquiſſima eſt, & ad quam ipſe divus Hieronymus prævivit. Hic enim cum Firmianum ceteroqui in oculis ferret, nihilominus *cit. ad Paulinum Epiſt.* ubi maxime illum dilaudaverat, *utinam*, exclamat, *tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit!* Quod ea mente S. Doctor dicebat, ut eum in Philoſophia melius, quam in Scripturis verſatum oſtenderet, quo ſubſidio deſtitutus dogmata noſtra non ſolidis adeo argumentis munire, quemadmodum ſuperſtitionem profligare

potuit. Hoc ergo ambabus illi manibus arripiunt continuo, neque ulla ratione oratori noftro putant ignofcendum. Verum meminiffe tales oportet, cui viro, cujus ætatis, qua in re tam feveros, & implacabiles fe præbeant. Homo profanus erat Lactantius, fors adulta primum ætate ad Ecclefiam accefferat, jam Gymnafia, jam aulam fequebatur, nunc in Africa, nunc in Bythinia, nunc in Galliis verfatus. Unde ergo illi intima ea Theologia affluxerit, quæ non nifi diuturno ufu, & facrarumLiterarum tractatione perpetua combibitur? ubi otium? ubi magiftri, qui cognitionem haberent ampliorem, nec fancti folum, verum & literati effent? Idem fere dixeris, cum errores, nec paucos illos, nec parvos, objicere illi folent. Non eft fateor literati & boni viri illos obtegere: negare vero ut maxime quis vellet, nec poffet quidem. Plus dico, ejusmodi fæpe doctrinas affert Lactantius, quæ piorum aures offendere debent, & tanto capitaliore periculo hauriuntur, quanto dulciore fuada propinantur: non tamen ideo fummum hominem incufandum mihi exiftimo; cum plane manifeftum fit mihi, quo tempore homo laicus, & in Theologia hofpes, literis ifta mandabat, nihil dum decretum fuiffe de pluribus capitibus, de quibus poftea & Concilia, & Patres diferte ftatuerunt. Unde turbidis iis fæculis, atque cruentis veritas, quæ hæreticorum infuper ac Judæorum fordibus perpetuo inficiebatur, finceritatem profecto, & candorem illum hodiernum nifi apud doctiffimos vix poterat retinere. Itaque accidit, ut fere nunquam Lactantius erraret, quin multos erroris five comites, five duces habe et. Temporum ergo ea culpa, non eloquentiffimi viri fuit, qui ut bona fide in aliquibus lapfus eft, ut plerique: at certe in aliis tam ftrenuum fe præbuit, fic gentiles æque, ac hæreticos depexu , fic mores

res christianos informavit, ut vel hodiernum in diem quam paucissimi præstiterunt. Sed de hoc ab innumeris seu Editoribus ejus, seu Criticis, copiose, & diligenter est actum. Ne ergo crambem illam recoquamus. Id saltem meritus est a nobis Lactantius, ut cujus virtutes non possumus exæquare, vitia leniamus saltem, & utcunque excusemus, præsertim ubi ad eloquentiam, de qua sola hic loquimur, nulla ratione videmus ea pertinere. Quod vero dictum est, minori negotio refutari externa, quam domestica confirmari, haud est sine exceptione aliqua concedendum. Secus se rem habere, fors ille solus negabit, qui nesciat ex Platone, eum demum recte opus aliquod dissolvere, qui id ipse construxisset. Verum in literis, & in his præcipue, defendere multo est minus, quam impugnare; quod non tantum ingenii, & contentionis assertio requirat, totaque in eo sit, ut locos suos, & materiem in promptu habeat, modosque sciat, quibus connecti argumenta, & ordine digeri debent. Qui vero convincere alios cupit, ac dedocere, regulas analyseos, remque ipsam profundissime teneat, & omnia in antecessum prospiciat, atque examinet, necesse est. Quod quam difficile, quamque implexum sit, nemo est, qui ignoret. Ast, ut hæc mittamus aliquando, ipsa viri opera singulatim percurrenda sunt, & quæ præ aliis ad eloquentiam faciant, candide, nec indiligenter declarandum.

Recte Eduardus a S. Xaverio *Dissertat. XVIII. c. 2. a. 2. Si vero ad singula*, ait, *descendamus ejusdem Scriptoris perscripta opera, inter omnia eminent divinarum Institutionum Libri, quibus septemgeminis instar Nili profluentibus, occupata Egypto, solis aliquando superstitionibus, ac vanis fictorum Numinum religionibus devota, illam tanta abundantia, ac vi irrigat*, ut errorum sentibus dumisque fabularum

eradicatis, atque dispersis, ad ferenda Evangelicæ veritatis semina mollitos, & oblimatos agros præparet, ac disponat.

Porro in his, ut dixi, maxime placere, atque afficere debent, quæ contra falsam Ethnicorum sapientiam, & religionem disputavit, uti *Liber I. II. & III. VItus* vero eo magis notandus est, quod Christianæ vitæ officia præclare describit, atque inculcat: & hunc maxime Hieronymus respiciebat, quando *Comentar. in cap.* 10. *Eccles. præclarum* dixit Institutionum divinarum opus, *in quo* Lactantius *de vitiis, ac virtutibus plenissime disputavit.*

Institutionibus proximus est *Liber de Ira Dei*, quem, etsi doctrina ejus non est omnino accurata, propter præstantiam tamen locorum quorumdam, & styli felicitatem *pulcherrimum* S. Hieronymus appellavit. * De eodem ait *Coment. in c.* 4. *ad Ephes. Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter, & eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum satis abunde posse sufficere.*

Tertio loco venit *Liber de Opificio Dei*, in quo, & proxime dicto, ut idem Hieronymus *Epist.* 84. *nunc* 70. *ad Magnum.* ait, dialogos Ciceronis expressos reperimus, insignis prorsus, purus, & elegans, quem Erasmus commendavit summopere, & cui eruditi omnes quam plurimum deferre merito solent. Nicolaus le Nourry de eo differens *c.* 1. *a.* 3. *Quamvis*, inquit, *vir modestissimus hunc librum a se rudibus pene verbis, obscurius, & pro ingenii mediocritate compositum fuisse aperte profiteatur, quisquis tamen illum, & alios ejus libros vel tenuissime legerit, eos omnes eadem sermonis elegantia, quam peritiores in illis agnovere, scriptos esse, confestim deprehendet.* Porro stylum quod attinet, id

* *In Catalogo.*

id pro argumenti conditione habet peculiare, quod minime diffunditur, sed concisior, atque gracilior est, amœnus tamen, tersusque, ac omnino talis, ut Lactantium in eo ubique agnoscas. Recte *Lenglet in Vita: Elegantissimum librum scripsit de opificio Dei, stylo tamen mere philosophico.* Philosophorum enim hac ratio scribendi semper fuit, sapienter quidem, ac necessario suscepta, ne vagarentur longius, sed se cum argumento, tum discentium studiis accomodarent. Hoc vero tam præclare Lactantius præstitit, ut hic ejus liber omnibus ut exemplar absolutissimum proponi possit, quicunque in ejuscemodi materiis tractandis versari aliquando debebunt.

De *Epitome divinarum Institutionum*, quam Christophorus Pfaffius in Bibliotheca regia Taurinensi integram reperit, idem fere dicendum, quod de priore libro paulo ante dicebamus, nisi quod, ut denuo argumenti ratio ferebat, est multo adhuc gracilior. Pollicetur in Prooemio Lactantius: *Enitar, quantum res finit & diffusa substringere, & prolixa breviare; sic tamen, ut neque res ad copiam, neque claritas ad intelligentiam deesse videatur in opere, quo in lucem veritas protrahenda est.* Id quod sane cumulate, atque ita implevit, ut opusculi hujus sive puritati, sive eloquentiæ nec minimum quid incommodaret. Le Nourry *ib. c. 5. a. 4. Ab omnibus*, ait, *etiam in ea facillime deprehenditur eadem prorsus Lactantii dictio elegans, clara, polita parique semper orationis nitore concinna.* Eduardus a S. Xaverio *l. c.* hunc & illum *de mortibus Persecutorum* libellum conjungens ita pronuntiat: „ Quamquam non eadem prorsus dicere „ possim de Epitome, ac de libello, qui *de mortibus persecutorum* inscribitur, utpote qui stylo „ plerumque conciso perscripti sunt, hoc tamen „ apertissime mihi persuasum est, eos propria quadam

„ dam venustate atque elegantia ita esse compo„ sitos, ut quilibet illorum in suo genere exem„ plar esse possit ad imitandum non in congrue „ proponendum. Si quis enim paucis multa non „ obscure complecti voluerit, nullus est profe„ cto liber Lactantiana *Epitome* brevior, clarior, „ plenior, qui tanta sit concinnitate, ac perspi„ cuitate perscriptus. „ Suæ huic sententiæ Joannis Davisii * judicium adjungit, quod ita habet: *Tantus est in eo sermonis nitor cum grata brevitate conjunctus, ut me operam, atque oleum perdidisse lubens sim fassurus, nisi peritis, & æquis rerum æstimatoribus maxime placuerit.*

Porro Liber *de Mortibus Persecutorum*, quem aliqui magno studio adimunt Lactantio, alii asserunt, peculiarem a nobis diligentiam exposcit. Sunt vero plurimi, qui ab ipsa Lactantii facundia rationem petunt, ejus auctoris non esse. Quibus (quod nos solum tangit) illud respondere possumus, non tam elegantem esse, quemadmodum ejus cetera, verum Lactantio minime indignum, in hoc præsertim Instituto, ubi vix erat eloquentiæ aliquis locus. Guilielmus Caveus *ad annum* 303. *Inter omnia*, inquit, *quæ post se reliquit, opuscula eminet Libellus de Mortibus Persecutorum, mole quidem exiguus, pretio inæstimabilis. Verum hæc verba non sunt ad eloquentiam, vel stylum referenda, etsi & illum minime contemnendum.* „ Ille autem de „ Mortibus Persecutorum Liber (recte *ibidem* „ Eduardus) quodammodo historicus non perfe„ ctum opus est, & expolitum, sed potius com„ mentarius memoriæ tantum, non plenæ & or„ natæ narrationis causa, currenti exaratus cala„ mo, ut ipse auctor professus est, cum ait: quæ „ omnia secundum fidem (scienti enim loquor) „ ita

* Præfat. *Editionis suæ Cantabrigiensis.* 1718.

„ ita ut gesta sunt, mandanda literis credidi, ne
„ aut memoria tantarum rerum interiret, aut si
„ quis historiam scribere voluisset, non corrum-
„ peret veritatem, vel peccata illorum adversus
„ Deum, vel judicium Dei adversus illos reticen-
„ do. Quoniam vero ab homine eloquenti factus,
„ ideo non omnino incultus, & rudis, ut plerum-
„ que esse solent hujusmodi scripta, quæ ad illud
„ dicendi genus proprie pertinent, quod Hypom-
„ nematicum esse diximus: sed suis scatet lumini-
„ bus, & inelaborata quidem, ac naturali, non
„ autem arida, aut acerba elocutione compositus:
„ Cæsarianis profecto puritate, & candore compa-
„ randus, si sub barbaris Imperatoribus caste lo-
„ qui Romanis Civibus licuisset. Sed cum illi re-
„ bus quibusdam nova quædam vocabula dedissent,
„ eis uti necesse erat scriptoribus, si intelligi a
„ lectoribus optabant. Non idcirco tamen adeo
„ frequentia, aut impura sunt verba ab eo adhi-
„ bita, ut longe dictio ejus non distet a ceteris
„ omnibus, qui eodem sæculo scripserunt. Quan-
„ tum enim ipse a Cæsare, tantum ceteri omnes
„ christiani Scriptores ab eodem in puritate ser-
„ monis distare noscuntur, & si quæ nove ab ipso
„ dicta sunt, tanta id moderatione, ac prudentia
„ factum est, ut laude potius, quam vituperatio-
„ ne ob id dignus censendus sit. Oratori siqui-
„ dem sobrie novare licet, & verba ex verbis de-
„ rivare, ut in *Oratore*, & in *Bruto* Tullius do-
„ cuit, qui in philosophicis præsertim libris vo-
„ ces plurimas latinis auribus, & linguis antea
„ ignotas non sine laude accomodavit. „

Quod autem de puritate libri hujus Eduardus dicit, adeo exaggeratum non est, ut minus, quam potuisset, dictum ab eo videatur. Janus enim Brovkhusius *in Propertii Lib. II. Eleg.* 14. v. 31. de hoc ipso opere loquens puritatem Lactantii com-

commendat, atque *aureolum Libellum* dicit. Christophorus vero Cellarius *Præfat. operum ad Lectorem* non *necessarium* solum & *arcana historia refertum*, sed *elegantem* quoque appellat.

De Libris duobus *Epistolarum*, de quibus Hieronymus duobus locis, * nihil dico, cui enim bono id facerem? nam etsi reperti illi sunt ab Hadriano Junio, ** nihilominus damnabili incuria interciderunt, si tamen in utroque fides est ei homini adhibenda.

De *Poëmatis* quoque præstat silere, quod huc proprie non pertinent, & tempore, materia, metro, genere ipso diversa parum faciunt ad Lactantii eloquentiam illustrandam. Multi elegantem in iis sermonem, suavissimam phrasin, numerosque facillimos laudant: alii vituperant, nec patiuntur Lactantio adscribi: quorum judicio si meum interponere ego deberem, neutri profecto parti facile, aut omnino assentirer. Carmen vero *de Passione Domini* mordicus ego Lactantianum assero, quodcunque in eo spectes, sed & quam maxime doleo, inter Hymnos Ecclesiasticos insertum non esse: laudo vero Eduardum a S. Xaverio, qui ita de illo pronuntiat: *Carmen de Passione Domini nostri Jesu Christi semper mihi visum est non solum grave, & ad excitandos cordis affectus aptissimum; verum etiam purum, elegans, & quod magis mirandum est, poëticam phrasin, ac verborum nitorem servans, quod in antiquioribus christianis Vatibus, sanctissimæ fidei nostræ mysteria canentibus plane desideratur.*

Addo itaque, si, quod nolim, suppositum hoc carmen est, utinam plura ejusmodi supponerentur! magna inde sacræ Poësi accessio fieret, nihil-que

* Epist. *Damasi* 124. *inter Hieronymianas*: & in *Catalogo.*

** *In Histor. Bataviæ, Lugduni Batavor.* 1588. *in 4to. pag.* 311.

que præsentius esset ad hymnodiam Ecclesiasticam reformandam: quod pulcherrimum opus etsi Recentiorum plurimi sunt aggressi, expedire tamen nemo unus potuit; credo, quod ea in re antiquitati plus deferendum est, quam elegantiæ. Hanc autem cum illi solam habent, Lactantio neutrum deesset; atque ita uti prosa, sic vorsa oratione Princeps nostrorum haberetur.

Augeri magis hoc Caput potest cum ex Apparatu Nicolai le Nourry, tum *ex Editione* Eduardi a S. Xaverio, quorum ille amplissimo opere, hic undecim, si recte memini, minoribus Dissertationibus non generatim solum, sed de singulis etiam Lactantii libris agunt.

Totam Dissertationem illustrabunt iidem ipsi auctores, quos jam ante ad calcem primi capitis numero plurimos recitavi.

DISSERTATIO IV.

De Eloquentia S. PACIANI.

CAPUT I.

Laus ejus.

S. Pacianus Barcinonensis in Catalaunia Episcopus, antea, quam Ecclesiæ suæ præficeretur, vir erat, nobilitate, opibus, potentia non magnus solum, sed maximus. Natalium beneficio institutionem nactus liberalem, atque ab ineunte ætate literis imbutus, ob ingenii præstantiam ingentes fecit progressus, & cum aliis scientiis, tum vero præcipue eloquentia excelluit. Quare magistratibus admotus, & pares conditioni suæ nuptias sortitus Flavium Lucium Dextrum sustulit, Prætorio post Præfectum, cui suum *de Scriptoribus Ecclesiasticis Catalogum* beatus Hieronymus nuncupavit, qui-

quique ipse inter literatos non infimo loco fuit. Chronographus enim illustris, ex Hieronymi * Paulique Orosii amicitia majorem, quam ex titulis suis celebritatem invenit. Porro Pacianus demortua, vel certe ad continentiam adducta conjuge, ad Ecclesiam se contulit, & vacante tum Barcinonensi Sede omnium votis ad Sacerdotium illud est expetitus. Qua suscepta provincia (uti ipse *Epistol.* 1. *ad Sympronianum* innuit) Marcionitis, Apollinaristis, Cataphrygibus, Novatianis, aliisque hæreticis infesta omnia reperit. Itaque bellum iis movere coactus est. Quod & fecit strenue sermonibus ad populum, Epistolis, maxime vero inculpatæ vitæ exemplo, quam ad summam ætatem perduxit. Nullus est autem latinorum Doctorum, sanctitate, literisque celebrium, de quo pauciora extent veterum monumenta. Neque aliud ejus ad nos pervenit, quam opuscula, & ne ipsa quidem omnia, satisque salva. Unum superest Hieronymi testimonium, qui *in Catalogo*, quem dixi, ita habet: *Pacianus in Pyrenei jugis Barcinone Episcopus, castigatæ eloquentiæ,*** *& tam vita, quam sermone clarus scripsit varia opuscula, de quibus est* κέρβος *& contra Novatianos. Sub Theodosio principe jam ultima senectute mortuus est.* Alium, qui plura de tanto homine afferret, plane neminem scio. Quare non immerito Antonius Vincentius Domeneccus *in Histor. Sanctor. Catalon. Libro I. pag.* 25. acriter de antiquis Scriptoribus queritur, ignaviæ eos, atque socordiæ postulans, quod eximii Scriptoris Acta vel non collegerint, vel jam collecta non

* Hieronymo *Chronographiam* suam Dexter inscripsit jam antea, quam ille Catalogum ipsi suum inscriberet.

** Sic pro eo, quod alii legunt *castitate, & eloquentia,* Codex Gemblacensis, Codex Bollandianorum, Possevinus, & alii plures.

non conservarint. Sed neque ipse excusandus, dum accusat alios, qui enim de insigni Antistitis hujus doctrina sermonem loco non uno instituit, stylum, atque facundiam ejus omnino prætermisit.

Ego interea, dum tanto plures bibliothecas excutio, & libros, quotquot huc facerent, undique corrogo, insanum scilicet, sed irritum in me laborem suscepi; quod alii ne mentionem quidem de Sancto injicerent, alii verba Hieronymi seu exscribere, seu paulum immutare contenti essent. Certe viginti, & amplius auctores, unde spei aliquid affulserat, abjicere coactus, denique ad R. P. Cornelium Byeum Hagiographum Antwerpiensem confugi. Rogavi autem, uti ex instructissima Bibliotheca Auctorum, quos maxime desiderabam, locos quosdam transcriberet.Et sane insignis humanitas tantum otii fecit occupatissimo viro,ut lustratis omnibus, quam pauci eorum eloquentiæ Paciani meminissent, verbis quam accurate tam operose adjectis illico significaret. Hic ergo, quas decet, summas grates publice repensas illi volo. Atque utinam studium ejus gratificandi valeret ad expugnandum eos, qui morositate incredibili, dum jam negant, jam caussificantur, moras sæpe molestissimas Scriptori injiciunt.

Quod si ergo minore numero, quam lector vellet, testimonia afferimus, cogitare is debet, hanc ipsam penuriam duplo plus negotii, quam aliorum copiam nobis facessivisse. Opinor autem Scriptionum ejus tenuitate factum, uti omitterent illum plerique, & hi ipsi, qui sequuntur, non nisi obiter, & quam paucissimis de eo commemorarent.

CARDINALIS BARONIUS *ad annum* 388. ita habet: *Pacianus quoque tunc floruit, Barcilonensis Episcopus, castitate & eloquentia commendatus, cujus est inter alia nobilis illa lucubratio adversus Novatianos.*

JOANNES FRIDERICUS GRONOVIUS *Libro Observatorum in Scriptores Ecclesiasticos cap.* 18. *S. Paciani*, inquit, *Barcinone Episcopi pauca extant, sed gravissimis scripta verbis, ac sententiis, & diligenti veterum literarum imitatione.*

NICOLAUS ANTONIUS *In Bibliotheca Hispana vetere* hæc de eloquentia S. Præsulis cursim advertit: *Castigati sermonis, quo utitur, laudem agnoscunt noviores Critici.* Ubi nominatim eum, cujus paulo ante verba audivimus, Joannem Fridericum Gronovium appellat. Sed majorem utique gratiam initurus erat a nobis Antonius, si præter Gronovium ceteros quoque voluisset indicare. Nuperos certe, uti Dupinum, Tillemontium, & Ceillierium &c. ipse non vidit, ut qui primum a morte ipsius lucem publicam aspexerunt. Quinam ergo, & ubi tandem illi sunt? Si Hispanos intelligit, equidem illi non sunt nobis ad manus, verum hac maxime de causa nominare, imo præcipuis locis etiam exscribere eos oportebat.

CARDINALIS D' AGUIRRE *Tomo II. Concilior. Hispaniæ in Notis ad Epistolam Paciani III. num. CXLV. Denique omnia hæc*, ait, *Paciani scripta dignissima sunt ob insignem pietatem, eruditionem, & eloquentiam præclaro aliquo Commentatore, & illustratore, non minus, quam aliæ lucubrationes Patrum præcedentium, aut sequentium, quibus enucleandis, & exornandis tot præstantes viri suum studium & operam contulerunt.* Et infra *in Notis ad Paranesin num. CLXXXVII.* ita rursus Pacianum extollit: *Cujus hæc scripta aurea quo magis lego, eo magis exosculor, & admiror: nec invenio in ullo alio ex Patribus Ecclesiæ solidiorem eruditionem, spiritum præstantiorem, aut eloquentiam magis ad movendum, & persuadendum accomodatam. Sane qui scripsit hæc, putandus est plura alia æque pretiosa scripsisse, quæ temporum injuria perierint, aut rixentur adhuc*

cum

cum blattis, & tineis. Si quando detecta fuerint, moneo posteros, ut ea publici juris faciant simul cum hisce opusculis, & justo aliquo commentario illustranda, aut exornanda curent, in honorem tanti Præsulis, & communem Ecclesiæ utilitatem.

JOANNES FERRERAS *in Historia Hispaniæ Tomo I. Sæculo IV.* eloquentiam Paciani, quam *singularem* dicit, eo ex capite commendat, quod testimonio, & approbatione divi Hieronymi fulciretur.

Hæc de Paciani laudibus, quæ eloquentiam spectant, sane non minus propterea æstimandam, quod tam paucos, tamque seros præcones habet. Ut enim dicam, quod sentio, præcipuis quibusque Latinorum nihil concedit Pacianus, nullusque est, qui cum ejus aliquid legerit, jacturam reliquorum non ferat quam mollissime. Et tamen, quod hic minime erat prætereundum, viro negotiis distento, & annis valde provecto limare vix quidquam licebat lucubrationum suarum; sed quidquid scripsit, velut tumultuario opere, ut usus in præsentiarum poscebat, in chartam ei fuit effundendum. Testem habeo locum luculentum ex *Epistola* I. *ad Sympronianum Novatianum: Plura*, ait: *scriberem frater, ni & celeritate pueri revertentis urgerer, & vel præsenti tibi, vel de omni proposito confitenti copiosiora servarem.* Et alium *ex Epistola* 2. *ad eundem: Vacare tibi scribis; & ideo te contentiosa delectant. Mihi vero Catholicis negotiis occupato post triginta ferme dies literæ tuæ traditæ sunt, post alios quadraginta repetitæ.* Accedit, quod temporum injuriis exemplaria admodum rara extant, & hæc ipsa vitium labemque passa; ut non raro sententiam ejus divinare liceat potius, quam intelligere. Ipsi adeo tam lusciosi nonnulla deprehendimus, quæ evidenter erant castiganda, ut sensum reciperent commodiorem; semel etiam, iterumque id tandem conjectando assecuti sumus,

quo decipi se passa erat sive incuria, sive inscitia librariorum. Grates superis, quod Eminentissimus d'Aguirre unum tandem codicem nongentorum circiter annorum, qui Reginæ Sueciæ fuerat, Vaticana e Bibliotheca protraxit. Ex hoc enim, quod eleganter erat perscriptus ducenti & amplius loci emendati feliciter, ac restituti sunt.

CAPUT II.

Notiones Styli.

Eloquentia Paciani, siqua alia, Patrem Ecclesiæ exhibet, cujus oratio verecunda sit, gravis, seria, quæque vigorem sane insolitum præferat, plenum disciplinæ, ac severitatis antiquæ. Ignatius Weitenauer *Libro XI. Subsidiorum: Pacianus,* ait, *Barcinonensis Episcopus, veræ pœnitentiæ normam posteritati reliquit. Incitata illi, & gravis, & vehemens oratio; quippe quem non ingenii tantum vis, sed fratrum pereuntium amor, ac cœlestis quidam dolor scribentem incendit.*

Nec minus mirari subit, quantam ille suapte sponte ad causas ingenii vim afferret, & eruditionis omnigenæ confertissimam ubertatem. *Stylus satis ostendit,* ait Aguirrius * *quam versatus ille esset in lectione veterum Scriptorum Ecclesiæ, præsertim Tertulliani, ac Cypriani.* Et sacram quidem eruditionem singuli versus loquuntur: de profana autem Gaspar Barthius, & Joannes Fridericus Gronovius testantur. Ac ille quidem cum sæpius eam prædicasset, *Libro XLIII. Adversarior. cap.* 15. ita scribit: *Paciani hujus stylus quam sit probus, docent multa singularia,*

* In *Notis ad Epist. III.* Repete hoc loco soliditatem eruditionis, spiritus præsentiam, motum & persuasionem, quæ singula capite præcedenti in Paciano prædicavit.

laria, *multæ allusiones locorum ex Poëtis veteribus*, *ut de Virgilio in Epistolis mentio est*, *multa itidem proverbialiter posita.* Gronovius vero *Libr. & cap. citat.* facta semel ejus mentione, *pergit*, ut verbis Antonii utar, *colligere elegantiæ flores e latinæ linguæ Coryphæorum hortis ab eo decerptos ;* scilicet ex Virgilio, ex Horatio, ex Propertio, ex Petronio, ex Seneca, ex Jurisconsultis, ex rei rusticæ Scriptoribus, demum ipso etiam M. T. Cicerone. Atque id ipsum, licet minus operose, jam ante Gronovium Barthius ante laudatus alicubi annotavit.

Plurimum etiam aculeos videtur, & acrimoniam quamdam adamasse: non illam Satyricorum; sed modestam, & quæ virum præ aliis perspicacem, ac maximi usus fuisse ostendat. Haud parum tamen ex Tertulliano profecit, cujus energia cum ex *Parænesi*, tum alias ita patet delectari eum consuesse, uti abstergeret tamen fuliginem, & scabritiem Afri illius omnem lævigaret. Verum ex ipsiusmet verbis, non meis, non aliorum, viri characterem videamus. Ut enim alibi, cum magna est copia materiæ vel invito dimittenda exempla sunt, ita hic, ubi ex testium inopia jejunior fit tractatio, spatium videlicet nacti sumus ad locos quosdam dandos, ex quibus conjectura fieri de ceteris, ipsæque Paciani dotes dignosci facilius possint.

Epistola I. *ad Sympronianum*, quem diximus, hæreticum Novatianum, vafre admodum de Religione percunctantem ita hortatur ad opinionem subtilitatis, quam de se conceperat, deponendam:

„ Si quid scire plenius de nostro voles, oportet, ut de tuo profiteare simplicius; ne obscurius consulendo, nescire nos facias, utrum interroges, an lacessas. Interea, quod ad præsentes literas pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipsum auctoritatem mutueris errori; quod, sicut ais, per orbem totum nullus in-

„ ventus sit, qui te revinceret, aut persuadere tibi „ posset, contra quam crederes. Nam etsi nos imperiti, peritissimus Dei spiritus: etsi nos infideles, fidelis Deus, qui se negare non potest. Tum „ porro, quod obnitendo Sacerdotibus Dei diu „ contendere non licebat: *Nos*, inquit Apostolus, „ *talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* „ Post unam correptionem, sicut scis ipse, contentiosus omittitur. Persuadere autem quis aliquid possit invito? Tua ergo Frater, non illorum culpa est, si tibi, quod erat optimum, nemo persuasit. Nam & hodie in potestate tua est, „ ut nostra etiam scripta contemnas, si ea mavis „ vincere, quam probare. Ceterum & ipsi Domino, & Apostolis ejus plurimi restiterunt, nec „ persuaderi veritas cuiquam potuit, nisi, qui ei „ propria religione consensit. Itaque Domine! & „ nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti „ aliquid persuadere possimus; sed ea fide, qua volenti bonæ pacis aditum non negemus. „ Quibus præmissis ad causam ipsam accedit.

Epistol. 2. *ad eundem*, cum populum S. Cypriani, id est catholicum, loco apostolici *Apostaticum* ille vocasset, ita respondet:

„ Convitiaris: & ecce! non moveor. Horumne aliquid appellati sumus? Interroga sæculum „ frater, totosque ex ordine annos, an nobis nomen hoc hæserit, an Cypriani populus aliud, „ quam catholicus nominatus sit? nunquam nomen ullum ex his audivi. Jam vide, si vocari „ aliquis eo nomine potuit, quod sibi nescit impositum. Quid ergo? Maledicta sunt ista, non nomina, & maledicta irascentium, maledicta petulantium. Quotvis & ego vos possum appellare „ nominibus, si liceat irasci. Cyprianum * Sanctum

* Per Ironiam videlicet.

„ ctum vocas, & populum ejus apostaticum? quo-
„ modo? *Si triticum Sanctum* *, *& farina: & si*
„ *radix sancta, & rami.* Egone Apostaticus, an
„ Novatus? Novatus, inquam, patre prodito, Ec-
„ clesia derelicta, partu uxoris effuso? egone apo-
„ staticus, an Novatianus, quem absentem epistola
„ episcopum finxit, quem consecrante nullo lintea-
„ ta sedes accepit? verum ista posterius. Interim
„ ipsi vos dicite, quid vocemini. Negatisne No-
„ vatianos a Novatiano vocari? Quod libet illis
„ nomen imponas, semper istud hærebit. Scru-
„ tare totos, si videtur, annales, & crede tot sæ-
„ culis. Respondebis Christianum; inquirente me
„ genus Sectæ: Novatianum non inficiaberis. Nec
„ tamen ego Novatiani tui nomen accuso, quod
„ toties requisitum circumloquentibus lineis, &
„ operto quodam sinu claudis. Fatere simpliciter,
„ nihil est sceleris in nomine. Quid te toties in-
„ terrogatus abscondis? quid causam nominis eru-
„ bescis? Cum primum scripseras, cataphrygem
„ putabam: tu ne secundis quidem literis confiteris?
„ Meo invides nomini, & tuum vitas? Vide, quid
„ sit pudoris in causa, quæ refugit, quod vo-
„ catur. „

Epist. 3. *ad eundem.*

„ Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me
„ confertis undique propositionibus destinasti Sym-
„proniane frater, hoc continet: *quod post ba-*
„ *ptismum pœnitere non liceat, quod mortale pecca-*
„ *tum Ecclesia donare non possit, imo quod ipsa per-*
„ *eat recipiendo peccantes.* Præclarus honor, singu-
„ laris auctoritas, magna constantia rejicere nocen-

 „ tes,

* Ita pronum est legere, & quidam reipsa sic legerunt. Sed usurpat Apostolum *Rom.* 11. 16. & *initium* juxta editiones & MSS. legi debet. Id quod hic *primitias*, uti *farina* reliquum *acervum* significat.

„ tes, attactus peccantium fugere, innocentiæ suæ „ male confidere. Quis hoc vindicat frater? Moy- „ ses, Paulus, an Christus? at Moyses deleri e li- „ bro pro blasphematoribus optat, & Paulus ana- „ thema esse pro fratribus, & ipse Dominus pro „ injustis pati vult. Nullus horum, inquies. Quis „ ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus „ aliquis, & purus, qui Novatum non audierit *, „ qui nunquam ecclesiam deseruerit, qui ab Epi- „ scopis Episcopus factus sit; qui jure ordinario „ consecratus, qui vacantem cathedram in Ecclesia „ consecutus? Quid ad te, inquies? Novatianus „ hoc docuit. At vel quando frater, quibusve tem- „ poribus? statim post Domini passionem? post „ Decii principatum, id est post trecentos prope „ annos Dominicæ passionis. Quid ergo tunc? „ Prophetas secutus est, ut Cataphryges, an Phi- „ lumenen aliquam, ut Apelles? an ipse tantum „ auctoritatis accepit? linguis locutus est? prophe- „ tavit? suscitare mortuos potuit? horum enim „ aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi „ moris induceret. Et si contra clamet Apostolus, „ *Licet nos, aut angelus de cælo evangelizaverit,* „ *præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema* „ *sit?* Novatianus sic intellexit, inquies; sed Chri- „ stus hoc docuit. Ergo a Christi (tempore) us- „ que ad Decii principatum nullus intelligens? „ post Decium denique omnis episcopatus impa- „ tiens, omnes alii dissoluti, qui se miscere perdi- „ tis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno „ vulnere vulnerari? Novatiano vindice justitia li- „ beratur, Novatiano auctore corrigitur, quid- „ quid erravit? „

Et

* Novatus a Novatiano distinguendus. Illi hæresis originem, isti incrementum debet.

Et iterum.

„ At etiam in nos severus censor inveheris. Di-
„ cis,ex lege cœlesti unum ex mandatis solvere non
„ licet, nec communicare lupis agnos; & quod
„ omnis consensus in crimine sit. Ideo qui picem
„ tetigerit, inquinetur, nec sit ulla societas lucis
„ ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut con-
„ ventio Christi ad Belial. Idemque David dicit:
„ *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulte-*
„ *ris portionem tuam ponebas.* Ain' tandem, nos
„ Domini mandata rescindimus, nos unum apicem
„ legis inflectimus; aut Novatiani, qui tota Eccle-
„ siæ, tota concordiæ jura violarunt? qui post tot
„ pacis annos, tot fœdera sanctitatis, novas sibi
„ leges, nova instituta, novos ritus pepererunt,
„ arcanum justitiæ inexorabili fronte simulantes?
„ Nos in Ecclesiam lupos recipimus, qui hæretico-
„ rum ora vitamus: an potius Novatiani, qui cum
„ ipsi sint rapaces lupi, paulo miseriores oviculas
„ reformidant? Nos consentimus malis, nos picem
„ tangimus, nos tenebris cohæremus, nos idola,
„ & Belial conjungimur: an illi, qui Evaristum,
„ qui Nicostratum receperunt, ceterosque ab eccle-
„ sia recedentes, lingua, manu, moribus inquina-
„ tos? Nos cum adulteris, & furibus conveni-
„ mus: an illi qui Novatum vitæ suæ, & capiti
„ prætulerunt, post interceptam pecuniam pupil-
„ lorum, atque viduarum, miseri parentis, & par-
„ tus uxoris parricidam, non modo non pœniten-
„ tem, verum etiam gloriantem? Verum Paulus
„ Apostolus dixit: *Manus cito nemini imponas?* do-
„ cet idem vel tarde, vel post pœnitentiam non
„ negandas. Sed perdita Hierico Achan filius
„ Charmi propter furtum vestis occisus est? Age,
„ vos totos fures interficite pecuniarum nostrarum,
„ atque librorum, & in Novati ossa sævite. Ju-
„ gum illud rursus accipite, quod neque nos, ne-

„ que patres nostri portare potuerunt. Quid cessatis Novatiani? oculum pro oculo, dentem pro dente deposcere, animam postulare, circumcisionis, & sabbathi redintegrare commercium. Necate fures, lapidate petulantes? nolite in Evangelio legere, quod pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti, quam nemo damnarat: quod peccatricem, quæ lacrimis pedes ejus lavabat, absolverit: quod Raab apud ipsam Hierico * urbem Phænicum liberarit: quod Thamarem sententia Patriarchæ absolverit; quod Sodomis quoque pereuntibus Lothi filias non extinxerit, liberaturus & generos, si futurum excidium credidissent. Age, non tenes dicere apud David Dominum: *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Salomonis quoque sententiam tacete: *frater fratrem adjuvans exaltabitur.* Quid Apostolus? *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerantes vosmetipsos, ne tentemini. Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et illud, quod ante jam retuli: *opto enim anathema esse in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem.* Et iterum: *omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* Hoc est cum vulneratis gemitus, cum ægrotantibus laborem, mortem cum moriente partiri, casum fratrum cum statu suo posse miscere, aliquid de sua sanitate decidere, & deficientibus adhibere medicinam. Quid vobis prodest superba, & aspera fronte durari, altis rigere cervicibus, vultus torquere, a miseris auditus, oculosque præcludere? Nunquam vos, oro, cecidistis? nulla in vestris mentibus macula est, „ nul-

* Achanum supra objectum sibi respicit, id quod satis est lepidum, & quam maxime ad hominem.

„ nulla in oculis, oro, festuca? quis gloriabitur „ castum se habere cor, aut mundum se esse a „ peccatis? Credo, vos justi, benevoli, tempe- „ rantes, quibus membra omnia sana sunt, quibus „ omne corpus intactum, quibus medicus necessa- „ rius non est, nec medicina languorum. Intrate „ jam cœlum, paradisi aditus romphæa cedente „ penetrate, tot nostrorum populis, Deum uni- „ cum confitentibus bona vestra præcludite. Quæ „ si se longe aliter habent, quam implacabilis ri- „ gor, verum * & immanitas vestra mentitur, jam „ intelligitis Novatiani, Deum posse misereri, jam „ miseris fratribus, de præterito confitentibus, „ vel feram patere medicinam, jam vulneratum „ illum a levita, & sacerdote præteritum per Chri- „ stum posse curari, jam Ecclesiæ preces humili- „ bus non negandas, jam manus Sacerdotum mise- „ randis fratribus exhibendas. „

Et in *Parœnesi ad Pœnitentiam*, quam ardens illa exclamatio ad eos, qui indigne ad mensamDominicam accedebant!

„ Sed antiquum sit istud, quod ad mensam „ Dei ** accedere non licuit immundis: evolvite „ Apostolos, & novella cognoscite. In prima „ Corinthiorum Paulus hæc intulit: *Quicunque man-* „ *ducaverit, aut biberit calicem Domini indigne, reus* „ *erit corporis, & sanguinis Domini*; item infra: „ *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium* „ *sibi manducat, & bibit, non discernens corpus Do-* „ *mini. Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi,* „ *& ægri, & dormiunt multi. Quod si nos ipsos* „ *judicaremus, non utique judicaremur, cum judica-* „ *mur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc* „ *mun-*

* Ita veterem Lectionem satis turbatam, quæ habet *rigor rerum*, facilius, quam hactenus factum, corrigere possis.

** Loquitur de lege Mosaica.

„ *mundo damnemur.* Intremuistis, an non? *Reus* „ *erit*, inquit, *corporis*, *&* *sanguinis Domini!* humanæ animæ reus non posset absolvi: Dominici „ Corporis violator evadit? *Qui manducat*, inquit, *& bibit indigne judicium sibi manducat*, *&* „ *bibit.* Evigila peccator! time in visceribus tuis „ præsens judicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi*, *& ægri*, *&* „ *dormiunt multi:* Jam si quis futura non metuit, „ vel præsentem ægritudinem, præsentemque obitum reformidet. *Cum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur*, *ut non cum hoc mundo damnemur.* „ Lætare peccator, si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post sæculum. Intellige quantum sceleris admittat; qui ad altare venit indignus, cui pro „ remedio computatur, cum aut morbis laborat, „ aut morte dissolvitur. Quod si vestra vilis est „ anima, parcite populo, parcite Sacerdotibus. „ Clamat Apostolus: *Exiguum fermentum totam* „ *massam fermentat.* Quid facies tu, propter quem „ omnis massa corrumpitur, propter quem laboratura est omnis fraternitas? Vives tot animarum reus? excusaberis, cum tibi communionem „ suam imputaverint innocentes, ** cum te ecclesia dixerit suæ cladis auctorem? Ecce iterum „ Apostolus ad Sacerdotem: *Manus cito nulli imponas*, *ne communices peccatis alienis.* Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, „ probandi difficultate confidis? Rogo ergo vos „ fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam &c. „

Hæc

* Communionem pœnæ intelligit.

Hæc ad characterem Paciani dignoſcendum ſufficere poſſunt, nunc inter ipſa opuſcula delectum faciamus.

CAPUT III.

Ubi placeat præcipue?

Ex Scriptis Paciani non niſi tria nobis temporum injuriæ reliquerunt; videlicet *Epiſtolas ad Sympronianum* contra Novatianam hæreſin ſcriptas: *Parænesin, ſeu exhortationem ad pœnitentiam*: & *de Baptiſmo ſermonem ad Catechumenos* habitum. *Cervulus* intercidit penitus; certe in hunc diem fruſtra ſemper perquiſitus eſt. Quam vero petulantiam vir ſanctiſſimus caſtigandam ibi ſumat, mirum, quantum diſſentiant Eruditi. Plures, qui rem propius videantur tetigiſſe, collectos dat Fabritius *Tomo II. Bibliotk. Latin. pag. mihi* 310. Recte vero Eminentiſſ. d'Aguirre *in Notis ad Paraneſin. num. CLXXXVII. Quidquid ſit de varia ejus nominis interpretatione, id certum, ac maxime dolendum eſt, eum librum interiiſſe cum ingenti Reipublicæ Literariæ jactura.*

Ut *de Epiſtolis* primo dicam, magnos illæ, multosque habent laudatores. Et Baronium quidem ſupra audivimus. Alphonſus Garſias Matamorus Opuſculo *de Academiis, & claris Hiſpaniæ Scriptoribus: Pacianus*, inquit, *qui Theodoſii tempore in Pyrenæi jugis impiis Novatianis acerrime profligatis magnam quidem, & immortalem gloriam Eccleſiæ Barcinonenſium comparavit.* Petrus Galeſinius in *Martyrologio* ſuo Pacianum vocat *acerrimum Catholicæ fidei contra Novatianos defenſorem.* Pluribus etiam iisque elegantibus verbis de debellatis a Paciano oppreſſisque his hæreticis Jacobus Sirmondus in *Hiſtor. pœnitentiæ publicæ cap.* 11. Dionyſius Petavius Libr. VI. de Pœnitent. cap. 7. §. 2.

Paci-

Pacianum ait *hæresin Novatianorum acriter confutasse.* Joannes Tamayus de Salazar *in Martyrolog. Hispan. ad diem IX. Martii: Scripsit*, inquit, *contra Novatianos epistolas tres, quibus illorum blasphemam proterviam validissimis oppugnat rationibus, & doctrinis.* Honoratus Tournely *Tomo IV. de Sacrament. pænitent. Quæst. 2. Art. 1.* ceteris summis licet Patribus, qui iisdem impiis bellum moverunt, præponere Pacianum videtur. Ait enim, quod *Pacianus imprimis data opera scriptis suis omnia hujus hæresεos capita, effugia, diverticula egregie confutarit, ac represserit.* Sed plura in earum eloquentiam, pulchritudinem, sapientiam Card. d'Aguirre *in Notis ad Epistolam III.* cujus est illa sane nova, & memoranda sententia: *Evolve omnia illa quæso Lector erudite; & fatebere nihil præstantius hisce epistolis inveniri in scriptis veterum Ecclesiæ Doctorum.*

Porro ex tribus iis Epistolis præcipuas puto I, & III, quas quicunque legerit, ingemiscet sat scio, quod deformes adeo, ac vitiatæ ad nos pervenerunt. Ex Aguirrii Sententia III. Epistola facile aliis præferenda esset; nam & *pulcherrimam*, & *disertissimam* vocat: Et insuper ita habet *in iisdem Notis: Eam impietatem, & insaniam* (de unitate Pœnitentiæ) *tam sapienter, & fortiter impugnat S. Pacianus hoc loco, ut Novatianis, adhuc suo ævo eamdem hæresiarchæ sui crambem recoquentibus, & in iis Semproniano mutis esse licuerit. Digna certe lectu est, elegans, erudita, & nervosa S. Præsulis invectiva: & cujus stylus satis ostendit, quam versatus ille esset in lectione veterum Scriptorum Ecclesiæ, præsertim Tertulliani, ac Cypriani.* Et mox: *Omnes vero Semproniani objectiones, cavillos, tricas, & effugia proponit Pacianus decursu totius epistolæ, eaque præcludit ineluctabilibus argumentis ex Scriptura sacra desumptis, & ea methodo, ac vi, ut nihil illi reponendum, aut excipiendum relinquere videatur &c.* Sed

nem-

nempe vir doctissimus non eloquentiam solum propositam hic habuit, sed simul, firmitatem, ac copiam doctrinæ spectavit, quæ utique duo in ista ceteris prolixiori longe clarius elucescunt. Mihi, ut nihil exaggerem, epistola tertia exemplar aliquod absolutissimum est visum, in quod omnes intueantur, quicunque scribunt contrà hæreticos.

Inter *Sermones*, quos dixi, longe præstantior est ille, ad pœnitentiam exstimulans; imo caput est operum omnium, de quo jure dicas, vix proponi aliud posse specimen præstantius, quodque ad modum, quo sermones hodie solent institui, propius accedat. *Exordium* e re nata: *Propositio & Divisio* clara, ac naturalis: *Argumenta* delecta: *Commotiones voluntatis* breves quidem, sed vel maxime vehementes: perpetua *Varietas* omnibus in rebus, & denique ad finem *Peroratio* cum *Anacephaleosi*, non abrupta illa, verum opportuna, splendens, & quam maxime salutaris. De concione hac Gaspar Barthius *Adversarior. Libr. XLIV. cap.* 30. *Omnino scholam sapit, sive Rhetorica progymnasmata tota scriptio hujus doctissimi auctoris.* Sane tanti eam fecit Barthius, ut non contentus *Adversarior. Libr. XLIII. cap.* 15. *Libr. XLIV. cap.* 30. *Libr. XLV. cap.* 8. *Libr. CLXIV. cap.* 1. emaculare & illustrare: eandem *anno* 1655. *Cygneæ* in lucem emitteret. De ipsa etiam Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispan. veter. Ingeniosa est, & elegans; ut inde potissimum agnoscas: quantum sermone valuerit Pacianus.* Sed & Cardinalis d'Aguirre præter illa priora passim alia inspergit in commendationem gravitatis, lenitatis, & elegantiæ ejus, imo hunc maxime respicit in Elogio capitis nostri primi.

Quod vero Tillemontius *Tomo VIII. Monument. Eccles.* Parænesin hanc *excellens opusculum, plenumque pietatis & eloquentiæ* dicit, *quod multum accederet ad rationem dicendi Cyprianicam*: recte istuc & ratio-

ratione vir eruditus; cujus tamen judicio illud debemus adjicere, abruptiorem multo esse Pacianum, minusque diffusum atque instantem, quam Cyprianus est.

Sermo *de Baptismo* haud parum distat a vi, & reliqua etiam eloquentia S. Paciani. Cum enim Catechumenos instruere vellet, de industria stylum dejecit. Id quod ipse statim initio confitetur. Ait enim: *Aperire desidero, qualiter in baptismo nascamur, & qualiter innovemur. Verbis sane obviis* * *loquar Fratres; ne forte me ob nitorem sententiarum stylo exultasse credatis: & ut rem mysticam intelligere possitis. Atque utinam inculcare possim: gloriam non requiro; Dei enim solius gloria est. Vestri me tantum cura solicitat &c.* Hæc tamen ipsa est causa, cur dubitarint quidam, num sermo iste genuinus sancti Præsulis fœtus esset. Quibuscum nos minime sentimus; quando hac ratione, quidquid magni oratores planius subinde conscripserunt, abjudicandum illis continuo foret, negandumque, catechesin ejusdem esse opus, cujus aliquando disertam quamdam concionem audivissent. Atqui *Parænesis* Paciani, & *Sermonis de Baptismo* non tanta est differentia, quanta sit illa, quæ inter elaboratum Sermonem, & familiarem aliquam instructionem intercedit.

Hæc habui, quæ de facundia Paciani commemorarem, Dissertatione brevissima quidem, sed quæ deficientibus initio subsidiis omnibus maximo labore stetit. Qui plura cupit, ante omnia Editionem ejus primam *Parisiis anno* 1538. a Joanne Tilio curatam, & Latini Latinii *Bibliothecam Sacro-Profanam pag.* 165. debet adire. Dein Scriptores rerum Hispanicarum: uti Ambrosium de Morales *Libro X. Histor. Hispan. cap.* 22: Ste-

* Editiones legunt *ipsius*, quod est manifeste vitiosum. Aut cujus ipsius? baptismi? Utinam Aguirrius hoc quoque opusculum ex MS. illo Vaticano emendasset!

22: Stephanum de Garibay *Libro VII. cap.* 7. *Compend. Historic. Reg. Hisp.* Laurentium de Padill *Histor. Eccles. Hisp. Tomo I. Centur.* 4. *c.* 65. Joann. Marietam *Libro V. Sanctor. Hispan. cap* 5: Franciscum Diago *Histor. Comitum Barcinonens. Libr. I. cap.* 12. Hieronymum Pujades *Histor. Catalon. Libr. V. cap.* 9. & 17. Item Franciscum Biuarium, Rodericum Caro, & ceteros omnes, qui in spurium illud *Chronicon* Dextri commentati sunt. Hi enim atque his plures allegari huc solent. Num vero, ubi agunt de Paciano, eloquentiam quoque ejus attingant, dicere haud possumus; neque enim hactenus videre eos licuit. Ultimo loco adde Dupinum, Ceillierium, & similes alios, quorum hoc proprium est Scriptiones Patrum dijudicare.

DISSERTATIO V.

De Eloquentia S. Ambrosii.

CAPUT I.

Encomia illius.

Tanti Præsulis facundia miro omine præmonstrata est, quando ad ejus adhuc infantuli labia examen apum consedit. Pueritiam egressus adolescentiam inter bonarum artium disciplinas transegit. Præ ceteris autem in oratoria palæstra exercitatus, atque ad omnem humanitatem græce, ac latine excultus, literis Jurisprudentiæ quoque intimam cognitionem adjecit. Post hæc scholæ exercitia, & umbratiles declamationes continuo in forum descendit, causisque in auditorio Præfecti Prætorii agendis admotus est. Qua in luce tantisper versatus brevi ostendit, quantum eloquentia promovisset. Ob copiam enim, & suavitatem orationis omnium in se oculos, omnium studia convertit: sed & Anicii Probi, Symmachi Consularis, aliorumque illustres amicitias est consecutus. Commodum accidit, ut Probus ea ipsa tem-

pestate prætorio præficeretur, quæ post Imperatoriam erat dignitas omnium amplissima. Ab hoc ergo Ambrosius continuo in Liguriam Æmiliamque provincias cum potestate, & consularibus insignibus missus, & quod Mediolani omnia tumultum spectarent, primo ad pacandam urbem ire jussus est. Demortuus erat Episcopus, & alium Orthodoxi, alium Ariani successorem volebant. Quare pro officii munere Ecclesiam ingressus Ambrosius ad Episcopatum, quæ una causa cives turbaverat, voce primum exclamantis parvuli, dein communi conspiratione, ipsemet vocatur.

In hac mutatione rerum suarum imbutus sacris literis, eloquentiam eo retinendam sibi putavit, ut jam orator sacer, non profanus esset, vimque dicendi, quam hauserat in Scholis, & in foro etiam expoliverat, ad templum transferret, graviores jam causas declamaturus, ac judicaturus. Quod quam feliciter plurimis deinceps annis jam voce, jam stylo ille præstaret, more nostro non nisi ab illis audiamus, qui & ipsi eloquentes cum essent, præ aliis in hoc negotio idonei testes adhibentur.

S. BASILIUS MAGNUS *Epist.* 197. *alias* 55. ad ipsummet Ambrosium data cum aliis rebus, tum etiam *dicendi facultate, omnibus in sæculo degentibus conspicuum* vocat, atque eo nomine eundem quoad vixit, inter principes amicorum numeravit.

THEODOSIUS MAGNUS hominum summus cognitor, & excelsissimo animo Princeps ita Ambrosii cum virtutum splendore, tum vi eloquentiæ captus erat, ut quoties ille vellet, in potestate ejus esset, ac publice in summa æde Constantinopoli exclamare auditus sit: *Ambrosium novi unum, qui digne vocetur Episcopus.*

RUFFINUS *Invectiva* 2. *in Hieronymum* Ambrosium *virum* vocat *omni admiratione dignum, qui non solum Mediolanensis Ecclesiæ, verum etiam omnium Eccle-*

Ecclesiarum columna quædam, & turris inexpugnabilis fuerit, qui ad Ecclesiarum Dei gloriam electus a Deo sit, qui in conspectu domini locutus sit, in conspectu persecutorum Regum, & non sit confusus.

S. AUGUSTINUS *Libr. II. contra Julian. c.* 5. Ambrosium *eloquentiæ lucidum, ac perspicuum flumen fundere* ait. Et *Libr. I. contra eundem c.* 3. ejus sermonem cum magnitudine operum, gratia item constantia, laboribus, & periculis a tanto viro pro Ecclesia susceptis ex æquo componit. Quo quid dici illustrius possit, non video. Quis enim nescit, Ambrosium non Mediolanensem modo Ecclesiam pacasse, sed compescuisse Tyrannos, Aulam Cæsaream ad Religionem instituisse, Ecclesiæ auctoritatem contra Gentiles, Hæreticos, Schismaticos, Senatum, Præfectos, Augustos ipsos defendisse, ea existimatione, & Pontificia majestate, ut quod Scriptores multi, & graves perhibeat, Imperator minime censeretur, quem Ambrosius non agnovisset. Sed non est hic locus res ejus gestas percensendi, utut cum eloquentia connectuntur non raro, & ejus maxime subsidio sunt perfectæ. Redeo ad Augustinum, suo etiam exemplo vim facundiæ Ambrosianæ expertum. Nam *Libr. V. Confess. c.* 13. ubi ejus conciones accessisse se narrat, ait: *Delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis, atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum. Ceterum rerum ipsarum nulla comparatio; nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem.* Et mox: *Cum non satagerem discere, quæ dicebat, sed tantum quemadmodum dicebat, audire: veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum, quam diserte diceret, pariter intrabat, & quam vere diceret &c.*

Quis triumphus eloquentiæ hujus, quæ ad Augustini conversionem veluti viam divinis impulsibus debuit aperire. * Non ergo mirum, quod veluti præceptorem eloquentiæ deinceps adhibuit, eaque etiam de causa legit diligenter. Certe *Libro IV. de Doctr. Christ. cap.* 21. ex Ambrosio non minus, quam Cypriano pro quovis genere dicendi exempla decerpit, & ut varia eloquentiæ exempla proponit.

Quod autem, ut debeo, maximi soleo facere, est PELAGII hæresiarchæ, eloquentissimi viri judicium, cujus, uti ipse Augustinus *Libro I. de nuptiis cap. ult.* & alibi sæpe refert, hæc sunt ipsissima verba: *in Beati Ambrosii Episcopi præcipue libris Romanam elucere fidem, qui Scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituisset.*

S. EUCHERIUS *in Parænesi ad Valerian.* inter *clarissimos facundia* viros Ambrosium quoque recenset.

S. PROSPER *in Chronico Coss. Grat. V. & Theodos. I.* ait, *pro catholica fide multa sublimiter Ambrosium Episcopum scripsisse.*

THEODORETUS, qui in Syria scripsit, tanto licet intervallo ab Ambrosio remotus *Libro V. histor. Eccles. cap.* 4. eundem *vocalissimum veritatis præconem* appellat. Et in *Polymorpho Dialog.* 1. ait: *Audio Ambrosium, qui Mediolani sedem Episcopalem ornavit, & contra omnes hæreses præclare decertasse, & pulcherrima, Apostolorumque doctrinæ congruentia scripsisse.*

S. EN-

* Editores Maurini *in Præfat. oper. initio. Sed nec aliud quidquam*, inquiunt, *magis declarat, quanta doctrinæ, ac eloquentiæ vis fuerit in Ambrosio, quam Augustinus, ab errore ad veram fidem Doctoris nostri opera, & concionibus revocatus. Hac quippe una victoria sibi trophæum, ac monumentum ære perennius erexit Sanctus hic Præsul.* Idem Joannes Croiset, & alii plures adverterunt.

S. ENNODIUS *in Epigrammatis de Episcopis* & *Libr. II. Epist.* 5. *ad Armenium* obiter quidem, verum honorifice de Ambrosii facundia commemorat. Illud præterire non possum, quod *Libr. I. Carm. Hymn.* 6. inter alia dicit, eum *ore suo prædam de fauce serpentis seri sustulisse, bellaque Christi militantem nudum inter enses timori fuisse.*

CASSIODORUS, cui ad eloquentiam nihil præter latinitatem defuit, *Libro de div. lectionib. cap.* 20. Ambrosio ait *fuisse æqualem doctrinam cum vita.*

S. ANASTASIUS SINAITA *Libro Hexameron* Ambrosium ut ceteris rebus, ita & eloquentia *divinum virum* facit.

NICOLAUS I. PAPA *Epist. 6. ad Photium* Ambrosium *clarissimam, & splendidissimam Lucernam Ecclesiæ* vocat.

DURANDUS TROAMENSIS *Libr.contra Berengar. Part.* 4. S. Ambrosium allegans, addit: *Cujus in Ecclesia Catholica post Apostolos auctoritas habetur præcipua, cujus eloquentiæ affluens facundia latinæ linguæ decus est, & forma.*

JOANNES TRITHEMIUS *Libro de Scriptorib. Ecclesiast.* „ Ambrosius, inquit, in sæcularibus lite- „ ris omnium facile doctissimus, græco, atque „ latino sermone ad perfectum instructus, in ex- „ ponendis declarandisque divinis Scripturis omnes „ doctores vicit. Cujus fidem nulla unquam po- „ testas terrena infringere potuit: ita ut multis „ Episcopis pro fide relegatis exilio, Ambrosium „ nullus unquam auderet contingere. Fuit enim „ velut malleus, hæreticorum constantissimus im- „ pugnator, cujus linguæ in fide Christi loquenti „ nulla potuit unquam auctoritas humana indicere „ silentium. Pro fide semper paratus quælibet sub- „ ire pericula, domino protegente liber ubique, „ & illæsus evasit. Scripsit multa præclara opu- „ scula. „

CONRADUS LEONTORIUS *in Epistol. Prooemiali ad Edit. Basileens.* 1506. vocat nunc *latinissimum*, nunc *crebrum sententiis*, & *quasi quibusdam imperatoriis edictis brevissimum quidem, sed abundantissimum, & gravissimum, jam majestate dicendi ornatissimum & eloquentissimum*, qui nihil ad humanæ vitæ informationem & salutem pertinens prætermiserit, nullumque non vitium detestationis, ac reprehensionis gladio vulneraverit, vel ullam virtutem pro sua dignitate debitis laudibus non extulerit &c.

JOAN. BAPT. PLATINA *in Anastasio I. Cujus* (Ambrosii) *doctrina, & sanctitas quanta fuerit, ejus vita ac opera doctissime, & elegantissime scripta ostendunt.*

ERASMUS ROTERODAMUS *Præfat. in opera S. Doctoris.* „ Inter priscos autem, inquit, Ecclesiæ „ doctores latinos vix alium arbitror esse digniorem, cujus extent integræ lucubrationes, quam „ divum Ambrosium. Hoc & ex animo dictum „ videri velim, & citra cujusquam contumeliam. „ Sit linguarum, ac Scripturarum peritior Hieronymus: sit elaboratioris phraseos * Hilarius: „ sit in quæstionum nodis explicandis argutior „ Augustinus: aliis item dotibus excelluerint alii: „ sed quem mihi dabis, qui pari sinceritate tractet sacras Literas, qui cautius vitarit suspecta „ dogmata, qui sic ubique gerat christianum Episcopum, qui sic spiret paterna viscera, qui summam Præsulis auctoritatem cum summa mansuetudine conjunxerit? Ubique sentias illum hoc „ affici, quod loquitur. Et adest dictioni modesta quædam, ac pia jucunditas, grataque civilitas. Est, quem non omnino sine causa do- „ ctorem

* Id est, operosioris, & profundiori cogitatione conceptæ.

„ ctorem Mellifluum vocant: * at hic juxta no-
„ men suum vere cœlesti manat ambrosia, di-
„ gnus, qui sit, quod dicitur, Ambrosius, hoc
„ est, immortalis, non solum apud Christum ve-
„ rum etiam apud homines. „

Mox extemporalem quoque viri eloquentiam laudans, ait, facundam illam Ambrosii linguam præcipue in sedandis tumultibus, farciendaque concordia valuisse, ostendens fusius, quam dextre, quamque feliciter in negotiis, quam constanter in periculis, quam graviter in muniis omnibus subsidio hoc eloquentiæ, pietati conjunctæ, versatus ille esset, summis, infimisque, suis, atque externis æque gratus semper, & venerandus.

Modernorum elogiis, quod priora ultra modum jam excreverunt, satius supersedendum existimo. Nihil enim jam deest ad laudem præstantissimi hujus oratoris, cui si summorum hominum studia, si complures, & operosæ editiones, si in plerasque Europæ linguas translationes factæ accedant, nemo non videt, dignissimum esse Ambrosium, qui in Ecclesiasticorum omnium ore, & manibus hodieque versetur. Quare abrumpamus hoc caput, & ad ea, quæ reliqua sunt, progrediamur.

CAPUT II.

Quid Eloquentiæ illi maxime proprium?

Etsi (quod maxime princeps Oratorum sæcularium Tullius exigebat) pro rerum varietate, ac dignitate aliter, atque aliter scribit Ambrosius, arguta tamen adamavit plurimum, & succinctam brevium sententiarum copiam est secutus, quibus orationem suam per se concinnam, ac suavem perpetuo

* Bernardum significat.

petuo distinguere solet, ac velut flosculis quibusdam exornare. Ita presse informat, atque in moralibus ejus sententia sententiam excipit continenter; ipsæ vero sententiæ, quod jam Theodoretus *Libro IV cap. 6.* notavit, velut ad regulam dimensæ sunt, mentem videlicet scriptoris omni regula, & perpendiculo rectiorem. Ubi vero se locus offert ad scelera increpanda, animi lenitatem natura insitam ita gravitate temperat, ut cum reos percellat summopere, non dejiciat tamen, minus objurgatione lacessat, atque irritet magis. Scripturas, ubi quidem literam sequitur, ea sinceritate, perspicacia, atque etiam facilitate pertractat, ut haud sciam aliquem hac in re, quoquo modo illi præferendum. Nam quod stylum, & scribendi elegantiam attinet; tametsi in eam incidit ætatem, quæ nativum leporem pene attriverat, est tamen ejus sermo nunquam ingratus, sed facilis, vividus, ac tantæ volubilitatis, ut in morem rotundorum corporum absque strepitu, & sine salebris decurrat, & sicubi impingit, ac vehementior existit, non strideat tamen, verum continuo ad naturalem quasi placiditatem revertatur. Atque ideo Veteres æque, ac Recentiores dulcedinem maxime, & mel, & ambrosiam in scriptis ejus celebrarunt. Et Cassiodorus quidem *loc. cit. Lactei sermonis emanatorem & perviolenta persuasione dulcissimum vocat.* Item *cap. 2. & 8. ibidem* de eadem *eloquii dulcedine & suavitate* meminit. Andelmus vero *Libro de Laudibus Virginit. cap. 12.* Ambrosium, inquit, *superni nectaris ambrosia redolere, ejusque mellifluam dogmatum dulcedinem* celebrat. Franciscus quoque Petrarcha *Libro II. de Vit. Solitar. Libr. II. Tractat. 3. c. 2. Librorum*, ait, *mellifluos flores sparsit, quorum hodie per omnes tractus Ecclesiæ gustus suavissimus, & fragrantissimus est odor.* Sed & primæ ejus editioni *ann.* 1474, quæ in Bibliotheca Ambro-

brosiana servatur, hoc tetrastichon adscriptum legitur:

Nectar, & ambrosiam, cœlestia munera, quæris?
Hoc sanctum Ambrosii perspice lector opus.
Arida qui tali compleverit ora sapore,
Non sitiet, nullam sentiet inde famem. *

Porro ex Recentioribus innumeri sunt, qui saporem hunc, & explicandi sui miram dulcedinem prædicent, eaque de causa mellifluum doctorem appellent. Eleganter Caussinus *Libro III. de eloq. sacr. & hum. cap.* 14. *Jam vero Ambrosius num videtur nectare, & ambrosia innutritus? tam suaves habet, tam argutas plerumque orationis delicias, ut apes, quæ infantuli cunas, & os circumsederunt, credas adhuc in ejus labellis sessitare.* Et Auctor *compendii chronologici ad histor. ecclef.* Gallice scripti *an.* 397. *In omnibus ejus scriptis dulcedinem significationum reperire est, quæ plane fascinat.*

Denique Ambrosio & illud peculiare est, atque ab omnibus notari debet, quod sententiam semel arreptam, tam facile non dimittit, verum volvere solet, ac versare identidem, & jam hac, jam illa ex parte ostentare, conversionibus gratissimis, & admirabili quadam varietate. Hanc dotem unico licet verbulo ad unguem, quod ajunt, S. Sidonius Apollinaris expressit; cum enim complurium Patrum characteres velut in pugnum constringeret, ad hunc nostrum delapsus: *Ambrosius*, inquit, *perseverat.* **

Hæc præcipua in Charactere Ambrosii: sed alia multa supersunt, quibus illustrari superiora magis possint. Sæpius de Ambrosii charactere Erasmus. Sic in

* Apud Philippum Argelatum *Tom. I. in Catalogo libror. Mediolani editor. pag. DLX.*
** *Libro IV. epist.* 3.

in Ciceroniano: *Gaudet*, inquit, *argutis allusionibus, nec præter sententias quidquam loquitur. Membris, incisis, comparibus numerosus, ac modulatus suum quoddam dicendi genus habet, aliis inimitabile.* Uberrime autem, quæ huc spectare possint, *in Præfatione* operum complexus est, ubi ita habet: „ Porro dicendi character nec flaccidus est, nec humilis, quo nomine taxare videtur libellos de Spiritu Sancto Hieronymus, excusante Augustino, quod rem licet grandem, tamen subtilem docenti, non laudanti, conveniret oratio demissior. Sed habet interim suos aculeos, ubi res postulat; propius tamen accedens ad argutam jucunditatem, quam ad δείνωσιν illam, & affectus pene tragicos, in quos interdum exardescit Hieronymus, & Hilarius. Ac plerumque totus fere sermo ex variis sententiarum generibus velut ex tessellis contextus est, quo dicendi genere supra modum delectatus videtur Seneca. Hoc non minus creber est Ambrosius: sed tamen mollior, ut frustra reclamante Fabio, qui vult orationem esse veluti luminibus distinctam, non velut emblematibus compactam, frequenter & divisionem, & argumentum, & transitum, & conclusionem, sive clausulam argumentationis per sententiam efferat. Interdum totus apparatus collectionis, hoc est, propositio, assumptio, ratio, confirmatio, expositio meris constat sententiis. Passim accinuntur epiphonemata, vixque alius crebrius, aut frequentius utitur sententiarum genere, quas appellant νοήματα, in quibus latet aliquid arguti sensus; quod cum non exprimatur, intelligitur, ob hoc ipsum gratius, quia dictum obscurius. Porro densitatis satietatem, ac tædium excludit varietas tam felix, ut naturæ rem esse dicas, non affectationis; quod hoc dicendi genus a puero imbiberat. Nonnunquam eandem
„ sen-

„ ſententiam aliter, atque aliter variatam repetens „ velut infigit animis, quod elabi non vult. Interim plurimum addit jucunditatis illa paucis verbis modulata brevitas. Nusquam enim ſermo, „ longis ambagibus vix tandem abſolvens periodum, obſcuritate moleſtus eſt, quod in Auguſtini ſcriptis offendit Hieronymum; ſed commatibus, & colis, concentu nonnunquam, numero plerumque jucundus, tinnulus, & compoſitus incedit. Horum omnium non pigeret ex „ ipſius libris exempla proferre, niſi non ſolum „ perlongum videretur, verum etiam hic intempeſtivum. Auguſtinus in Libris de doctrina chriſtiana quædam hujus generis commonſtravit. In „ ſumma hæc rhetorices imperitis fruſtra dicerentur, peritis in proclivi fuerit animadvertere, præſertim ſi legant hujus librum de Virginibus, & „ Viduis. „ Sed & illud ad Ambroſii characterem pertinet, mirifice ab eodem Eraſmo laudatum; quod cum tanta eſſet conſtantia, perpetuam tamen quandam in ſcriptis omnibus oſtenderit moderationem, quæ nec in redarguendis hominum vitiis obliviſcitur chriſtianæ manſuetudinis. Dicas, eum dolere, non iraſci, nec usquam excurrit in levitatis, aut oſtentationis ſpeciem, ut ubique pectus vere Romanum, imo Chriſtianum agnoſcas. Atque huic temperantiæ tribuit dentatus ille Hollandus, quod ſcripta ejus latius ceteris inclaruerint, & minus, quam reliquorum quorumdam Patrum obnoxia fuerint invidiæ.

Brevius Anonymus, qui in *Milleloquium Ambroſianum* * præfatus eſt, Ambroſii ſtylum expinxit, hunc in modum: „ Nam quod ad ſtylum attinet, „ tametſi in ea inciderit tempora, quibus lingua „ latina propter aſſidua bella, civilia diſſidia, bar-

„ ba-

* *Edition. Lugdun.* 1555.

„ barorumque gravissimas incursiones ornatum illum „ suum, & nitorem pristinum pene amiserat: est „ tamen ejus sermo tanta puritatis, elegantiæque „ venustate refertus, ut sine ullis salebris quasi se- „ datus amnis fluere videatur; atque, quod illi de „ suo Pericle dixere gentiles, de nostro hoc inter „ Doctores ecclesiasticos videatur dicendum, sua- „ dam illam in ejus labris sessitasse. Ac non sine „ ratione, quod ille de Xenophonte dixit, de Am- „ brosio dixerimus, sermonem ejus melle dulcio- „ rem videri. Denique ambrosiam, id est omnis „ generis suavitatem vere spirat Ambrosius, ita enim „ docet aperte, instituit amanter, mores format pru- „ denter, ut singulæ sententiæ singula moralia do- „ cumenta contineant. „

Sixtus Senensis in *Biblioth. Sanct.* „ Dicendi „ genus, inquit, prout rerum varietas expostulare „ videtur, varium est, sed ubique lucidum, ac „ perspicuum eloquentiæ flumen effundens, ut ait „ Augustinus; qui etiam in quarto de doctrina chri- „ stiana volumine profert ex operibus Ambrosii „ pulcherrima quædam exempla triplicis Ambro- „ sianæ elocutionis, hoc est, submissæ, tempera- „ tæ, & grandis, ex quibus ostendit, eum de hu- „ milibus submisse, de mediocribus temperate, de „ magnis sublimiter pro rerum diversitate, ac di- „ gnitate dixisse. Adamavit tamen peculiari, ac „ naturali quodam affectu gravem, & argutam bre- „ vium sententiarum copiam, delectatus mirum in „ modum oratione commatis, & colis interdum „ numerosis distincta, & flosculis picturata. „

Hieronymus Platus noster *Libro III. de bono stat. religios. cap.* 11. *Ambrosius*, ait, *suum ipse quoque habet dicendi genus, sententiarum ubertate refertum, verbis fluens lectissimis, ac præterea numeris suis aptissimis adstrictum, ut plane vel Theologum oratorie, vel oratorem Theologice dicentem audire videaris. De cujus*

jus dulcedine, quid majus dici possit, quam quod ab ipso Deo grandi prodigio præsignificata sit jam tum, ut accepimus, cum infantis in ore apum examen consedit?

Monachi S. Mauri *Præfat. in opera Ambrosii.* „ Ac primo, dicunt, Ambrosianum stylum constat „ grandem, nobilem, & copiosum esse, qualis „ videlicet patricii ordinis virum decebat, ac di„ligenter in urbana, forensique eloquentia exerci„tatum. Sed nihil in ejus sublimitate turgidum „ inest, nihil turbidum in ubertate, cum utraque „ res suavitate quadam, ac modestia temperetur. „ Neque tamen putes, eum vi sua, vehementiaque „ destitui. Habet siquidem affectus suos, atque „ aculeos; sed tanta conditos festivitate, ut nul„lam morosioris, agrestiorisve ingenii speciem præ „ se ferant. Observant quoque in ejusdem elocu„tione adeo miram sententiarum densitatem, ut „ non facile majorem apud alium ullum reperire „ sit. Huc adde brevitatem periodi concinnam, „ ac modulatam, sed in primis tam felici varietate „ distinctam, ut nullum tædio relinquat locum. „

Quamquam si verum fateri volumus, non est nihil in Ambrosii stylo culpandum. Hoc ipso enim, quod sententias conglomerat, & compressione rerum affectat brevitatem, evitare non potuit, quin obscurus fieret quamplurimis locis, sitque in assequendo eo mentis acies haud parum lectori intendenda. Unde alio loco * Erasmus characterem Ambrosii cum illo Gregorii Nazianzeni componit, atque ob dictionis argutiam, & rerum subtilitatem, allusionesque subobscuras, uti ipse a vertendo Gregorio deterritus sit semper, ita & Ambrosium, si græce scripsisset, interpreti cuicunque negotii sane quam plurimum fuisse exhibiturum. In *epistola* vero ad

* *Libro XXVI. epist.* 33. *ad Georg. Duc. Saxon.*

ad *Ducem Clivensem*, cui duos sancti Doctoris libellos nuncupat, quamquam ibidem denuo inter virtutes illius ponit apte pariter, denseque adducta testimonia Scripturarum, sententiarum pietatem, allusionum gratiam, & acrimoniam aculeorum: tamen clarius etiam desiderat in Ambrosio, quod se subin nec satis explicet, & ubi rem aliquam tetigerit, continuo eam dimittat, atque alio digrediatur. Quod ultimum profecto, ut me legentem male subin habuit, sic quemlibet non obesum continuo advertere debet. Scilicet Ambrosius, qui, si voluisset, eloquentia parem neminem erat habiturus, cum negotiis distraheretur perpetuo, curasque non in suam solum, sed universam Ecclesiam exporrigeret, multa non revocavit ad incudem. Et recte Muratorius, Criticus acer, nec inamoenus censuit, Ambrosium non ita plerumque, uti scripserat, etiam dicere consuesse *. Quod conciones suas postmodum in formam librorum contraheret; a quibus utique abesse multa oportet, quæ sunt propria dicentibus; indeque factum, ut prima illa species eloquentiæ popularis & clarior tantum non disparuerit.

Alter Ambrosii nævus est genus ipsum interpretationis, qua toties explicandos sumpsit locos Scripturarum. Mysticis enim sensibus abundat præ omnibus aliis, & sæpe exuberat etiam. Non ita quidem hoc facit, ut abutatur litera, sensumque naturalem invertat: nihil minus; sed quod relicto eo ad remotiores sæpe, & peregrinas etiam allegorias confugiat. Contigit id tanto viro non tam ex inopia linguæ hebraicæ, quæ & alios subin adigit ad mysteria amplectenda: sed imitationi potissimum Philonis, atque Origenis tribuendum est, quos sanctus Præsul præsertim initio pontificatus identidem

* *De dignitat. Eloq. popular. cap.* 8.

dem lectitabat. Hi duo labem eam Ambrosio affricuerunt: labem dico; hoc enim genus interpretandi ævo nostro minime placet; sed nec solidum est, idemque eo accidit, ac si plantam, aut arbusculum inflexione immodica unam in partem trahas. Non enim confirmabis, sed franges potius, aut quod pronius est, etiam in diversam, & contrariam formam deduces, quæ est Sixti V. sapientissimi Pontificis comparatio, & quidem in causa ejusdem Ambrosii; quando illum adhuc Cardinalis castigatum locis plurimis in lucem emittebat. Quamquam nec illud tacendum est, Maurinos Monachos in *præfat. citat.* plura afferre, eaque minime contemnenda, ut ostendant, ne hoc quidem, quod hanc interpretandi rationem tenet Ambrosius, vitio eidem verti posse ab æquis rerum æstimatoribus. Quod ideo monemus, ut cujus interest, adire eos per se possit, nec novæ tractationis necessitatem nobis imponat.

Quid porro illis faciam, qui præterea Ambrosium aperti in scribendo criminis, plagii videlicet, solent insimulare? qui mutuatam, aut emendicatam ejus eloquentiam asserunt, qui expilatorem vocant, Origenem, Didymum, Hyppolitum Martyrem, Basilium ita exprimentem, ut transcripsisse potius, vel latinos fecisse videri possit. Nempe hæc ipsa causa est judice Baronio, cur Hieronymus in *Catalogo* quidem suam de Ambrosio sententiam premat: aliis vero quam plurimis locis aperte eum vellicet, ac tantum non disertis verbis proclamet, in alienos labores scriptorem istum intrasse. Qua de re, quod difficultatem habere non minimam videtur, a pluribus candide, diligenterque est pertractatum; ex quibus ego Erasmum in *Nuncupatoria*, Costerium *in vita, Galesinium Præfat. Homiliar. Ambrosii ad S. Carolum*, Baronium *ad ann.* 397. Raynaudum *de confixione librorum*, Maurinos Monachos

chos in *Præfatione* legere me memini. Itaque neque novum, neque laboriosum est, nota ea Ambrosium liberare. Quis enim id non condonet homini e tribunalibus repente ad Sacerdotium non vocato, sed rapto? Audiamus candidissimam, quam ipse initio Officiorum affert purgationem. *Homines*, inquit, *discunt prius, quod doceant, & ab alio accipiunt, quod aliis tradant. Quod ne ipsum quidem mihi accidit. Ego enim raptus de tribunalibus, atque administrationis infula ad Sacerdotium, docere vos cœpi, quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul, & docendum est, quoniam non vacavit ante discere.* Adde infinitas eas curas, planeque decumanos labores, quibus pro religione distentus perpetuo fuit tantus Præsul; adde conciones, quas teste Augustino * Dominico quovis die habebat ad populum: adde ex eod. ** catervas hominum, qui solatii & salutis causa domum ejus ita obsidebant, ut vacare sibi vix unquam posset. In hac conditione rerum suarum, ubicunque aliorum labores usurpavit, nonnisi homilias effingebat, ut Sixtus Senensis monet, de quibus in lucem emittendis quamparum ipse cogitavit, tam anxii, ac impatientes notarii fuerunt. Existimat autem Galesinius *Hexameron Basilii*, tum recentissimum opus, nondum pervenire Mediolanum potuisse, nisi pro jure amicitiæ ipse auctor Ambrosio submisisset. Quod si factum est, multo etiam liberius ei licuit, rem amicis communem in suorum commoda usurpare. Hieronymum quod attinet, etsi succensere Ambrosio visus est aliena compilanti, tamen ingentem præfert ejus viri existimationem, & *Apologia* 1. *adv. Ruffinum* Am-

* *Libro VI. Confess. cap.* 3.

** *Ibidem.*

Ambrosium *quasi columnam Ecclesiæ* dicit, cui ipse collatus *pulex*, *& nihili homo* esset.

Quid quod ita occupatus, ac velut in plures partes distractus Ambrosius vel sic tamen, cum alienis uteretur, quam plurimum præstitit? Et certe mirum est, quantum ex propriis ornamentis conferat, quantum addat splendoris, quam apte suo quævis loco reponat, quantum curæ ostendat, ut lolio suppresso solos flores, fructusque decerpat *. Denique multa suo marte conscripsit fœcundissimi pariter, & amœnissimi ingenii monumenta. Ex quibus ipsis pulcherrima quædam, magisque elaborata penitus interciderunt: summa utique jactura, quam dolentius ac pretiosi cujusque thesauri debemus deplorare; recte enim Baronius ad *ann.* 397 *inæstimabilem* eam dicit. Deest autem *Institutio ad christianam fidem* Fritigildi Marcomannorum Reginæ inscripta, & *Liber* alius *de puerorum Institutione ad Pansophium parvulum*, quem vir sanctus insigni portento a mortuis revocaverat. Nam utriusque operis non qualemcunque testem habemus, verum ipsummet vitæ scriptorem Paulinum, qui disertam eorum mentionem facit & primum *præclaram Epistolam* vocat. Desiderantur item *libri de Philosophia*, sive de Sacramento regenerationis in eos, qui Christum Platonis libros expilasse dicunt: atque hos Augustinus *Libro II. contra Julianum cap.* 5. allegavit, *epistola vero* 31. *alias* 14. a diligentia & copia extulit. Deficiunt nos denique *Commentarii in omnes Prophetas* **, *Homiliæ in Sapientiam*, *Liber de judi-*

* Certe Hexameron merito ornatissimum inter opera ejus ab Eruditis appellatur.

** *In Isaiam* certe sæpissime allegat Augustinus contra hæresin Pelagianam: & ipse adeo Ambrosius eorum meminit *Libr. II. in Lucam.*

judicio Salomonis, *Commentarius in Paulum* *; horum quippe omnium in *divinis lectionibus* diserte meminit Cassiodorus **.

Absolvamus hoc caput Joannis Costerii quam non fucatis tam elegantibus verbis, qui in vita versus finem ita in rem nostram pronuntiavit. „ Sed „ qua facilitate, ac orationis nitore hic græca ex„ pressit? quid hic non est insignis artificii? dixe„ rint alii esse furtum, dixerint corniculam alienis „ pennis vestitam. Utinam pium hoc sanctissimi „ viri furtum in multis aliis deprehendere daretur! „ utinam e latinis scriptoribus hujusmodi cornicu„ læ complures fuissent, multorum sane Græcorum „ eloquentissimos libros Romana saltem lingua lo„ quentes haberemus, quorum ne vestigium qui„ dem superesse studiosi deplorant. Nam quis „ nunc vel fragmentum Hyppoliti proferat, e cu„ jus libris Ambrosium multa sublegisse Hierony„ mus scribit, & cujus ipse doctrinam, ac eloquen„ tiam tantopere prædicat? scripsit Basilius in Esaiam „ Prophetam, scripsit, & Ambrosius. At cum ego „ in eo opere divum Basilium eum secutum fuisse „ putem, quem thesaurum, quas haberemus opes, „ si hoc Ambrosianum opus prodiret in lucem. „ Quod autem eorum nomen suppressit, quorum „ opera in scribendo est usus, id laudatissimo con„ silio factum est, quod nullam aut offendiculi, „ aut diffidii causam simplicioribus dare vellet, qui „ eorum audito nomine, qui ob prava dogmata „ improbati, ac suspecti essent, statim ceu conspe„ cto Basilisco resilientes, nullum ex lectione per„ ciperent fructum. Quod ergo eorum subsidio „ usus est, diligentiæ fuit, quod nomina pressit, „ prudentiæ. Quamquam sane quidquid vel suum, „ vel

* Diversus ab eo suppositio, qui nunc extat.
** Maurini denique *Præfat. in Tom. II.* contra Apollinarem quoque scripsisse suspicantur.

„ vel alienum est, non potest non placere, non „ summa laude dignum judicari ; tantum est in „ ipsius sermone eloquentiæ, tantum amœnitatis, „ tantum nitoris, etiam in iis, quæ obscura sunt, „ & non ita facile splendescunt, nec sermonis le- „ nocinia, pigmentaque admittunt. Neque enim „ ita magnæ est difficultatis, in festivo, & plausi- „ bili, ac veluti theatrico argumento eruditionis, „ ac eloquentiæ divitias ostentare: ceterum res per „ se incultas, ac retrusas expolire, ac proferre „ posse in lucem hominis est & eximie docti, & „ maxime ingeniosi, & qui in dicendo, scribendo- „ que probe sit exercitatus. . . . Ceterum, quan- „ do ejusmodi argumentum tractabat, quod non „ solum admitteret, sed ultro quoque tanquam jure „ suo elaboratiorem, ac floridiorem dictionem ef- „ flagitaret, hic pia quadam ambitione opes suas „ mira arte ostentat, hic congestum olim ex Egy- „ ptiis, atque exoticis opibus thesaurum in Eccle- „ siæ gloriam, atque ornamentum depromit. „

CAPUT III.

Ubi emineat Patris hujus facundia?

Ut ordine pergamus, universi operis partitionem sequimur, prout discreta singula a Maurinis sunt, & in classes suas redacta. Itaque ab iis, quæ ad scripturæ expositionem referuntur, initio facto, convenit inter Auctores, etiam in Ambrosium quadrare, quod ipsus de Origene alicubi admonet, scilicet majorem in veteri, quam novo Testamento apparere. Verum quoniam pauca ejus in novum Testamentum habemus, critica hæc animadversio non potest esse multi usus. Et certe aliqui eo ab illa deduci se sunt passi, uti libros Sancti Doctoris, quos in *Lucam* exaravit, minoris multo facerent, ac oportebat. Forte autem & Ruffinus *Libr. 2.*

Invectivarum iis impofuit, ubi ait, Hieronymum, tacito licet Ambrofii nomine, fcripfiffe, auctorem Librorum in Lucam *ludere in verbis*, & *dormitare in fenfibus*, *denique Græcorum plumis fe venditare.* Quid ergo ipfe Hieronymus ad eam expofitionem lectores fuos aliquando remittit? quare toties ab Auguftino, Caffiodoro, & aliis laudem illa tulit? unum audiamus Accam Epifcopum Cantabrigienfem, cui multos ex libris fuis Beda infcripfit. Hic enim *Epift. ad eundem* Bedam * ita habet: „ Sunt quædam in „ expofitione beati Ambrofii in Lucam tam diferta „ fimul, & excelfa, quod tuam quoque fanctitatem vidiffe non ambigo, ut a doctioribus folum „ intelligi queant, a rudibus vero, faftidiofisve lectoribus, quales in præfenti ævo plures invenies, „ præ difficultate affequendi, quæ diferta funt, vel „ capiendi, quæ alta, ne quærenda quidem quafi „ celfiora, nec quafi fe fortiora putentur effe fcrutanda. Nec parum dedit judicii doctiffimus Pater Auguftinus, qui ad Paulinam Dei famulam de „ videndo Deo fcribens, non aliis magis, quam ex „ hoc opere fumptis beati Ambrofii teftimoniis utendum putavit, & ea pariter non folum ponenda „ fimpliciter, fed etiam exponenda judicavit: adeo „ ut ex pauciffimis memorati tractatoris fententiolis „ non parvum volumen retractando confecerit. „ Quædam tamen S. Ambrofius in hoc opere indifcuffa præterit, quæ illi quafi fummæ eruditionis viro, nec quæfitu digna videbantur. „ Hæc antiquiffimus Præful de libris in Lucam, quæ, quod momenti haud parum habent, ad vindicandos eos funt plus quam fatis **.

Sed

* Quod & inter opera hujus reperire eft.

** Vide de tota hac re Maurinos cum in *Præfatione* tum in *admonitione* ad hos ipfos libros.

Sed ut inde redeamus, quo tantisper digressi sumus, plerique commentarios Ambrosii in Psalmos ceteris, quæ in vetus Testamentum scripsit, facile anteponunt. Et est ejus sententiæ ratio satis idonea, si universa spectentur. „ Quid in his est non eru-
„ ditum, exclamat Costerius, non varium, non
„ ornatum? Davidicam lyram suavissimo linguæ
„ plectro attrectat, & Psalterium, quod demulcen-
„ dis piorum mentibus Regius Propheta cantavit,
„ ea ipse quoque sermonis suavitate, ac modula-
„ tione decantat, ut, si viveret David, non posset
„ non felicem, ac beatum sese existimare, qui car-
„ minis sui tam præclarum, atque insignem nactus
„ esset interpretem. Quæ hic non mysteria pro-
„ fert in lucem? quam hic excutit omnia? quam
„ nihil negligit? quam pie docet? quantos excitat
„ ignes? quantos relinquit aculeos? rapit, trahit,
„ impellit hominem, quo velit; tanta est & in di-
„ cendo suavitas, & efficacia in persuadendo. Sic
„ delectat, ut id solum affectasse videatur: sic do-
„ cet, ut meliorem te fieri sentias: sic movet, ut
„ sequi etiam cogaris invitus: sic objurgat, ut ta-
„ men non possis irasci. Artificiosa plane apis fa-
„ vos construens, omni suavitate, deliciisque dif-
„ fertos, quorum vitali pastu animæ sanctæ mirum
„ in modum saginantur. „

Præcipue vero ea laus debetur *Expositioni in Psalmum* 118. ut longissimum, sic pulcherrimum, plerumque saluberrimis documentis. *Cum tam nobile argumentum propositum haberet Sanctus doctor*, ut ajunt Maurini *, *omnem ingenii vim, omnem sibi divinitus concessam facultatem eidem illustrando adhibuit. Quidquid in eo fuit eloquentiæ, quidquid ardoris, modestiæ, humilitatis, scientiæ, id omne tanto cum splendore in hac commentatione elucet, ut ex communi*

* In *admonitione.*

doctissimorum virorum, atque etiam heterodoxorum suffragio inter præstantiora Ambrosii nostri opera numeretur. Eminet autem hic præcipue in sensu morali, in ducendis ad perfectionem christianis, in increpandis vitiis, nulla status, aut dignitatis habita ratione, id quod præter alia iidem Monachi * præclare ostendunt. Quod vero ante alia me afficit, est superbissimi hominis, & Patrum mastigis Dallæi de hoc scripto judicium. Neque enim dubitat vocare *opus præstans, & eloquentia, sanaque doctrina refertum, lectuque adeo dignissimum.*

Ex ceteris commentariis maxime oratorii sunt *Libri duo de Cain, & Abel, Libri de Jacob, & vita beata* **, *Liber de Elia, & Jejunio, Liber de Nabuthe, Liber de Tobia, secunda Davidis Apologia* (siquidem ejus sit) priore multo præstantior. Sed & in *Libro de bono mortis* multa copiose, sublimiter, & ornate dicta sunt. Inter mystica plane excellit *Liber de Isaac & anima.* Hæc de iis, quæ in Scripturas sanctus Doctor commentatus est.

Inter Moralia cum multa sint, quæ singularem habent elegantiam, commendari merentur universa. Et libros quidem *de Officiis* sunt, qui illis Panætii, Hecatonis, & Tullii plurimum anteferant: nec defuit, qui Ambrosium & Ciceronem eodem volumine, respondentibus sibi e regione paginis, ut comparationi locus esset, comprehenderet ***. Ego qui Panætium, & Hecatonem non vidi (neque enim extant amplius) de Cicerone illud ipsum jure hic usurpem, quod ex Augustino, ubi Faustum cum Ambrosio composuit, paulo ante memorabam, videli-

* *Eodem loco.*

** Maxime *sub finem*, ubi de Machabæis, ut jam Cassiodorus in *Institut. divinarum literarum* animadvertit.

*** *Moguntiæ* nimirum 1602. *ad* usum juventutis literariæ.

delicet verba minus hilarefcere, ceterum rerum ipfarum nullam effe comparationem. Utilitas eft evidens, dudum ab eodem Auguftino * notata, ufuque omnium fæculorum, quem manufcripta innumera, & excerpta, & breviaria teftantur, manifefte comprobata. Quare non eft opus, ut in commendationem eorum locos etiam, atque elogia auctorum cumulemus.

Quantumcunque autem inOfficiis Ambrofius excellat, mihi magis adhuc placent *libri de Virginibus*. Hieronymus *Epift.* 22. *ad Euftochium* hoc de illis tulit judicium. *Lege Ambrofii noftri, quæ nuper fcripfit ad fororem opufcula, in quibus tanto fe effundit eloquio, ut quidquid ad laudes virginum pertinet, exquifierit, expreſſerit, ordinarit.* Certe hæ, aliæque ejus argumenti fcriptiones tantam adhuc viventi famam confecerunt, atque ita ad exteras gentes pervagatæ funt, ut ab ultima usque Mauritania Virgines Mediolanum venirent, ad facrum velum, infigne virginitatis,abAmbrofio accipiendum. Quare Maurini in *Admonit.* tantum his fermonibus eloquentiæ, & vehementiæ tribuunt, *ut maria ipfa pervaderent.* Sed & Matres Mediolani prohibebant filias, ne hoc de argumento dicentem audirent, imo quod memorabilius,domi includebant. Quod utrumque ex ipfo hoc opere habemus, & fcriptores varii nunquam fatis admirari potuerunt. Addunt autem & illud, mirum omnibus effe debere, hominem vixdum a provinciæ adminiftratione, fæcularibusque tribunalibus abductum Sacris Literis, & chriftiana facundia tam præclare, tam excellenter inftructum comparuiffe. Certe Erasmus tot facundiffimis Patribus argumentum hoc verfantibus præponere eum videtur, quando *in Præfat. Virginitatis*

* *Epift.* 82. *ad Hieronymum nunc* 21. Iterum eos laudat in *Apologia adverf. Jovinia.*

præconem facundissimum appellat. Costerius vero, *in eo opere*, quærit, *quid est non limatum, non expolitum, non excultum!* Et mox. *Ornatus enim cum primis hic studiosissimus est, perinde, ac si cerussa, ac purpurisso virginitatis ora depingat, quo spectatoribus speciosior, gratiorque haberi posset. Nactus hic erat campum, in quo ingenii sui fræna laxaret. Quin & alibi quoque data opportunitate virginitatis est facundissimus, & locupletissimus præco: ut verisimile sit, pudicitiæ decus incolume illi conservatum fuisse, quam & tantopere amavit, & tam facundo ore ab eo laudatam fuisse videmus.* Hæc si cogitantur, quæ addere adhuc possumus, & Marcellinam scilicet sororem, eorum fama Romæ excitam descriptos poposcisse, & Augustinum, aliosque laudasse sæpius ac allegasse, minora jam sunt, & admirationem amittunt. Istuc omittendum minime fuit, ipsummet sanctum Doctorem *in fine Libri II.* suam fors nimiam artem, & facundiam, quam in oratione exprompserat, hac idonea sane causa excusare, quod sic majore vi, & suavitate teneras mentes attraheret; uti reipsa factum est, & fit hodieque, quando resistere vix possunt, qui mellita ejus facundia semel fuerint illecti.

Porro in *primo libro* eminent quæ de S. Agnete, de Vestalibus, de malis mulierum, de virgine aram complexa memorat. *In secundo* Deiparam Virginem, Theclam, & puellam Antiochenam in lupanar abductam præcipue floribus illis suis exornat. *In tertio* nihil simile digressioni, qua Sancti Præcursoris cædem describit, atque exaggerat.

Post *libros de Virginibus* uti ordine sic eloquentia proximus est *liber de Viduis*, in quo sæpe vis, & elegantia quasi de palma decertant. Erasmus in *Vidua* sua *christiana* breve quidem, verum insigne illi elogium texit. *Venio*, inquit, *nunc ad viduas, a quibus divinæ literæ perfectius quiddam videntur exigere. Nec in hoc sumam operam, ut viduitatis* digni-

dignitatem oratione celebrem. Fecit hoc jam olim ille mellitus orator Ambrosius tam ornate, tam copiose, ut nihil possit accedere. Sed & Galesinius *verborum lumine illustrem, & sententiarum pondere gravem* eum librum dicit.

Sequentem, qui nunc de *Virginitate* inscribitur, olim *libro III. de Virginibus* assutum, maxime commendat prudentia oratoria, qua argumentum hoc suum defendit.

Qui sequitur *liber de institutione Virginis*, & ipse pie, graviter, florideque scriptus est, & maxime placet, ubi Mariæ integritatem perpetuam defendendam sumit.

Exhortatio ad Virginitatem varia habet argumenta, sed virginitatis præconium hic quoque præstare ceteris videtur.

Hactenus de iis, quæ virgines, & viduas spectant, ubi judice Erasmo * *velut in argumento plausibili magis expromit, ne dicam ostentat dictionis ornamenta.* Quibus merito subjungas Librum *de lapsu Virginis consecratæ*, qui dignissimus quidem Ambrosio, non tamen indubius est fœtus. Maurini *in admonitione* jam *vehementissimam increpationem*, jam *acerrimam, densisque, ac brevibus incisis maxime concitatam orationem* vocant. Habet ejusdem argumenti Epistolam divus Basilius sane gravissimam, cui tamen nemo est, qui librum hunc non aperte prætulerit. Caussinus qui illam valde laudat, isti majorem longe vehementiam, atque acrimoniam tribuit.

Sed qui *Moralia* præmisimus, *controversa* non omittamus. Equidem negare haud possum, ceteris esse multo inferiora. Sic enim fere sunt libri dogmatici, ut minus faciant pro eloquentiæ studiosis; quod cum congerie testimoniorum, tum ipsa subtili-

I 5

* In *Præfat. operum.* Quo puto etiam Costerius, ad finem prioris capitis laudatus, respexit.

tilitate argumenti jejunitatem habent, nec facile admittunt delicias, & ornamenta dictionis. Nihilominus in Libris *de Pœnitentia* contra Novatianos, & *de Spiritu Sancto* contra Macedonium * neque copiam puto, neque ardorem lector desiderabit. Sed & in ceteris *de fide*, & *Incarnationis Dominicæ Sacramento* non raro afficit tractandi dexteritate, atque industria, recteque Maurini ostendunt **, præcipue in objectionibus nectendis, proponendis, solvendisque Ambrosium eminere. Legat exempli causa lector *cap.* 8. & *seq.* postremi operis, & mirabitur, qua soliditate, quibusque nervis præcipuum Arianæ hæresis cardinem ille convellat. Costerius ad hos *de fide*, ut illos *de Spiritu Sancto*: *Deum immortalem,* exclamat, *quanta luce*, *quanta eloquentia*, *quanta pietate! Putes eum in mediis campis solutis habenis excurrisse, non inter prærupta, & aspera loca desudasse. Ita nusquam hæret, nusquam se torquet, nusquam a cœpta via ceu fessus viator declinat.*

Inter Epistolas longissime præcellunt illæ, quas ad Imperatores, & Marcellinam sororem dedit. In istis duabus, quod sermonem contra Auxentium continent, *ita*, teste Galesinio, *exaggerat, & amplificat divino spiritu concitatus orationem, ut nihil dici quidquam possit vel excelsius, vel magnificentius.* De illa *contra Symmachum* jam dixi libro I. Sufficit cum Croiseto *** super responso tam opportuno, tam energico, tam convincente istud hic admonuisse, quod Ecclesia ultimam contra Gentiles victoriam relatam his maxime literis debeat in acceptis ferre.

Quid porro de duabus *ad Theodosium* in causa Synagogæ, & in causa cædis Thessalonicensis dicam?

---

* Cavillo, quo Hieronymus *Præfat. in Didymum de Spiritu Sancto* hoc opus petisse visus est, egregie, fuseque respondent Maurini in *admonitione.*

** *Admonitione ad libros de fide.*

*** In Exercit. *pietat. VII. Decembris.*

cam? Illud videlicet, Ambrosium in iis expressam, spirantemque magnitudinis suæ imaginem reliquisse, qua sane sola Episcoporum omnium exemplar absolutissimum habeatur. Age, versemus tantum, inspiciamus, contemplemur velut effictum in ære, solidumque hoc signum, in quo quasi redivivum tantum Antistitem videamus.

Supersunt orationes funebres duæ in *fratrem Satyrum*, duæ in *obitum Valentiniani*, & *Theodosii Augustorum.* Tempus non permisit, uti eas elaboraret, locos nihilominus sublimes, grandesque amoris affectus habent. Secunda *in Satyrum* prætetea locos communes, eosque egregios de malis hujus vitæ, de luctu in funeribus carorum, de solatio mortis, & resurrectionis suppeditat. *In iis, quas in fratris Satyri morte descripsit*, ait Costerius, *quæ non variarum, ac insignium rerum fæcunditas! quæ non verborum lautities!* Præter hos nullum alium agnoscimus Ambrosii sermonem; & eos, qui hucusque ejus nomine ferebantur, plus quam certum est, ab ingenio, styloque Ambrosii nimium quantum diffidere.

Atque ita & hæc Dissertatio absoluta est a nobis. Qui plura desiderant, habent sane alia, quibus sanctissimi viri facundiam ornare adhuc possint. Præter eos enim, qui de Auctoribus ecclesiasticis scripserunt, serviunt hic *Prolegomena editionis Gillotianæ.* Petrus Galesinius *Præfatione ad sermones S. Ambrosii.* Joannes Baptista Masculus, qui opera S. Doctoris unum in Tomum contraxit, viamque ad Conciones inde formandas ostendit. Cardinal. Baronius *in Vita.* Theophilus Raynaudus in *Hagiologio Lugdunensi.* Godefridus Hermant in *vita* Gallice edita forma quarta *ann.* 1679. Franciscus Girus, & Hadrianus Bailletus in *Vitis SS. ad diem VII. Decembr.* Editores Maurini, qui cum in *Præfatione*, & *admonitionibus* ad singula opuscula, tum in *appendice* plurima, quæ huc faciant, diligenter, & enucleate expendunt. Vita a Candido Decembri, seu Decembrio eleganti & puro scriptore composita nusquam compareat, & quoniam typis non prodiit, verius omnino deper-

deperdita est. Addi etiam ad ceteros possunt, qui de Rebus, de Sanctis, & de Scriptoribus Mediolanensium egerunt. Denique ea, quæ libro nostro I. Dissertat. ultim. ipsimet de Ambrosio perscripsimus.

DISSERTATIO VI.

De Eloquentia Sulpitii Severi.

CAPUT I.

Encomia hujus eloquentiæ.

Severus Sulpitius doctissimo natus sæculo, sed quo eloquentia, & latini sermonis puritas in barbariem paulatim vergeret, omni tamen ætatis ejus vitio superior fuit. Claudianum certe Poëtam, & ex nostris Hieronymum si excipias, nemo illi tum bonarum literarum gloria comparandus. Ut enim erat ingenio nobili, & amœno, generisque beneficio subsidia habebat omnia, difficile ei non fuit, artes omnes arripere, quibus ad humanitatem informamur. Quare factum est, ut ætate non magna scribendi felicitate non æquales modo anteiret, sed in ipso mundi Theatro, ac fori celebritate versatus facundiæ palmam teneret, nuptiasque consequeretur splendidas, & consulares. Verum uxore paucis post annis morte sublata, cum tædio rerum humanarum, tum maxime amicissimi Paulini exemplo sæculi res omnes valere jussit, & ingenii laudem inanemque gloriam aspernatus, Piscatorum prædicationes Tullianis & suis literis omnibus præposuit, linguamque profana oratione pollutam Christi laudibus expiavit. Deinceps beato Martino, cujus intimas virtutes cognoverat, & admiratus erat, discipuli instar adhæsit. Tali autem Magistro formatus, mirum non est, quod studiis, & artibus humanitatis solennius etiam nuntium remitteret, & earum veluti reliquias unice ad pietatem, & usum Eccle-

Ecclesiæ transferret *. Itaque vel ejusdem B. Martini & Sanctorum Monachorum res gestas stylo prosecutus est, vel epistolas de rebus ad pietatem spectantibus scripsit, quarum paucissimæ supersunt, vel denique historiam sacram inde ab orbe condito retexuit: contempta quidem, ut plane constat, elegantia, nec tamen, cum occasio se offerret, intermissa. Identidem enim, quidquid contra causetur, ex prioribus illi studiis aliquid adhæsit. Sed ipsummet audiamus, cum neglectum orationis cultum excusat. *Præfatione enim in vitam beati Martini ad Desiderium* cum dixisset, se libellum de Sancto illo scriptum scheda sua premere, & intra domesticos parietes cohibere decrevisse, hanc dat rationem: „ Ut sum natura infirmus, judicia humana „ vitabam, ne, quod fore arbitror, sermo inculstior legentibus displiceret, omniumque reprehensione dignissimus judicarer, qui materiam „ disertis merito scriptoribus reservandam impudens occupassem. Sed petenti tibi sæpius, ne„ gare non potui. Quid enim esset, quod non „ amori tuo, vel cum detrimento mei pudoris im„ penderem? Verumtamen ea tibi fiducia libellum „ edidi, qua nulli a te prodendum reor; quia id „ spopondisti. Sed vereor, ne tu ei janua sis futu„ rus, & emissus semel non queat revocari. Quod „ si acciderit, & ab aliquibus eum legi videris, bo„ na id venia a lectoribus postulabis, ut res po„ tius, quam verba perpendant, & æquo animo „ ferant, si aures eorum vitiosus forsitan sermo „ perculerit; quia regnum Dei non in eloquentia, „ sed in fide constat. Meminerint etiam, salutem „ sæculo non ab oratoribus, sed a piscatoribus præ„ dicatam; cum utique, si utile fuisset, id quoque „ Dominus præstare potuisset. Ego enim cum „ pri-

* Vide *Epistolam I. S. Paulini*, num 5.

„ primum animum ad scribendum appuli; quia ne-
„ fas putarem, tanti viri latere virtutes, apud me
„ ipse decidi, ut solœcismis non erubescerem; quia
„ nec magnam istarum unquam rerum scientiam
„ contigissem: & si quid ex his studiis olim for-
„ tasse libassem, totum id desuetudine tanti tempo-
„ ris perdidissem. Sed tamen, ne nos maneat tam
„ molesta defensio, suppresso, si tibi videtur, no-
„ mine libellus edatur: quod ut fieri valeat, titu-
„ lum frontis erade, ut muta sit pagina: aut, quod
„ sufficit, loquatur materiam, non loquatur au-
„ ctorem. „

Sed tanta demissione nihil ille minus consecutus est, quam ut infans, & indisertus in dicendo haberetur. Neque de veteribus solum loquor, sed posteriorum quoque temporum literatis hominibus; adeo ut jucundum sit audire, quas ei certatim laudes tribuerent, quæ præconia deferrent. Et S. PAULINUS quidem * ut superiora non repetamus, *eloquia* ejus tam *facunda*, *quam sancta* appellat.

PAULINUS alter divi Ambrosii Notarius, & vitæ scriptor ** *Eloquentiæ fontem* dicit.

PAULINUS tertius *Petrocoriensis* dictus, qui vitam beati Martini versibus expressit *Libr. V. v.* 193. ait: *Testis adest docto mirabilis ore Severus.*

GENNADIUS *in Catalogo de Viris Illustrib. Virum genere, & literatura nobilem* asserit, qui *scripserit opuscula non contemnenda.* Gennadium pro more sequuntur Addo Viennensis, Honorius Augustodunensis, Joannes Trithemius, Guilielmus Pastrengus.

AUCTOR ANTIQUUS COLLECTIONIS HISTORIÆ CHRONOGRAPHICÆ EX IDACIO, de scriptis Severi loquens, *Virum summum* dicit.

HER-

---

* *Epist.* 11. *alias* 5.

** *Initio vitæ S. Ambrosii, S. Augustino dicata.*

Hermannus contractus *in Chronico* non dubitat summis Doctoribus Ambrosio, Hieronymo, Joanni Chrysostomo, Augustino, qui hoc tempore claruerunt, Severum annumerare.

B. Petro Damiani *Serm. de S. Martino* Severus *insignis orator* nominatur.

Guibertus Martinus *Abbas Gemblacensis* in *Apologia Severi*, *tam disciplinis liberalium artium, quam generis nobilitate clarum extitisse*, ait, *gemina simul & prosapiæ, & sapientiæ, ac scientiæ præpotentem gloria.*

Chronicum Turonense *apud Edmundum Martene Tom. V. Veter. Scriptor. p* 925. librorum haud dubie causa, Sulpitio *Maximi* cognomentum tribuit.

Anonymus *in Prologo operum Paulini apud Le Brun*, Editorem ejus, Severum Sulpitium *æque nobilem & literatum virum* vocat.

Carolus Sigonius *Commentar. in Sacram Historiam Severi*, *hominem* dicit *ut sanctum, sic disertum imprimis, & eruditum.* Mox ad Studiosam Juventutem conversus: *Hortor omnes*, ait, *qui se aut sacris, aut profanis studiis dediderunt adolescentes, ut Severum hunc eo animo legant, ut plurimum se non tam in prudentiæ* *, *quam in Religionis, & innocentiæ studio profecturos esse confidant, addo etiam latinæ eloquentiæ, quam ille tanta industria coluit* &c.

Petrus Pithoeus vir multæ Lectionis, cui plura Patrum opera tineis erepta debemus *Præfat. in Salvianum*, loquens de viris summis probitate, atque eruditione admirandis, quos Gallia tulisset, inter alios Severum nominat, *quo digniorem* (sic enim

* Fateor, offendit me tantisper hæc loquendi ratio, sed Hieronymus de Prato familiare id Sigonio ostendens, ut *non tam* idem quod *tum*, vel *non minus* illi significet, scrupulum exemit. V. ejus *Præfat. in Tom. II. pag. VIII.*

enim ait) *Sallustio, Tacitoque æmulum ne inter Romanos quidem ullum video.*

Caspar Barthius eruditissimus Scriptor *Libr. III. adversar. c.* 5. quanti apud se Severus esset, luculenter testatum facit. *Incomparabili quapiam voluptate nos afficiunt*, inquit, *apud Latinos ii Scriptores, qui christianæ nostræ Religionis mysteria eloquentiæ floribus ornare voluerunt. Nimium vero pauci hujus generis supersunt, & ii fere sequiorum sæculorum tritu contaminatiores. Quod in Sulpitio Severo, talium citra controversiam principe, his diebus experti sumus.*

Jacobus Tirinus in *Indice Auctorum* ait: *Severus Sulpitius Aquitanus, genere, & literis nobilis Presbyter &c. libros duos scripsit eleganter de sacra Historia* &c.

Claudius Fleurius *Libr. XXI. Histor. Eccles.* §. 50. jam antea quam vivendi rationem mutasset, eloquentiæ laude celebrem Severum fuisse affirmat.

Ludov. Anton. Murator. *Dissert. III. in Vit. S. Paulini* operibus subnexa. *Jure quidem merito*, inquit, *virum venerari par est, cujus non modo conversione, vita, singulari pœnitentia, silentio, & pietate, quam summis laudibus viri sanctissimi celebrarunt, Ecclesia Gallicana illustrata est, verum etiam scriptis, quæ ut ceteris fidelibus ædificationi, ita & doctissimis admirationi exstitere.*

Abbas Ladvocat *in Lexico Historic. portatili. Hic præ omnibus antiquis Latinæ Ecclesiæ Auctoribus, solo fors Lactantio excepto, purissime, & elegantissime scripsit.*

Fuse etiam latinitatem & eloquentiam Severi commendat Jo. Georgius Walchius in *Histor. Critic. linguæ latinæ*, maxime *cap. XI.*

His uberius fortasse quam petebatur, aut necesse erat, enumeratis ad alterum Caput transgredimur,

dimur, & quæ singularia in scribendo Severus habeat, non minus solicite examinamus.

CAPUT II.

Notæ Severi peculiares.

Quinque dotes observare me memini in scriptis Severi volvendis, illi plane proprias, ac peculiares. Prima est *facilitas*, secunda *æquabilitas*, tertia brevitas, quarta *puritas*, quinta *venustas*. De singulis porro dicendum est.

Facilem esse Severum quivis deprehendet, modo vel a fronte salutaverit. *Collectio Historica chronographica ex Idacio*, quam supra retulimus, de Sulpitio universe ait, *apertissime scripsisse*.

Sed & auctor recens LAURENTIUS BERTI in *Eccles. Histor. Breviario Sæcul. V. c.* 4. *Stylum* Severi *facilem*, *& supra genium sæculi tersum* laudat.

ANONYMUS Gallus, qui *Compendium Chronologicum Ecclesiasticæ Historiæ* edidit, *Tabula IV. Sulpitius Severus*, inquit, *hic scripsit tersissima latinitate breviarium Historiæ suæ a creatione mundi usque ad annum Christi* 400.; *vitam præterea S. Martini Turonensis cum aliis quibusdam opusculis*. Equidem nihil in eo asperum, turgidum nihil, nihil obscurum, aut affectatum.

Sed æquabilis quoque est. Fluit olei adinstar, pari semper tractu, & sui nunquam dissimilis. Atque hæc ipsa *æquabilitas* novum suppeditat argumentum facilitatis ejus. Quæ enim arte potius & studio exprimuntur verius, quam profunduntur, differre a se ipsis ubique oportet, & jam hanc jam illam faciem sumere, quod non tam ex proprio sint, quam veniant ex alieno. Hic vero discernitur statim, quid Severi sit, quid non. Id quod in Epistolis quibusdam repertis, aut reperiendis deinceps magno usui erit. Laudat hunc tenorem & commo-

da inde exiſtentia Clar. Barthius *. *Qui ſcriptor*, ait, *cum ſibi ſit perpetuo ſimilis, mirum quam pulchre ex ſe ipſo poſſit illuſtrari: quod genus pene nemo ſecutus eſt in enarrandis elegantiſſimis auctoribus. etiam ceteris, ſi qui tractatione non plane indigni viſi ſunt, nobis vero magnopere præ omnibus arridet.*

Dos tertia Severi *brevitas* eſt. Eleganter nuperus ſcriptor Philippus Argelatus Sigonii editor ** Hiſtoriam Severi *ſtricto calamo* conſcriptam ait. Pauciſſimis nempe Sulpitius dicit, quod alii multis, imo plurimis tam feliciter, tam clare nunquam exprimerent. Imitatur enim Salluſtium, ſed ita, ut quæ minus placere in eo poſſunt, evitet perquam diligenter. Brevis eſt, atque conciſus, quin tamen ceſſet perſpicuus eſſe, unde recte a plurimis *Salluſtii Chriſtiani* nomen tulit. Neque novus eſt hic titulus. Nam datus illi eſt, cum vix prælo commiſſus, lucem plene aſpexiſſet. Sic enim Sigonius vocavit; ſic deinceps Giſelinus, Barthius, Voſſius, Vorſtius, du Mesnil, de Prato, & alii complures, qui modo non occurrunt, conſtanter vocaverunt. Sed Giſelinus ante omnes audiendus eſt, qui & fuſius in hoc argumento verſatur. Cum enim Severum ceteris Annalium ſcriptoribus etiam breviſſimis prætuliſſet, „ Hanc vero palmam, addit, ſola ut mi„ hi videtur Criſpi Salluſtii rerum Romanarum Au„ ctoris florentiſſimi imitatione conſecutus eſt. In „ quo cum multa virtutis locum obtinere videret, „ quæ tamen ſub imitationem vix caderent, abru„ ptum dico ſermonis genus, quod audientem le„ ctorem transvolat, nec, dum repetatur, expe„ ctat, ſive ut loquitur Seneca, amputatas ſenten„ tias, & verba ante expectatum cadentia, eas vir„ tu-

* Libr. 3. Adverſar. c. 5.
** *Tom. IV. ad Commentarium ejus in Sulpitii Severi Hiſtoriam Sacram.*

„ tutes, utpote Salluſtio ſuas integras reliquit. A „ verbis autem antiquis ex Catonis, ut volebat Au„ guſtus, originibus excerptis, conſulto ſe abſti„ nuit. At concinnam illam brevitatem, lectiſſi„ mis, ac ſignificantibus verbis temperatam ſuo in„ ſtituto cum primis accommodatam, tanta arte „ expreſſit, ut propemodum quis dicat non imita„ tum eum, ſed æmulatum. Neque enim ſatis ha„ buit eodem, quo ille modo orationem ducere, „ ſecare, circumſcribere, colligare, ac denique „ a re una ad aliam tranſire, niſi & principiis iisdem „ libros ſuos ordiretur, ita tamen, ut quæ ille teſte „ Fabio nihil voluit ad Hiſtoriam pertinere, hic „ paulo propius ad rem accomodarit. Quæ omnia „ in ſacra ſaltem hiſtoria præclare elucere vel primo „ oculorum injectu quivis animadvertit. „ Ita Giſelinus ſi quis alius præclare de hoc Scriptore meritus. Superiorem alii Salluſtio faciunt, quod illo felicius hanc, de qua dicimus, brevitatem cum claritate, & facilitate conjungat. Vide Dupinum Tom. 3. Bibl. nov.

Quarta Sulpitii nota *Puritas*. De qua Joſephi Scaligeri judicium ante omnia audire debemus. Ait enim *: *Iſte Sulpitius Eccleſiaſticorum puriſſimus Scriptor. Dignus ſane ** qui vel eo nomine legatur, quod ſupra ſæculi ſui captum loquitur latine.* Quod teſtimonium ſtudioſe monui me primo loco afferre debere. Eſt enim acerrimi Critici, qui moroſus & intemperans in alienis judicandis fuit. Et laudem ego ab eo homine profectam aliorum elogiis, utut maximis longe puto præferendam. Nolim tamen Severi puritatem ſic accipi, ac ſi nihil prorſus maculæ ab ævo ſuo ille traxiſſet. Barthius ſupra relatus *Libr. II. Adverſar. c.* 4. ait: *Non poſtremus eorum auctorum*

K 2

* In *Prolegomenis ad Libros de Emendatione Temporum.*
** Ut addit *Epiſt.* 305.

ctorum est, in quos ab omni ævo pluria, quam quisquam adhuc alius notavimus, Sulpitius Severus; quippe in quo maxime laudabilis sit styli gravitas, quoad quidem ejus fieri potuit suo sæculo, quo nemo latinius scribere potuit. Pari candore Hieronymus de Prato Editor Severi. *Si, quid ego*, inquit, *de his sentiam requirat, quamvis elegantiæ singularis laudem Severo nemo jure negaverit, ut sunt tamen aliqui etiam in egregio corpore nævi, ita non potuit ille a scriptis suis omnem ætatis, qua vixit, & latinitatis, quæ ipsi vernacula erat, rubiginem abstergere; adeo ut in hoc etiam Historiæ Sacræ Breviario ad imitationem Sallustii conscripto offendat aliquando, & a puritate latini sermonis declinet. Quod diligenter adnotatum singulatim fuit a Joanne Vorstio, multum in his studiis versato, utpote qui duos antea libros ediderit, quorum primo de* LATINITATE FALSO SUSPECTA, *alteri de* LATINITATE MERITO SUSPECTA *titulum fecit* *.

Quod denique *Venustatem*, & çetera, quæ inde sequuntur, attinet, multi multa scripserunt: *Venantius Fortunatus* Pictaviensis postea Episcopus *in vita Martini Libr. III. vers.* 11. *&* 12. de Sulpitio loquens, *os* ejus *venustum*, & *dulcem stylum* laudat. Gerardus Joannes Vossius *Libr. II. de Historicis Latin. c.* 12. breviter de Severo, nec obiter tamen. *Dictione*, inquit, *utitur tersa, & eleganti.* Eodem absque dubio Wolfgangus Lazius ** jam respexit, *nectaream* vocans Severi *elocutionem*. Similia alii habent, quotquot de Severo commemorant. Omnes enim rapit stylus nitens, perpetua jucunditate aspersus, & quod caput est supra ætatem cultus quidem, masculus tamen, gravis, nec sine emphasi, & decente Laconismo. Præclare dictum a Barthio *Libr. XII. adverf. c.* 18. *Elegantia Romani sermonis vix quis-*

* *Præfat. in Tom. II. pag.* 9.
** *Præfat. in Vitam S. Martini.*

quisquam christianus auctor extat praeferendus Severo Sulpitio, ut eum legens videatur stantis Reipublicae Senatorem aliquem de divinis rebus differentem audire. Atque ista causa est, cur Hieronymus de Prato Presbyter Oratorii Neriani in praestanti, atque eruditissima Severi editione * queratur summopere, Auctorem suum ab acatholicis Hornio, Vorstio, Clerico editum manibus circumferri. *Hoc scilicet*, inquit, *perpetuum fere a Giselini aetate ad hanc diem Severi fatum, ut ita loquar, fuit, ut impuris haereticorum hominum commentariis impune infarciretur, & contaminaretur. Nimirum, ut quo elegantior, & suavior ejus dictio fluit, quoque avidius a multis, praecipue a junioribus lectitatnr, eo incautius imbibi, eoque latius, citiusque serpere, & grassari pestis illa possit. Sic delicatioribus quibusdam epulis, & dulcioribus pomis, ficubus, moris, fragis mortiferum plerumque immisceri, inspergique solet toxicum.*

Sed quid Erasmo faciemus haud obscure obloquenti. Sic enim in *Ciceroniano* ait: *Sulpitius mollior quidem, & jucundior, & dilucidior, & illaboratior Hilario. Sed phrasis gallum fuisse declarat. Non deest pietas, sed abest vis, & gravitas, & est floridum dicendi genus magis, quam nervosum.* Ut fatear, quod res est, Erasmo in re humaniori dijudicanda multum tribuere alias soleo, quod his ipsis libris non semel, atque iterum, sed saepissime ostendi. Verum *Ciceroniani* ejus perexigua, ut debet, apud me existimatio est; ut in quo adversandi studio longius, quam decebat, provectus est. Ea autem animi comparatio non est apta ad judicandum his de rebus, apud illos praesertim, qui alias praecipiti consilio sunt, facileque ad extremum aliquod feruntur. Accedit istuc quoque, magnopere a nobis considerandum, propositum id loci Erasmo

 esse,

* *Praefat. generali §. II.*

esse, uti deprimat alios quosvis auctores, quo certius scilicet obtineret, quod tum quidem apud animum suum constituerat. Denique cum hæc pro *domo sua* ille scriberet, nihil adhuc Severi præter *vitam Martini* lucem aspexerat. Itaque vel solam illi Sacram Historiam opponendo iterum convellitur sententia ejus.

Quamquam, quid vel in vita, quam dixi, offendere potest? in qua tam luculenti, tam admirabiles sunt loci, ut summam apud omnes habeant commendationem. *Phrasis gallum fuisse declarat?* Verum est: sed Romanum multo etiam magis ostendit. *Est floridum dicendi genus magis, quam nervosum?* Flores habere non nego, imo in virtutibus ejus hoc pono: verum nec fructibus destituitur, quodque res grandes, uti sunt, ob oculos statuit, affectusque tenerrimos habet, haud parum in eo roboris est, atque nervorum. *Non deest pietas, sed abest vis, & gravitas?* Atqui grandiloquentiam Gallorum ingeniis peculiarem illi tribuit Præfat. in Hilarium. Næ ego vehementer suspicor, hæc non tam stylum Severi, quam argumentum & narrationes respicere, quæ nasuto homini non minus displicuerint, ac postea nepoti ejus Clerico, & heterodoxis pluribus displicuerunt. Quidquid sit, Erasmum non moramur hac in parte, sui persæpe judicii hominem, atque in comparationibus præsertim, quales ibi instituit, alias haud satis felicem. Et longe plus nobis aliquid arrogamus in eo saltem, quod vidimus ipsi, & solicite perlegimus: aliis deferimus, maxime cum magno numero sunt, & pedibus eunt in eandem sententiam. Quot autem laudatores vita beati Martini habeat, infra suo loco non sine admiratione audiemus. Sed satis jam de Severi ratione scribendi. Brevissime omnia complexus est Ignat. Hyacinth. Amat de Graveson *Histor. Eccl. Libro II. pag. mihi* 44. cum *ejus opera, stylo elegan-*

eleganti, terso, polito, facili, & claro elaborata affirmat. Videri etiam possunt de Severi stylo Trivultienses *ad annum* 1714.

CAPUT III.

Elegantiora ex Scriptis Severi.

Claudius Fleurius * inter opera Severi præcipuum ponit Historiam Sacram, quæ in duobus libris Religionis seriem totam inde a mundi exordio ad quintum usque sæculum complectitur. Et consentiunt illi ex superioribus, quotquot de Severo accuratius aliquanto scripserunt. Sic Victor Giselinus non contentus *elegantissimum* hunc libellum vocare: „ Quo opusculo, inquit, non sane magno aliud „ an ullo unquam sæculo Reipublicæ Christianæ „ utilius, ac præstabilius editum sit, iis, quorum il„ lud est judicium, judicandum relinquo. De „ elegantia vero præstare ausim, & affirmare me „ posse confido, nulli idem omnium Scriptorum „ Ecclesiasticorum quidquam concedere: alia vero „ omnia, quæ in eodem genere versantur, tanto „ intervallo omnimodis superare, ut ne sint quidem „ ad hoc comparanda. Magnum est, quod dico, „ & fortasse plurimis incredibile, sed ejusmodi ta„ men, quod non tam dicenti mihi, quam testifi„ canti pro me veritati creditum iri confidam, si „ quibus operæ pretium erit Orosium, Florum, „ Eutropium, aliosque Epitomatum auctores cum „ hoc nostro omnibus partibus contendere. „ Tribuit hoc annis, quibus Historiam eam scripserit Severus: *Confecta est in primo ætatis flore, cum flagrans eloquentiæ studium severa Turonensis contubernii disciplina nondum restrinxisset.* Qua tamen in re offendit vir egregius. Hodie enim extra dubium

* *Histor. Eccles. Libr. XXI.* §. 52.

est, historiam ultimo loco, & diu ab obitu Martini scriptam ab eo esse. Franc. Vavassor *in Scripto contra Godellum* non dissentit ab eo hac in parte, quod *libros* hos *perelegantes & thesaurum*, quemdam vocaverat. Jo. Albertus Fabricius in *Biblioth. Latin.* ait: *Duo historiarum libri succincte & eleganter prosequuntur res ab orbe condito ad consulatum usque Stiliconis.* Et de Prato *ubi supra* allegatis Dupini verbis: *Non habemus a quoquam Historiæ Breviarium ita concinne elaboratum, & tam eleganter scriptum, atque ejus est:* istuc subdit: *Hæc itaque doctissimi viri de præstantia & utilitate hujus operis verba. Quæ sane quemlibet sacris studiis deditum persuadere debent, ut id sibi assidua, & attenta lectione familiare, & intimum esse velit, præsertim cum versetur circa argumentum eximium, scituque dignissimum.* His ego laudibus nihil addo, nisi forte istuc præterire non licet, haud levis in rem nostram momenti: quod vir summus Bossuetus *Introductione* illa *sua in generalem Historiam* præ omnibus aliis Severum imitatus videtur. Neque valde timeo, ut deceptus sim in ea opinione.

Nihilominus, ut hæc omnia concedamus, materiam illa potius & nitorem respiciunt, quam eloquentiam. Nempe hic Historicum se Severus præbet, non oratorem, & cum facile, breviter, ac venuste scribat, alibi tamen multo magis facundia viri elucet. Nam stylus pro argumenti ratione gracilior, ac tenuior est, moremque eorum omnium Auctor sequitur, qui historias in pugnum contrahunt, & quasi compendio tradunt. Frustra ab his expectes, ut vel assurgant, nisi raro, & obiter, vel ut alia expromant quam tenuiora solum ornamenta. Sane vita S. Martini eadem, qua Historia ejus, puritate scripta, sed modo magis ubere, & magis jucundo. Hieronymus de Prato * *Licet communi*

* *Epist. ad Joan. Franc. Musellum ad calcem Tom. I.*

muni fere, inquit, *Scriptorum suffragio Historia seu chronicon in majori pretio habeatur, credo propter majorem elegantiam styli, & argumenti dignitatem: ego tamen secus senserim, & Libellis de S. Martino priores partes dederim, aliis de causis, quas non est hujus loci commemorare.*

Et de hac proin vita nunc dicendum est, allatis pro more testimoniis variorum scriptorum: S. Paulinus *Ep.* 29. *alias* 10. Librum hunc Sulpitii *illustrem illum materia, & eloquentia* appellat. Et *Ep.* 11. *alias* 5. eandem laudans & Severum ipsum benedicit, qui historiam eam tam digno sermone, quam justo affectu percensuerit, & beatum vocat Martinum, qui dignum fide, & vita sua historicum meruerit. Alter Paulinus, qui Ambrosii vitam scripsit, *initio* hanc Martini vitam *luculento sermone contextam* ait. Hugo Archidiaconus Turonensis *in Dialogo quodam apud Mabillon.* * ait: *Martinum habere & ipsum virtutum suarum egregium interpretem Severum, qui illum usque ad extremos mundi cardines velut evangelicus testis diffuderit.* Hermannus Contractus *in chronic. ad a.* 397. Martini virtutes & vitam Sulpitium Severum *egregio edidisse stylo.* S. Uldaricus *in Collection. antiq. Consuetud. Cluniac. Monaster. Martini vitam cum sit luculento stylo composita, & de ipsius adeo virtutibus admiranda*, sanctos Patres noluisse, ut in ejus Depositione aliud Evangelium pronuntiaretur, vel alia Homilia, quam ipsa vita legeretur. Quod ipsum diu ante in Ecclesia Turonensi factum Gregorius ejus Antistes auctor est. Chronographus Saxo **: *Severus*, ait, *vitam Sancti Martini eleganter scribit.* B. Petrus Damiani Serm. jam laudato, *Actus ejus*, inquit, *& vitam ita suo nobilitavit eloquio, ut & historicam relationem plena veri-*

* *Tom. II. Analectorum.*
** a Leibnizio editus *ad annum* 407.

veritate proponeret, & Rhetoricis legibus multipliciter insigniret. Guiberto Gemblacensi *Apolog. cit.* Sulpitius dicitur *noster iste insignis, & elegans studiorum & operum beatissimi Martini conscriptor.*

Ex Recentioribus Andreas Schottus *in Recens. Oper. S. Paulini* de Severo: *Vitam* ait, *S. Martini elegantissime* descripsit. Andreas Saussajus Severum *doctrinæ ac sanctimoniæ laude perillustrem vocat, qui Sancti Martini res gestas nitido stylo conscripserit, atque non minus actibus expresserit, quam calamo* *. Sed ipsum de eo opere Severum audire juvat **. Posthumianus ex Oriente redux virtutes Monachorum Severo, & familiaribus narraverat, quare vices ab eo rependi sibi petiit Martini virtutibus narrandis. Cui hic: „ Quid? tibi de Martino meo liber ille non sufficit, quem ipse tu nosti me de illius vita, atque virtutibus edidisse. Agnosco id quidem, Posthumianus inquit, neque unquam a dextera mea liber ille discedit; nam si agnoscis (aperit librum, qui sub veste latebat) en ipsum! hic mihi terra, ac mari comes, hic in peregrinatione tota socius, & consolator fuit. Sed referam tibi plane, quo liber iste penetraverit, & quam nullus fere in orbe terrarum locus sit, ubi non materia tam felicis historiæ pervulgata teneatur. Primus eum Romanæ urbi vir studiosissimus tui Paulinus invexit. Deinde cum tota certatim urbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæstuosius haberetur; siquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur. Hic navigationis meæ cursus longe ante prægressus. Cum ad Africam venissem, jam per totam Carthaginem legebatur. Solus eum Cyrenensis Presbyter *** non habebat, sed me largiente

* In *Martyrologio Gallicano ad IV. Calend. Septemb.*
** *Dialog. I.*
*** De quo ante sermo illi fuerat.

„ giente descripsit. Nam quid ego de Alexandria „ loquar, ubi pene omnibus magis, quam tibi notus est? hic Egyptum, Nitriam, Thebaidem, ac „ tota Memphitica regna transivit. Hunc ego in „ eremo a quodam sene legi vidi, cui cum me familiarem tuum esse dixissem, & ab illo, & „ a multis fratribus hæc mihi injuncta legatio est, „ ut si unquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere compellerem, quæ in illo „ tuo libro de virtutibus beati viri professus es „ præterisse. „

Quam grande elogium! tam late, tam cito diffusam celebritatem vel sæcularium scriptorum vix quisquam invenit. Quod si quis eam Martino magis, quam Severo datam velit, næ ille parum æquus est æstimator rerum. Itaque ex Apologia Guiberti supra laudata illi respondendum. Ait enim hic, Severum equidem gemmam splendidissimam selegisse, verum non qualicunque metallo, nec obvio, ac parabili ornatu, sed purissimo auro includendam. Quo factum, ut sic polita, & circumvestita illa in medio Ecclesiæ velut speculum quoddam præferret, quo quid facere, quid fugere debeيremus, clarissime exhibeatur. *Splendidissimam gemmam aureo luculenti sermonis circumdans eloquio tam præclarum tamque politum in medio Ecclesiæ speculare portabat, ut omnes boni æmulatores, qui sui solicite curam gerentes in veritate salvari cupiunt, in illo quid vitandum, quid appetendum, & unde placendum sit Deo, limpidissime perspiciant.*

Fuerunt adeo, qui beatissimi Martini meritis tribuerent, quod Scriptorem vitæ tantum, tamque illustrem sortitus esset. Sic Sanctus Odo Cluniacensis * ait: *Deum, qui Sanctum Martinum usquequa-*

* *Serm. IV. de combustione Basilicæ B. Martini Tom. XVII. Biblioth. PP.*

quaque mirificet, etiam hoc glorificare, quod omnes, qui de illo, & prosaice, & metrice, sive etiam rhytmice scripserint, & sancti & periti fuisse, & dulci admodum, & congruo eloquio noscantur, quæ protulerint, edidisse.

Luculentius *Commendatio S. Martini in Codic. Veneto apud Hieronymum de Prato Præfat. pag. LI.* quæ ita loquitur. „ Hujus Sancti viri conversatio „ vita, & mors elegantissimo stylo, non parvo ejusdem sancti miraculo, descriptæ apparent: in quibus inveniuntur multi diversis temporibus laborasse, præsertim Severus Sulpitius, qui sanctam „ historiam magno sententiarum, verborumque „ ordine prosecutus est. Cujus tanta patet facun„ dia sermonis, quod audeo dicere, nullum anti„ quorum Scriptorum sibi in hujusmodi superio„ rem fore; cum usque hodie nulla alicujus Sancti „ vel Apostoli, Martyris, Confessoris, aut Virgi„ nis gesta tanta dicendi arte appareant exarata. „ Quod quidem magno mysterio carere non arbi„ tror, ut sicut ejus opera & virtutes eximia ve„ neratione fuerunt dignæ, ita pari studio notaren„ tur, & ut meritis vitæ Deo placuisse creditur, „ ita etiam, si non esset operum excellentia, om„ nibus solum placere dictaminis facundia proba„ rentur. „

Post *Librum de vita B. Martini* aliquid etiam *de Dialogis* dicendum est, *aureolis* scilicet *Libris*, ut eos appellat Gaspar Barthius *. Fateor mihi præter morem arriserunt, multumque superarunt expectationem, quod post illum Minutii Felicis non putarem alium aliquem valde mihi placiturum. Habet sane jucunditatem in hoc genere Severus, & leporem haud facile imitabilem, optandumque summopere esset, omnes Patrum Dialogos, qui sunt plurimi,

* Libro III. Adversarior. cap. 5.

rimi, hac ratione conſcriptos eſſe. Tanta arte & concinnitate utitur, ut laſſari quis nequeat legendo præſertim Dialogum primum, ubi Poſthumianus ſingularia quædam de Monachis Orientalibus refert.

Sed quid jam de *Epiſtolis* Severi ſentiendum? Ego his ſcribendis non minus, ac ceteris excelluiſſe eum exiſtimo. Equidem paucæ nobis ſuperſunt, quæ tamen ſufficiant, uti ex ungue leonem agnoſcamus. Quantus lepor eſt in illa ad Baſſulam Socrum ſuam? „ Si parentes, inquit, vocari in jus
„ liceret, te plane expilationis, furtique ream ad
„ Prætoris tribunal juſto dolore traheremus. Quid
„ enim non conquerar, quam a te patior injuriam?
„ nullam mihi domi chartulam, nullum libellum,
„ nullam epiſtolam reliquiſti: ita furaris omnia, ita
„ univerſa divulgas. Si quid ad amicum familiari-
„ ter ſcripſi, ſi quid forte, dum ludimus, quod
„ velim tamen occultum eſſe, dictavi, omnia ad te
„ prius pene, quam fuerint ſcripta, aut dictata. per-
„ veniunt. Nimirum obæratos habes notarios
„ meos, per quos tibi noſtræ ineptiæ publicantur.
„ Nec tamen adverſum eos poſſum moveri, ſi tibi
„ parent, qui in jus noſtrum ex tua potiſſimum li-
„ beralitate venerunt, ſeque adhuc tuos magis,
„ quam meos eſſe meminerunt. Tu ſola es rea, tu
„ ſola culpabilis, quæ & mihi inſidiaris, & illos
„ fraude circumvenis, ut ſine delectu ullo familiari-
„ ter ſcripta, aut negligenter emiſſa, illucubrata
„ tibi penitus, atque impolita tradantur. Nam, ut
„ de reliquis taceam, rogo, quemadmodum tam
„ cito ad te epiſtola illa potuit pervenire, quam
„ nuper ad Aurelium Diaconum ſcripſeramus? ego
„ enim Toloſæ poſitus, tu Treveris conſtituta, &
„ tam longe a patria filio inquietante divulſa, qua
„ tandem familiarem illam epiſtolam occaſione fu-
„ rata es? namque accepi literas tuas, quibus ſcri-
„ bis, in eadem Epiſtola, qua de obitu Domini Mar-
„ tini

„ tini fecerim mentionem, ipsum beati viri transitum exponere debuisse. Quasi vero ego illam „ epistolam aut legendam alii præterquam ipsi, ad „ quem missa videtur, ediderim, aut ego tanto sim „ operi destinatus, ut omnia, quæ de Martino cognosci oportet, me potissimum scribente notescant? Itaque si quæ de obitu Sancti Episcopi audire desideras, ab illis potius, qui interfuere, cognosce: ego tibi statui nihil scribere, ne ubique „ me publices. Tamen si das fidem, nulli te esse „ lecturam, paucis tuæ satisfaciam voluntati, itaque præstabo te his, quæ mihi sunt comperta, „ participem. „ Quam urbana, quam familiaris ratio cum pia, & sanguine conjuncta fœmina jocandi! Da mihi alium quemcunque profanorum, qui id præstet facilius, & amœnius exequatur. Idem lepos Severi ex aliis quoque locis elucet. Sed multo magis tenerrima quædam pietas, & Ascesis genuina, cujus utinam jactura in tot Epistolis facta aliquando farciretur! Ait *Gennadius L. c. Epistolas ad amorem Dei, & contemptum mundi exhortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ & notæ sunt. Scripsit & ad Paulinum prædictum duas* *. Porro desiderium earum, quæ ad Paulinum datæ sunt, accenditur unica illa, quam in manibus habemus; & de qua Hieronymus de Prato ita magnifice loquitur **: *Una hujus generis, & quidem perbrevis, quæ ad Paulinum scripta adhuc superest, satis declarat, quam*

---

* Inde autem meo judicio error *duarum* tantum ad Paulinum Epistolarum irrepsit, quod notæ numerales mutatæ sint. Cum enim Paulini *tredecim ad Severum* habeamus hodieque, & plures perierint, quomodo duas tantum Severus ad Paulinum dederit? Non credo, tam inhumanum fuisse, ut sui amantissimo, ne dicam sancto, & summo viro nihil rescriberet.

** In *Prolegomen. Tom. I. pag.* 49.

quam & ceteræ dignæ essent, quæ cedro linirentur. Est autem jocus ingeniosus de coquo valde parabili, ad quem serio Paulinus respondet *epist.* 23. *alias* 3. *&* 4.

Pauculæ quædam priore sæculo inventæ atque ab interitu vindicatæ sunt; quas Vorstius, & deinceps alii ediderunt. Ex quibus ut aliquæ certo tribui Sulpitio debent, sic quædam satis incertæ censentur, quædam nulla probabili causa eidem adscriptæ, diversos habent auctores, saltem nostro plane sunt abjudicandæ. I. & II. ex his *ad Sororem*, plenæ sunt probitatis, elegantiæ, & saluberrimorum documentorum.

Quare commodiori aliqua significatione accipiendum, quando Lucas Dacherius * in Epistol s Sulpitii Severi recens repertis laudat *styli decorem, & sententiarum gravitatem.* Quasi de iis diceret, quæ vere ejus essent, non nudum solummodo nomen præferrent.

Præter jam laudatos Severi eloquentiæ meminerunt Daniel Guilielmus Mollerus in *Differt. de Sulpitio Severo:* Christianus Breithaupt *Differt. de stylo Severi.* Item Editores varii: Drusius. Mercerus, Hornius, Gezelius, Hofmeisterus, Weinichius, Schotanus. Adde, si lubet, Dupinum in *Biblioth. nova:* Tillemontium in *Monument. Eccl.* Benedictinos in *Literaria Galliæ Historia:* Clericum in *Biblioth. Selecta:* Ceillierium in *Histor. Auctor. Eccles.* &c.



DIS-

* *Præfat. in Tom. V. Spicilegii.*

„ tini fecerim mentionem, ipsum beati viri transi„ tum exponere debuisse. Quasi vero ego illam „ epistolam aut legendam alii præterquam ipsi, ad „ quem missa videtur, ediderim, aut ego tanto sim „ operi destinatus, ut omnia, quæ de Martino co„ gnosci oportet, me potissimum scribente note„ scant? Itaque si quæ de obitu Sancti Episcopi au„ dire desideras, ab illis potius, qui interfuere, co„ gnosce: ego tibi statui nihil scribere, ne ubique „ me publices. Tamen si das fidem, nulli te esse „ lecturam, paucis tuæ satisfaciam voluntati, ita„ que præstabo te his, quæ mihi sunt comperta, „ participem. „ Quam urbana, quam familiaris ratio cum pia, & sanguine conjuncta fœmina jocandi! Da mihi alium quemcunque profanorum, qui id præstet facilius, & amœnius exequatur. Idem lepos Severi ex aliis quoque locis elucet. Sed multo magis tenerrima quædam pietas, & Ascesis genuina, cujus utinam jactura in tot Epistolis facta aliquando sarciretur! Ait *Gennadius L. c. Epistolas ad amorem Dei, & contemptum mundi exhortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ & notæ sunt. Scripsit & ad Paulinum prædictum duas* *. Porro desiderium earum, quæ ad Paulinum datæ sunt, accenditur unica illa, quam in manibus habemus; & de qua Hieronymus de Prato ita magnifice loquitur **: *Una hujus generis, & quidem perbrevis, quæ ad Paulinum scripta adhuc superest, satis declarat, quam*

* Inde autem meo judicio error *duarum* tantum ad Paulinum Epistolarum irrepsit, quod notæ numerales mutatæ sint. Cum enim Paulini *tredecim ad Severum* habeamus hodieque, & plures perierint, quomodo duas tantum Severus ad Paulinum dederit? Non credo, tam inhumanum fuisse, ut sui amantissimo, ne dicam sancto, & summo viro nihil rescriberet.

** In *Prolegomen. Tom. I. pag.* 49.

quam & ceteræ dignæ essent, quæ cedro linirentur. Est autem jocus ingeniosus de coquo valde parabili, ad quem serio Paulinus respondet *epist.* 23. *alias* 3. *&* 4.

Pauculæ quædam priore sæculo inventæ atque ab interitu vindicatæ sunt; quas Vorstius, & deinceps alii ediderunt. Ex quibus ut aliquæ certo tribui Sulpitio debent, sic quædam satis incertæ censentur, quædam nulla probabili causa eidem adscriptæ, diversos habent auctores, saltem nostro plane sunt abjudicandæ. I. & II. ex his *ad Sororem*, plenæ sunt probitatis, elegantiæ, & saluberrimorum documentorum.

Quare commodiori aliqua significatione accipiendum, quando Lucas Dacherius * in Epistolis Sulpitii Severi recens repertis laudat *styli decorem, & sententiarum gravitatem.* Quasi de iis diceret, quæ *vere* ejus essent, non nudum solummodo nomen præferrent.

Præter jam laudatos Severi eloquentiæ meminerunt Danielel Guilielmus Mollerus in *Dissert. de Sulpitio Severo:* Christianus Breithaupt *Dissert. de stylo Severi.* Item Editores varii: Drusius, Mercerus, Hornius, Gezelius, Hofmeisterus, Weinichius, Schotanus. Adde, si lubet, Dupinum in *Biblioth. nova*: Tillemontium in *Monument. Eccl.* Benedictinos in *Literaria Galliæ Historia:* Clericum in *Biblioth. Selecta:* Ceillierium in *Histor. Auctor. Eccles.* &c.



DIS-

* *Præfat. in Tom. V. Spicilegii.*

DISSERTATIO VII.

De Eloquentia S. HIERONYMI.

CAPUT I.

Elogium hujus eloquentiæ.

Equidem celeberrimi hujus Doctoris sola vitæ ratio, si scripta cetera periissent omnia, & testimonia veterum alia nulla extarent, de eloquentia ejus aperte poterat pronuntiare. Vel ex hac sola conficitur, illum omnibus ad eloquentiam præsidiis ita abundasse, ut nemo alius magis. Ingenio erat ardenti, excelso, quodque laborem non ferret tantum, sed accerseret ultro, ac provocaret. Institutionem nactus a præstantissimis Præceptoribus, linguæ patriæ latinam insuper, & græcam puer adjecit, ac deinceps ambarum munditiis omnibus penitissime imbutus est. Accessit industria, & exercitatio quotidiana, qua stylum ita excoluit, ut adolescentulus etiamnum inter oratorum subsellia causas declamaret, & ad vera certamina fictis identidem litibus se exerceret. Quod est autem multo etiam magis mirandum, nullum interea doctrinæ genus reliquit intactum. Nemo alicujus nominis sive Rhetor, sive Poëta, sive Philosophus fuit, quem Hieronymus non evolvisset. Id quod cuilibet, qui vel parum in gestis ab eo rebus versatus sit, non potest non compertissimum esse. Certe cum vel ad solitariam vitam abiret, libros secum comites habere voluit. *Cum ante annos plurimos*, inquit *, *domo, parentibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cælorum me regna castrassem, & Jerosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio, ac labo-*

* *Epist. 22. ad Eustochium.*

labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrimas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Ubi dein fuse somnium narrat, in quo graviſſime territus eſt, & caſtigatus, quod non tam Chriſtianus, quam Ciceronianus eſſet, & cor ſuum nullibi magis, quam inter libros haberet. Ecce eloquentiæ ſtudium quam acre, quam pertinax, quam perpetuum! A quo etſi poſtmodum ceſſavit, illam tamen tam alte jam imbiberat, ut in ſuccum veluti, & ſanguinem Auctorum verba convertiſſe videri poſſet. Cum enim *Librum III. in Paulinam ad Galatas Epiſtolam* ordiretur, ita de ſe ingenue in Prooemio eſt confeſſus. *Loquar? ſed omnem ſermonis elegantiam, & latini eloquii venuſtatem ſtridor lectionis hebraicæ ſordidavit. Noſtis enim & ipſi, quod plus quam quindecim anni ſunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium literarum quilibet auctor aſcendit: & ſi quid forte, inde dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili ſtudio, aliorum judicio derelinquo: ego quid in mea amiſerim, ſcio.* Id quod mihi præcipuum eſt argumentum improbi ejus laboris, quem in perdiſcendas, excolendaque humanitate olim Hieronymus collocavit. Sic autem ad eloquentiam comparatus, ad ſtudia quoque graviora adjecit animum. Ut enim ſacras Literas perdiſceret, non modo Gallias, ſed Græciæ quoque, & Aſiæ, imo Egypti provincias varias pervagatus eſt. Ubi ſummos in eo genere Magiſtros cum audiviſſet, denique ab Hebræis quoque hebraice, ſyriace, chaldaice voluit edoceri. Quo necdum contentus, omnes ſcripturæ Interpretes, cujuscunque idiomatis illi forent, legit, & ab ea contentione, nec ſumma in ſenectute unquam remiſit.

misit. Severus Sulpitius *Dialogo I.* sic nobis ex Posthumiani ore laboriosissimum virum describit. *Totus semper in lectione, totus in libris est. Non die, non nocte requiescit. Aut legit aliquid semper, aut scribit.* Quibus utique rebus tantum sibi divinarum rerum cognitionem, famam tantam comparavit, ut in obscurioribus divini verbi quæstionibus SS. Damasus Papa, Augustinus, Paulinus, Chromatius, Alipius item, Heliodorus, Theophilus Alexandrinus, totiusque orbis doctissimi Præsules ad unum hunc Presbyterum confugerent. Legebatur ubique Hieronymus; quod summam doctrinam, & parem doctrinæ eloquentiam haberet. Itaque ad specum illam Bethlehemiticam haud secus, atque ad commune oraculum perpetui concursus fiebant. Epistolæ, & nuntii huc ex Africa adeo, & ultima Germania, ne dicam Galliis, Hispania, atque Italia commeabant. Nobiles Matronæ, virique Principes, & quisquis vel perfectiorem vitam animo destinaret, vel divinis Literis afficeretur, Hieronymum consulebat: Ut adeo haud abs re dictum sit, plures non tam locorum sacrorum religione, quam desiderio visendi viri hujus in Palæstinam pertractos. Dicamus rem iisdem verbis, quæ in simili fere causa ipse alicubi adhibuit: ad illum tanto & doctrinæ, & eloquentiæ fonte manantem de ultimis terris Nobiles venisse, & quos ad sui contemplationem cunæ Servatoris non traxerant, unius hominis famam perduxisse. Habuit ergo ista ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut specum Dominicam ingressi aliud extra specum quærerent *. Sed nec quisquam reversus ab eo est, quin vel institutione ejus doctior, vel exemplo, & facundia sanctior evasisset.

Scri-

* *Epist.* 103. nunc 53. *ad Paulinum* loquens de TITO LIVIO.

Scripta ergo, quæ de eo plurima, & graviſſima habemus, ſunt hominis ſemper occupati, qui, ut exercitia pietatis ſileamus, pene obrutus negotiis, quidquid mente conceperat, raro ſcribere potuit, rarius etiam, quæ ſcripſerat, perpolire. Scimus ex ejusdem confeſſione, quod quam plurima, etiam declamatoria imparatus, & urgentibus reſponſum nuntiis, amanuenſi velut ex ſtapede dictaret *. Quæ res meo quidem judicio divinam viri eloquentiam demonſtrat; quod nihilominus vel his ipſis tanta gratia, is nervus, & ſplendor orationis ineſt, ut quisquis legerit, moroſe, atque ad lucernam elaboratum putet. Exemplo ſint non Epiſtolæ, non tractatus, vel loci communes, ubi jactare ſe etiam ex tempore oratorum facundia poteſt, ſed ipſæ adeo nudæ interpretationes Scripturarum, ubi facilitatem tantam, ac velocitatem oſtendit, ut tridui labore *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, *Cantica canticorum* ex hebraico, *librum Tobiæ* vero uno die ex chaldaico latina redderet, ea quidem ratione, ut ubi eloquentiæ nihil licebat, nihil tamen vel verbulo in eam peccatum ſit.

Non ergo mirum, ſi ita Eccleſiam literis ſuis juvit, ſi rebus ejus omnibus adfuit, ſi novam illi veluti lucem eruditionis accendit: ſi denique agmina hæreticorum ſtitit ſolus, atque obtrivit. Eo vivente nulla novitas erupit, quam non ille continuo refelleret. Nunquam Religio & Pietas tantum ducem habuerunt, quem hoſtibus objicerent; quoniam hi umbram & nomen Viri jam formidabant. Deo laudes ſint immortales, quod ſcripta

* Vide Præfat. paulo ante laudatam. Epiſtolam de *vitando ſuſpecto contubernio*, & *ad Julianum*: imo ipſum *Librum I. contra Jovinianum ante medium*, ubi veteris Inſtrumenti locos addenſat. Quanta vero dictandi difficultas ſit, nemo melius docet ipſomet Hieronymo. *Epiſt.* 21. alias 146.

ejus pleraque habemus. In his enim velut armamentarium quoddam nobis relictum est adversus improbitatem, quod usque in fines sæculorum consistet, telaque pugnantibus, & gladios & galeas ministrabit.

Hæc, quæ partim ex certis atque coævis testibus, partim ex ipsiusmet Hieronymi Opusculis quasi in cumulum conjecimus, luculentissimum sunt eloquentiæ ejus, ac literarum elogium. Sed nempe iis, qui simplici, ut jacet, narrationi minus tribuunt, summos quosque homines sisto, quorum testimoniis sane nemo prudens poterit refragari.

S. Augustinus cum alias, tum maxime *Libr. I. contra Julian. c.* 7. ita de Hieronymo: *S. Hieronymus Presbyter*, ait, *græco, & latino, insuper & hebræo eruditus eloquio ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris usque ad decrepitam vixit ætatem. Cujus nobis eloquium ab oriente usque ad occidentem instar lampadis resplenduit. Hic omnes, vel pene omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserunt, legerat.* Ita Augustinus, qui uti alias candidissimus, ita nihil minus quam Hieronymi, cum quo haud leves ipsi controversiæ intercesserant, partiarius existimandus est.

Paulinus S. Ambrosii Notarius, qui & res ejus gestas ad Augustinum perscripsit *: *Beatum virum Hieronymum murum Ecclesiarum esse* dicit, *& eloquentiæ fontem.*

Sulpitius Severus *Dialogo I.* ex persona Posthumiani ait: *Vir præter fidei meritum, dotemque virtutum non solum latinis, atque græcis, sed hebræis etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem si non & vobis*

* *In vita S. Ambrosii*, initio.

bis per multa, quæ scripsit, opera compertus est, cum per totum orbem legatur.

S. PROSPER celebri, quod *in Ingratos* panxit, *Carmine* ita Hieronymum celebrat.

Tunc & Bethlæi præclari nominis hospes
Hebræo simul, & græco, latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

JOANNES CASSIANUS *Præfat. ad Libr. de Cœnobiorum Institutis* vocat Hieronymum *& vita nobilem, & sermone, scientiaque præclarum &c. Libr.* vero *VII. de Incarn. cap.* 26. *Catholicorum Magistrum* dicit, addens scripta ejus per universum mundum quasi divinas lampades rutilare.

CLAUDIANO MAMERTO *Libr. II. de statu anim. cap.* 9. Hieronymus est *potissimus Tractatorum.*

IDACIUS LEMICENSIS a patria dictus Aquiflaviensis in Gallæcia Episcopus, sacris historicis notissimus *in Chronico ad annum XXI. Honorii* ita habet: *Hieronymus præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus hebræorum, in lege domini, quod scriptum est, diurna, nocturnaque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera. Ad ultimum Pelagianorum sectam cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adversum hos, & adversum alios hæreticos extant ejus probatissima monumenta.*

MARCELLINUS COMES *in chronico ad annum CCCXCII.* Hieronymum ait Catholicis quidem esse *inexpugnabilem Ecclesiæ turrim*: hæreticis autem omnibus *infatigabilem hostem tam proposito vitæ suæ, quam librorum a se editorum assertionibus depugnantem.*

S. ENNODIUS Episcopus Ticinensis *Epist. ad Faustum*, Hieronymum non obscure ipsi doctissimo, eloquentissimoque præceptori ejus Gregorio Nazianzeno videtur præponere.

CASSIODORUS multus in Hieronymi laudibus *Libr.* 1. *de Institut. div. Lit. c.* 21. eum vocat, *Latinæ linguæ dilatatorem eximium, qui nos facundiæ suæ multa ubertate satiarit*: moxque inter alia, Bethlehemi, in terra illa miraculorum, ad instar solis fuisse, quo & ab oriente ejus nobis eloquentia resplenderet.

JONAS Episcopus AURELIANENSIS *in Opere de cult. Imag. Libr. III.* cum sancti doctoris auctoritatem pro se esset allegaturus, ita præfatur: *Hieronymus sacræ legis interpres, & ut ita dicam bibliotheca matris Ecclesiæ.*

RATRAMNUS CORBEIENSIS *de Nativ. Christi cap.* 10. apud Dacherium *Spicileg. Tom. I. Hieronymus*, inquit, *sacræ legis interpres omnium peritissimus disciplinarum, fidei turris inconcussa, sapientiæ lampade splendidissimus, eloquio facundissimus, latini, græci, hebræique sermonis doctissimus.*

LUPO SERVATO *Libr. de tribus quæstionib.* dicitur Hieronymus *divina & sæculari doctrina præcipuus*, *& velut quidam parens*:

S. BERNARDO *Serm.* 2. *de verb. Apost. Non est regnum Dei esca. Tam Eloquentiæ quam sapientiæ dotibus approbatus*: denique

JOANNI SARISBERIENSI *Polycratici Libr. II. c.* 27. *Doctor ille Doctorum*, cui se affirmat in sacrario literarum vix aliquem audere comparare.

Atque hæc sunt virorum ab omni retro antiquitate celeberrimorum de Hieronymo testimonia, qui de ea, quam quærimus, hominis eloquentia præclarum sane judicium tulerunt. Ipse adeo Ruffinus, anteaquam cum illo collideretur, eloquentiam viri summopere extulit, ac *disertissimum & eloquen-*

quen-

quentissimum in suis opusculis * prædicavit. Nunc propius ad nostra etiam tempora accedamus.

Petrus Paulus Vergerius, quem Trithemius *virum in divinis scripturis studiosum, in sæcularibus literis eruditissimum, Philosophum, & Rhetorem celeberrimum, græco, & latino sermone ad perfectum instructum* vocat, qui *scripserit ingenii excellentis quædam præclara opuscula, quibus memoriam sui posteris reliquerit*: hic, inquam, *Orat. de Laudib. S. Hieronymi* affirmat, eum cunctarum bonarum artium cumulum non perfunctorie, sed ad summum in se collegisse, ejusque vitam totius sanctitatis exemplum, eloquentiæ stuporem, doctrinæ miraculum extitisse. Et infra fusius, & enucleatius: „ Eloquentiam certe jam ejus, ait, laudare „ tentarem. Nisi ipse se multo melius, quam a „ me fieri possit, elegantia sua legentibus commen- „ daret: ad quam digne prædicandam ejus ipsius „ eloquentia opus esset. Nec me deterret, quod „ damnatus fuerit ejus studii aliquando Hierony- „ mus, cum extatica visione tractus ad judicis „ æterni tribunal, & quinam esset interrogatus, „ pro Christiani nomine, quod inter metum, tre- „ pidationemque profitebatur, Ciceroniani sibi no- „ men objici audivit; neque enim res ipsa damna- „ ta est, sed fortassis ejus studium vehementius, „ sine qua profecto vix sacræ Literæ, certe non „ tanta cum voluptate legerentur. „

Vergerio alium jungamus hac in parte prorsus diversum, prædurae in alios censuræ, elatum supercilio, & mordendi impetigine nec Sanctis, nec Christo ipsi parcentem, Laurentium Vallam scilicet. Hic in foro humanitatis versatissimus, ac scrupulosus etiam munditiarum omnium sectator *Præfat. ad Libr. IV. Elegantiarum* suarum

 ita

* Hieronym. *Libr. I. adversf. Ruffinum ante medium.*

ita lectorem interrogat : *Quid Hieronymo ipso eloquentius ? quid magis oratorium ? quid, licet ille sæpe dissimulare velit, bene dicendi solicitius, studiosius, observantius ?*

JOANNES FRANCISC. PICUS, MIRANDULÆ COMES *Libr. I. de stud. div. & hum. Philosoph. c.* 7. *In Hieronymo*, ait, *quantum facundiæ fuerit, qui ejus lucubrationes non legit, minime sciet.*

JOAN. BAPT. PLATINA *In Innocentio I. Hieronymus Presbyter*, inquit, *in Bethlehem habitans, ingenio, ac facundia Christi fidem mirum in modum auxit, quod etiam ejus scripta declarant.*

JAC. PHILIPPUS BERGOMENSIS *in Chronico ad annum* 429. inter alia *eloquentissimum, atque disertissimum virum* dicit.

POLYDORUS VIRGILIUS *de rerum inventoribus Libr. VII. cap.* 3. Romæ, ait, Græcis, latinisque literis egregie institutum &c. in de rebus divinis scribendi onere omnes nervos ætatis, industriæ doctrinæque suæ contendisse.

ERASMUS *Libr. V. Epist.* 19. præter alia, cum virum cœlestem vocasset, omnium Christianorum sine controversia longe tum doctissimum, tum facundissimum : *Quæ phrasis !* exclamat, *quod dicendi artificium, quo non Christianos modo omnes longo post se intervallo reliquit, verum etiam cum ipso Cicerone certare videtur ! Ego certe, nisi me sanctissimi viri fallit amor, cum Hieronymianam orationem cum Ciceroniana confero, videor mihi nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare.*

MELCHIOR CANUS Theologus & orator summus *Libr. II. de Locis Theol. c.* 14. Divum Hieronymum verborum copia, eloquentia sæculari, trium linguarum peritia, rerum multijuga cognitione abunde instructum vocat.

JOANNES ANGELUS *Episcopus Cicestrensis Præfat. in histor. Eccles. græc.* „ Hieronymum, inquit,

„ po-

„ ponamus in medio, cujus tanta fuit in scribendo facultas, ut omnes prope eloquentiæ numeros expleverit. Quando in aciem cum hæreticis prodit, nemo pugnacior, aut qui plus habeat lacertorum. Quando respondet obtrectatoribus, nemo fervidior, nemo acrior. Quando res gestas narrat, nemo elegantior. Quando funebrem orationem instituit, nemo ad consolandum aptior, ad laudandum copiosior. Quando familiariter cum amicis, & necessariis per literas colloquitur, nemo suavior, nemo comptior. Mirum est videre, quo pacto in tota oratione paria paribus, contraria relata contrariis, jam verba duplicata, jam iterata, jam breviter commutata sententias perpulcre illuminent.„

Venerabilis Petrus Canisius, vir quantæ lectionis, tanta in scribendo gravitate, ac temperantia, *Præfat.* ad suam *Epistolarum Hieronymi editionem*, Academiæ Dilinganæ inscriptam, sic loquitur de sancto Doctore: „ Sane auctorem commendare nec disertissimus queat satis. Tam spectata Hieronymi fuit, & est eritque semper laus, ac dignitas in Ecclesia Dei, qui sublimem, ac prope inimitabilem doctrinam...cum pari eloquentia, sacra studia cum profanis, variasque linguas, & artes ita conjunxit, ut veterum vix alius quisquam fecit felicius, admirabiliusque. Loquor autem de solis latinis Patribus, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Augustino, in quorum monumentis apostolicum quidem spiritum, & vere piam doctrinam, doctamque juxta pietatem relucere nullus inficiatur; Sed parem illorum eloquentiam haud pauci desiderarunt.„ Dein in Græciam tantisper digressus, cum dixisset eruditam certe, & eloquentiæ studiis mirum in modum excultam, totiusque orbis Magistram, ut idcirco vel sola, vel præcipua omnes omnium

gentium literas soleat fastidire, ita præclare subjungit: „ Quo magis admirari par est, quod hæc „ ipsa Scriptorum alioqui Latinorum contemptrix „ olim tanti nostrum fecerit Hieronymum, ut ejus „ quamvis hominis Dalmatæ commentarios non „ legerit modo, & suo approbarit calculo: verum „ etiam in suam linguam transferendos curarit. „

SIXTUS SENENSIS, ut est vir summo judicio, eruditione & facundia præditus, *in Biblioth. sancta* hæc de Hieronymi eloquentia habet: *Vir fuit in omni doctrinarum genere absolutissimus; quippe qui splendore sermonis, & eloquentiæ viribus, in quibus sub Donato Grammatico, & Victorino Rhetore,* * *clarissimis viris profecit, omnes latinæ Ecclesiæ Scriptores multo post se intervallo reliquit &c.*

MARIANUS VICTORIUS Episcopus Amerinus, quo nemo ante majorem in legendo, restituendoque Hieronymo operam posuit, *in Vita* operibus præfixa sic de Hieronymi eloquentia, & scribendi dotibus pronuntiat: „ Vir, cui nec Græci, nec „ Latini, quem comparent, habeant aliquem. „ In eum enim doctrinæ omnes, & virtutes ita „ cumulate se contulerunt, ut post eum, quem „ in aliqua re Gentilibus invideat, Ecclesia neminem inveniat. Nam etsi multos in Ecclesia præstantissimos, ac doctissimos habuerimus viros, „ neminem tamen, qui tot, ac tanta in omni „ doctrinarum genere sciverit, & qui tot linguarum habuerit cognitionem, inveniemus. Quod „ si in aliqua re ipse ab aliquo vincatur, semper „ tamen ei supersint alia, in quibus tandem illi „ præstans Hieronymus victor abscedat. „

LEO

* Mirum non est lapsos priores, Victorinum Hieronymi præceptorem faciendo; illud capi vix potest, post detectum semel errorem, etiam Recentiores eundem rursus erravisse.

Leo Castrius *in Prolegom. Commentar. in Esaiam* eundem *fulgentissimum Ecclesiæ sydus* vocat, *eo quod, quantum sol aliis planetis, tantum Hieronymus reliquis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus prælucea t, atque præponderet.*

Daniel Heinsius Vir doctissimus, adversæ tamen Religionis, *Orat. III.* ita exclamat: „ Nam „ quo tandem modo, aut quibus ego verbis tuam „ maxime Hieronyme ingentem simul pietatem, „ ac facundiam describam? Quonam modo tot „ linguarum simul, & totius prope antiquitatis „ ac philosophiæ admirabilem peritiam? Quomodo heroicum illum in scribendo, & cœlestem „ ardorem tuum, quo imbelle hæreticorum ag- „ men, non secus, quam mucrone quodam stri- „ cto persecutus es, ac profligasti? Quæ omnia „ profanos etiam in admirationem rapiant. Jam „ qua ego voluptate vitam tuam meditor, ac co- „ gito: quam tot locis nobis descripsisti? qui re- „ licto urbis Romanæ splendore, relictis omnibus „ amicis, ac propinquis, repudiata omni digni- „ tate, Bethlehemum es profectus, ut speluncam il- „ lam, in qua vita nostra nata est, incoleres: „ casam illam, in qua puellarum sanctissima, & „ post partum adhuc virgo, parentem suum pe- „ perit, omnium tuarum cogitationum, ac vigi- „ liarum receptaculum haberes. Quas tu ibi sæpe „ lacrimas divine senex, quæ suspiria, quas vo- „ ces fudisti? quanto gaudio, qua voluptate il- „ lud solum pressisti, cujus, sicut ipse loqui soles, „ totum salutis nostræ vernaculum negotium est? „ quanta hilaritate domini ac dei tui patriam, re- „ licta tua, incoluisti, ut in civibus illius esses, „ quem in cœlos sequebaris? Ullamne ego oble- „ ctationem cum hac esse putem conferendam: „ & ne ullum aut honorem ego, aut lucrum „ cum his meditationibus, ac curis componam? „

Quæ

Quæ ego ultimo loco posita, etsi pertinere non videntur ad eloquentiam, ideo adjeci, uti appareret, auctore Heinsio æque piam, cœlestique unctione delibutam Hieronymi eloquentiam esse, ac fortis illa, splendida, & erudita est. *

Jacobus Pontanus Philocaliæ *Libr. X. c.* 26. „ Quem delectabit de vita, & moribus hujus magni, & disertissimi Doctoris cognoscere, Marianum Victorium Rheatinum legat. Linguarum scientia, & eloquentia Patres latinos antegressus est omnes. Multa in eo lectio, multæ literæ. In exponendis sacris voluminibus mira felicitas. Elucet etiam in illo doctrina, quæ humanitatis nomine significatur, quæ lectorem suum non docet modo, verum etiam recreat, ac delectat. Valet quoque ad commendationem ejus, quod velut Plato & Democritus, & Pythagoras regiones varias discendi causa obivit. Labor ejus in studiis indefessus, & vix imitationi locum relinquens. „

Nicolaus Caussinus *Libr. III. de eloquentia sacr. & hum. c.* 14.: *Hieronymus* ait, *in omni genere summus artifex, quas styli divitias habet, quæ lumina! quos aculeos! Dubites doctumne magis, an eloquentem debeas appellare.*

Theophilus Raynaudus, quo nemo in veterum scriptis aut legendis diutius, aut dijudicandis felicius versatus est, *Tom. XI. in Erotemat. de confixione Librorum* §. 58. hæc scribit: *Is fuit Hieronymus, ut ejus in scribendo dotes non dicam assequi, sed ex parte saltem aliqua, etiamsi minima, exprimere posse ad felicitatem in hoc genere sat esse posse videatur. Non illum eruditio, non judicium, & quidem acre, & emunctum, non linguarum peritia, non elo-*

* Heinsius D. Hieronymo valde addictus fuerit, necesse est, quando *Orat.* 6. denuo in ejus laudes effunditur.

eloquendi copia, non quidlibet evincendi facultas defecit.

ADAMUS TRIBBECHOVIUS *in Edit. Francof.* 1684. *ad Fridericum Saxonem*, loquens de Scriptorum Hieronymi celebritate: *In quibus*, inquit, *si styli elegantiam, & πολυμαθείας exemplum quis spectet, plures quod imitarentur, pauci, quod assequerentur sequioribus sæculis invenerunt.*

STEPHANUS BALUZIUS *in Notis ad Epist.* I. *S. Cypriani: Lucubrationes S. Hieronymi*, ait, *tametsi is in Epistola ad Pammachium scribat, dissimulandam, & fugiendam esse eloquii venustatem in interpretatione ecclesiastica, quam ipse vitavit in interpretatione librorum sacræ Scripturæ, Rhetoricæ tamen flosculis ubique abundant, & ambitiosa eloquentia.* *

Sileo nostræ ætatis summos quosque Criticos, rerumque Ecclesiasticarum scriptores, qui cum omnes judicio, styloque ipsimet valerent, Hieronymo tamen dicenti maxima honoris significatione assurgunt, & quotiescumque licet, in laudem eloquentiæ ejus effunduntur.

Quò magis mirari subit, JOANNEM CLERICUM, incertæ Religionis hominem, quemque ipse gregalis ejus Oudinus ** Bibliopolarum Amstelodamensium mercenarium, & ea ipsa in re insigni cum impostura versatum dicit, hunc, inquam, talem, tantumque virum, reliqua Hieronymi decora obscurasse haud contentum, eloquentiam quoque ejus proscindere. Oratorem enim vocat callidum, ineptum declamatorem, qui inanem eloquentiam incassum profundat, argumenta expromat puerilia, atque ita jejunus sæpe, frigidusque sit in differendo, ut ratiocinia ejus homines sedato animo præditi

---

* Ambitiosam dicit sana significatione, quasi studiosam dixisset.

** Commonitorio *de Scriptorib. Ecclesiastic. anno* 1703. *edito a colum.* 986.

diti nec febricitantibus condonarent. Novi scilicet Hieronymum passim allatrari, atque id ejusdem adhuc viventis fatum fuit, ut omnibus hæreticis odio esset. Posthumianus apud Severum Sulpitium supra laudatus: *Ego*, inquit, *apud Hieronymum sex mensibus fui, cui jugis adversus malos pugna, perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum hæretici; quia eos impugnare non desinit: oderunt eum Clerici; quia vitam illorum insectatur, & crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur, & diligunt.* Novi Claudium Taurinensem, referente Dungalo Diacono, præ ceteris Hieronymo maxime infensum se præbuisse. Novi Lutherum jam temulentum in *Colloquiis Convival. c. de Patrib. & c. de Scholastic.* item *Postilla in die Exalt. S. Crucis.* & *Libr. de* SERVO ARBITRIO adversus Erasmum: Calvinum *in Jonam:* Theodorum Bezam ad *cap.* 24. *Actorum* & alias: Brentium *in Apolog. Confession. Witemberg. c. de* INVOCAT. SS. Kemnitium *in Orat. de Lectione PP.* Causæum *Dialog. 6. 7. & 8.* Junium *Libr.* 2. *c.* 9. *n.* 9. Witakerum *Controv.* 1. *quæst.* 2. *c.* 9. *in argumento* 4. Petrum Cunæum in opere de *Repub. hebræorum Libr.* 3. *c.* 5. Denique recentiores: Caveum de *Scriptoribus Ecclesiasticis*: Czwittingerum in *Specimine Hungariæ literatæ*: Samuelem Basnagium in *Annalibus politico-ecclesiasticis Tom.* 3. & novissime Cramerum Bossueti, si superis placet, continuatorem in Hieronymum deblaterasse varia, atque effutiisse: sed hoc minime novi, hoc quam maxime inexpectatum accidit, hoc nusquam legi, sancti Doctoris facundiam fuisse a quoquam, uti a Clerico factum est, seu in dubium, seu in invidiam aliquando vocatam. Superest igitur, ut furioso homini primo viros, quos supra allegabam, celeberrimos opponamus: & si omnes pariter contemnit eadem opera; si nihil illi pronuntiare de elo-

quen-

quentia potuerunt: producamus testem, in quo ipse Clericus nec partim studium, nec libertatem loquendi, nec eloquentiam desideraverit. * Et quem illum ain'? quem ipsum quidem etiam supra inter reliquos audiebamus, Desiderium Erasmum. Hoc, inquam, nemo melius clerico opponi possit, qui cum ultra humanas literas censoriam virgam protendisset, abusus ingenio, nec a sacris quidem se abstinuit, atque in judicandis Patrum scriptis ingenti supercilio se extulit, tantum sibi in eo genere permittens, quantum hactenus nemo utut eruditus, ac sapiens licere sibi arbitrabatur. Jam enim iis largitus est plurima, jam ademit, jam Luciani exemplo non pauca etiam irrisit. Hic tamen tantum Hieronymi calamo tribuit, ut nesciam, an quis alius eo in argumento sit hominem assecutus. „ In optimo Theologiæ genere, inquit **, primas tenet Hieronymus (de Latinis „ loquor) & ita primas tenet, ut omnes post se „ longo relinquat intervallo: & adeo neminem „ habemus, quem ullo pacto cum hoc conferre „ possimus, ut inter tam innumerabiles Theologos vix quemquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum, si modo „ non unam aliquam laudem, sed universas ejus „ dotes simul expendas. Tantam in uno homine „ reperias sæcularium, ut vocant, literarum cognitionem, tantam omnis antiquitatis peritiam, tot „ linguarum absolutam scientiam, tam admirabilem locorum, & historiarum omnium notitiam, „ tam non vulgarem mysticorum voluminum eruditionem, tantum inimitabilis eloquentiæ, tam „ exactum ubique judicium, tam sacrum afflati „ pe-

* Quantum Clericus Erasmo tribuat, patet ex nova editione omnium ejus operum, quam sane splendidam ipsemet adornavit.

** *Procemio Tomi II. Hieronymiani.*

„ pectoris ardorem, rerum adeo diversarum tam „ digestam, ac præsentem memoriam, tam felicem „ juxta ac divitem mixturam, denique tanto le- „ pore conditam severitatem, ut quemadmodum „ per se facundi, si cum Cicerone conferantur, „ protinus videntur obmutescere; ita omnes Do- „ ctores, quos citra collationem suspicimus, cum „ Hieronymo compositi vix sapere, vix loqui, vix vi- „ vere videantur. Atque id quidem haud in illorum „ contemptum, sed in Hieronymi gloriam dictum „ videri velim, qui suarum excellentia virtutum „ aliorum laudem non minuit, sed admotus ob- „ scurat. Reliquos ut limpidos rivos admireris; „ hic ceu dives quoddam, & aureum flumen uni- „ versas opes secum volvit, ac defert. „

Miracula dein ad illustrandam Hieronymi gloriam requirentibus, eleganter admodum his verbis respondet: *Quod si cui nihil absque miraculorum portentis placere potest, is legat Hieronymianos libros, in quibus tot pene miracula sunt, quot Sententiæ.* Hæc Erasmus, quæ si superlationem sapiunt, & auxeses videntur, judicium Erasmi esto, non meum. Clerico tamen debet id antiquius esse quovis alio. Quid enim? ille in ridendo liberrimus, qui pungere, cavillari, & mordere omnes solebat, quotquot minus ipsi arrisissent, hic ipse facundiam suam omnem in laudando homine exprimeret, in quo Clericus nihil genuinæ eloquentiæ deprehendisse se tam dolenter affirmat? Quid jam respondet, quid mussitat hypercriticus noster? Forte pœnituit aliquando Erasmum earum laudum? an eas retractavit? Imo toties, quoties licebat, profudit, proin ex animi sententia atque ex intima persuasione, non studio rhetoricandi. Quæso enim, quis ea, quæ primo statim ejus Tomo * præ-

* *Epist. Nuncupatoria I.*

præfixa sunt, nisi ingenue, sine fraude, atque assentatione ulla scribere posset? „Cæterorum qui-„ dem, ait Erasmus, alios aliæ commendant do-„ les: in hoc uno συλλήβδην, ut ajunt, conjunctum „ fuit, eximium fuit, quidquid in aliis per par-„ tes miramur. Et cum in singulis egregium esse „ magnum sit, ac rarum, hic sic excelluit in omni-„ bus, ut longe præcurrat in singulis, si illum „ cum ceteris componas: sin ipsum secum com-„ ponas, in nullo præemineat; tanta est rerum „ omnium summarum temperatura. Etenim si na-„ turæ felicitatem expendas, quid illius ingenio „ vel ardentius ad discendum, vel acrius ad judi-„ candum, vel fœcundius ad inveniendum! deni-„ que quid dexterius, aut festivius, si forte res „ delectationem desideret! Sin eloquentiæ laudem „ requiras, in hac certe christianos scriptores uni-„ versos tanto post se relinquit intervallo, ut nec „ hi cum Hieronymo conferri queant, qui vitam „ omnem in uno bene dicendi studio contrive-„ runt: ac prorsus tantum abest, ut quisquam sit „ nostræ religionis scriptor, quem cum hoc pos-„ sis componere, ut meo judicio Ciceronem etiam „ ipsum, suffragiis omnium eloquentiæ Romanæ „ principem, nonnullis dicendi virtutibus superet. „ Quod quidem in ipsius vita copiosius demon-„ strabimus. Mihi sane hoc ipsum solet usuve-„ nire in Hieronymo, quod olim in M. Tullio, „ cum quo si quem contulero, per se quantum-„ vis disertum, repente velut obmutescere vide-„ tur, & cujus linguam citra contentionem vehe-„ menter admiror, ad hunc compositus, & ad-„ motus, elinguis videtur, & balbus. Sin doctri-„ nam exigas, quæso te, quem habet, vel eru-„ ditissima Græcia sic absolutum in omni genere „ doctrinæ, ut cum Hieronymo sit committendus? „ quis unquam pari felicitate omnes totius erudi-

„ tionis partes conjunxit, & absolvit? quis un-
„ quam in tot linguis antecelluit unus? cui tan-
„ ta historiarum, tanta geographiæ, tanta anti-
„ quitatis notitia contigit unquam? quis unquam
„ sacrarum, & profanarum omnium literarum
„ & parem, & absolutam scientiam est assecutus?
„ Sin memoriam examines; quis auctor seu vetus,
„ seu novus, quem ille non in promptu habuerit?
„ quis angulus divinæ Scripturæ, quid tam abdi-
„ tum, quid tam varium, quod ille non velut in
„ numerato habuerit? Sin industriam: quis un-
„ quam tantum aut evolvit, aut scripsit volumi-
„ num? quis sic universam divinam Scripturam
„ edidicit, imbibit, concoxit, versavit, medita-
„ tus est! quis æque sudavit in omni doctrinæ ge-
„ nere? Jam si morum sanctimoniam spectes, quis
„ Christum spirat vividius? quis docuit ardentius?
„ denique quis eum vita magis expressit? Poterat
„ hic unus pro cunctis sufficere Latinis vel ad vi-
„ tæ pietatem, vel ad Theologicæ rei cognitio-
„ nem: si modo integer, & incolumis extaret.„
Denique ibidem ad calcem velut epilogi loco ait: *Aureum flumen habet, locupletissimam Bibliothecam habet, quisquis unum habet Hieronymum.*

Atque ista in Clerici, & similium græculorum gratiam dicta sunto. Nunc postquam, quæ de eloquentia Hieronymi idoneorum testium sententia sit, audivimus, ad notas ejus, & discernicula quædam transeamus.

CAPUT II.

Quid habeat peculiare?

De Hieronymi Charactere, varii varie, qui si non omnia, at aliquid certe dicunt; nam tali in argumento singula juvant. Cassiodorus vir sapientissi-

tissimus, atque eruditissimus, cujus in ferreo licet stylo sensus vigent, & auri quam plurimum continent *, ita Hieronymi characterem describit.
„ Planus, doctus, dulcis; parata copia sermonum:
„ ad quamcunque partem convertit ingenium:
„ modo humilibus suaviter blanditur, modo super-
„ borum colla confringit, modo derogatoribus suis
„ vicem necessaria mordacitate restituens, modo
„ virginitatem prædicans, modo matrimonia casta
„ defendens, modo virtutum certamina gloriosa
„ collaudans, modo lapsus in Clericis, atque Mo-
„ nachis pravitatis accusans. Sed tamen ubicunque
„ se locus attulit, gentilium literarum exempla
„ dulcissima varietate permiscuit, totum explicans,
„ totum exornans, & per diversa disputationum
„ genera disertus semper & æqualis incedens. Nam
„ cum aliquos libros magna ubertate protendat,
„ tamen pro dulcedine dictorum suorum finis ejus
„ semper ingratus est. „ Quibus verbis, illud dicere mihi Cassiodorus voluisse videtur, Hieronymum pro argumenti ratione varium esse, & quemadmodum in omni genere dicendi excelleret, sic & in modo ipso felicissimum extitisse. Quantumcunque enim diversas res tractet, ita tamen illis attemperare calamum novit, ut & argumento quam aptissime serviat, & tamen idem ubique scriptor, clarus, brevis, tersus, & acer appareat, qui obscura collocet in lumine, salutaria altissime animis imprimat, & si quæ occurrunt dubia, velut ad vivum resecet.

Petrus Paulus Vergerius, quem supra laudavimus *ibidem* de Hieronymi stylo perquam accomodate quidem, sed obiter, ac brevissime ait: *Tanquam rivus limpidissimus leniter defluens & aspectu, & sono delectat.*

* *Libr. I. de Instit. div. Liter. c. 21.*

Hieronymus Platus *L. III. de bono stat. religios.* c. 11. ait: *Hieronymi sermo doctus, & antiquitatis exemplis abundans, multoque acumine, deinde, quod caput est, ad omnia exprimenda apprime factus, sive Scriptura ad verbum interpretanda, sive præcepta omni vitæ generi præscribenda, sive quidpiam laudandum, aut vituperandum, sive denique aliquis ad virtutem cohortandus. In quibus omnibus ita valet, ut plane illa cœlestis eloquentia videatur.*

Fusius, atque accuratius eundem Sixtus Senensis expressit. Cum enim *Loc. cit.* sapienter inter exoterica, & exegetica Hieronymi distinxisset, ita loquitur. „ Stylus Hieronymi in quovis horum „ ordinum longe diversus est ab eo, quo in ceteris operibus utitur. Nam in exotericis opusculis, „ quæcunque ea sint, sive parænetica, quæ vitæ in„ stitutionem continent, sive Apologetica, quæ ad „ refellendos hæreticorum errores, & malevolorum „ calumnias spectant, habet dicendi genus varia „ quadam, & admirabili omnium rerum mistura „ compositum, & ornamentis, & pigmentis, ex „ omni scriptorum varietate undequaque decerptis „ excultum, Rhetorum coloribus, Dialecticorum „ sententiis, omnigenis omnium artium, ac scien„ tiarum allusionibus pictum, & peregrinarum vo„ cum diversitate, græcis scilicet, hebræis, & chal„ dæis dictis variegatum instar emblematis, ut En„ nius loquitur, vermiculati, ac musevi operis „ multicoloribus lapillis intertexti. Contra vero „ in exegematicis, seu enarrationibus divinæ Scri„ pturæ spreta universa literarum sæcularium pom„ pa, & ab omni eloquentiæ fuco, & ab omni „ difficilium quæstionum ambitione abstinet, no„ lens, ut ipse inquit, sub occasione divinorum „ verborum eloquentiam & eruditionem suam „ ostentare, & in his a lectoribus laudem, & ad„ mirationem aucupari. Utitur autem ubique di-

„ ctio-

„ ctione ſuccincta, ſimplici, & aperta, verbisque, „ ut ipſe ait, e trivio deſumptis, dictum illud in „ omnibus commentariis ſuis, & in ſingulis pene „ librorum præfationibus repetens, videlicet: Qui „ flumina eloquentiæ, & concinnas declamationes „ deſiderant, iſta non legant. Hoc enim ſolum „ mihi propoſitum eſt, divinarum Scripturarum „ verba declarare, & hæc ſola eſt laus mea, ut „ per me lector divinæ Scripturæ verba intelligat. „ Cujus propoſiti ipſe rationem reddens in quæſtio- „ nibus ad Damaſum Papam ſic ſcribit: De Scri- „ pturis diſputantem non decet Ariſtotelis argumen- „ ta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquen- „ tiæ ducendus eſt rivulus, nec aures Quintiliani „ floſculis, & ſcholari declamatione mulcendæ; „ pedeſtris, & quotidianæ ſimilis, & nullam lucu- „ brationem redolens oratio neceſſaria eſt, quæ „ rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manife- „ ſtet, non quæ verborum compoſitione fronde- „ ſcat. Sint alii diſerti, laudentur, ut volunt, & „ inflatis buccis ſpumantia verba trutinent: mihi „ ſufficit ſic loqui, ut intelligar, ut de Scripturis „ loquens, & diſputans Scripturarum imiter ſim- „ plicitatem. „

Idem tamen Sixtus ad *calcem Libri* 4. *Aliter*, inquit, *in Epiſtolis ſcribit Hieronymus, aliter in decertationibus adverſus Ruffinum, & Vigilantium loquitur, & aliter in Commentariis Prophetarum: alio modo dicebat, cum eſſet admodum juvenis, & adhuc Rhetorum exercitatione calens, atque alio modo ſenex, cum graviora ac ſolidiora ſectaretur: ſed ita tamen ſemper ſcribit, ac loquitur, ut ubique eum agnoſcas eſſe Hieronymum; quemadmodum & familiaris tibi amici faciem nunc iratam, nunc mitem, nunc triſtem, nunc alacrem ejusdem ſemper eſſe hominis cognoſcis.*

Optime autem atque eleganter Eraſmus *Epiſtol. I. Nuncupatoria:* „ Ipſum, inquit, dicendi genus haud-

„ quaquam triviale, ſed ſententiis variegatum, epi-
„ phonematis argutum, ſtrophis obliquum, ac va-
„ frum, argumentis denſum, & inſtans, alluſio-
„ nibus feſtivum, nonnunquam variis Rhetorum
„ ſchematis veluti laſciviens, ubique doctum, &
„ artificem præſeferens. . . . Accedit ad hæc varia
„ quædam, & admirabilis omnium rerum mixtura,
„ quam affectavit etiam Hieronymus, ſed omnino
„ feliciſſime, pia nimirum ambitione, & ſancta
„ quadam oſtentatione jactitans opes ſuas, quo ma-
„ gis veternum nobis excutiat, & oſcitabundos ad
„ arcanæ ſcripturæ ſtudium expergefaciat. Quid
„ enim eſt usquam in ullo vel auctorum vel litera-
„ rum genere, quod ille paſſim non aſpergat, in-
„ culcet, inſulciat? hebraica, græca, latina, chal-
„ daica, ſacra, profana, vetera, nova, quid non?
„ Sic ille velut apicula per omnia circumvolitans ex
„ unoquoque, quod eſſet eximium, ad operis ſui
„ mellificium congeſſit, ex variis floſculis hinc
„ illinc decerptis ſerta concinnans, aut velut ex
„ verſicoloribus teſſellis muſaicum opus contexens.
„ Et in his, quod maxime retruſum eſt, id liben-
„ tiſſime conſuevit intertexere. Quid enim tam ab-
„ ditum in Prophetarum involucris, in totius in-
„ ſtrumenti veteris myſteriis, quid in Evangelicis,
„ aut Apoſtolicis literis, quod ille non ceu notum
„ adhibeat? nonnunquam ſic alludens, ut nec
„ animadvertatur, niſi ab eruditis, & attentis.
„ Quid in Hebræorum, aut Chaldæorum monu-
„ mentis, quid in Rhetorum, Cosmographorum,
„ Poëtarum, Medicorum, Philoſophorum, deni-
„ que hæreticorum libris, unde non aliquid atte-
„ xat volumini? „

Idem *in vita Hieronymi*, quam laudatiſſimam ſcripſit, *verſus finem* non minus præclare. „ Quis
„ exorditur dexterius? quis proponit abſolutius?
„ quis narrat evidentius? quis expatiatur vel amoe-
„ nius,

„ nius, vel appofititius? quis colligit nervofius? „ quis telum in adverfarium torquet acrius, aut ex„ ceptum retorquet mirabilius? quis illigat tena„ cius? quis in tractandis ἤθεσι jucundior? quis in „ πάθεσι concitandis gravior? quis in fchematismis „ florulentior, aut picturatior? quis fententias in„ terferit aptius? quis epiphonematibus pungit ar„ gutius? quis hypotypofes effingit rectius? quis „ aut attollit magnificentius, aut dejicit humilius? „ Quanta ordinis ratio? quod confilium? quæ tran„ fitionum deliciæ, quas fæpenumero per fenten„ tiam contexit? quam parata latini fermonis co„ pia? quæ vocum emphafis, qui delectus? quan„ ta rerum fupellex? quæ auctorum agmina? „ quam ubique denfus, & inftans fibi, quam felici „ mixtura contexit, concinnat, ac ftruit omnia? „ Præterea qui nervi, qui lacerti, qui vigor, qui „ actus orationis, ac vita? Ut nusquam ceffat, nus„ quam dormitat, nusquam jacet, nusquam refi„ ftit? ut ubique properans, auditorem fecum ra„ pit? ut femper aliud ex alio pendet, & gemma „ gemmam trahit? quam modulata, quamque nu„ merofa totius orationis compofitio? quam miro „ commatis, & colis rotatur, ac volvitur oratio? „ Quid dicam de feftivitate, qua res triftiffimas etiam „ ille mirifice condiit? Poftremo quod pectus, quan„ ta caufæ fiduciæ? quis docet apertius? quis de„ lectat urbanius? quis movet efficacius? quis lau„ dat candidius? quis fuadet gravius? quis horta„ tur ardentius? quis recenfet fublimius? quis in„ ftituit fanctius? quis cum amicis fabulatur huma„ nius? Nullum eft enim argumenti genus, in quo „ non ille luferit: nusquam fui diffimilis. Hæc „ non admodum mirentur, qui in hanc palæftram „ nunquam defcenderint. Ceterum magnarum vi„ rium eft, tractare facra tam fplendide, fimplicia „ tam erudite, inculta tam polite, retrufa tam

 „ dilu-

„ dilucide, a sensu communi abhorrentia tam po-
„ pulariter, periculosa tam libere, severa tam plau-
„ sibiliter?* Brevissime & compendio *Antibarba-*
„ *rorum Libr.* I. Hieronymi ait *vehementem* esse *di-*
„ *ctionem*, *variam*, *vafram* **, *acrem*, *locuple-*
„ *tem.*

Hæc Erasmus generatim, & confuse. Quod si lector ordine cupit procedere, atque Hieronymum in singulis nosse, ante omnia hæc consideret, necesse est, sanctum Doctorem totum fere esse in his quinque generibus: in instituendo ad officia vitæ, ac status, hortando ad perfectionem, consolando in mœrore, laudando quorumdam virtutes, aliorum vero scelera, atque abusus increpando. In *instituendo* evangelicam severitatem præfert, in ea, quæ corpori inimica sunt, maxime propendens. Nunquam byssum ille, nunquam mella loquitur, non mortis spiculum auro illudit, non ei vel in pœnitentibus sunt omnia protinus alba, nec una lacrimula ex mulierculæ oculis stillante inferni busta restinguit, non alia habet, quibus hodie & perdunt tam multi, & perduntur. Sed plus fere petit, ut quod minus est, obtineat securius. Præterea singularem ostendit usum rerum, experientiam incredibilem, cognitionem mundi, qualem frustra apud alios requiras. In *hortando* urget, & perurget, premit, ac velut in parietem inclinatum incumbit, ut videas scilicet non destiturum, donec persuadeat. Ardor autem ejus ponit interdum, seu ne gravis fiat, seu ut vires resumere possit: ac tum fere ad Laconismum deflectit. Subito autem de integro insurgit, novam facit

* Brevius *Præfat. in Tom. II.* ad eundem Hieronymi Characterem delapsus alia dat.

** Vafrities Hieronymi pro artibus & prudentia oratoria in causæ commodum, non alterius damnum, accipienda est. De naso vero, quem illi toties Erasmus objicit, diximus alias, quando scilicet de Eloquentia Tertulliani disserebamus.

facit impressionem, ut vix quisquam sit, qui mentis pondus ferat, & splendore sententiarum non percellatur. In *narrando* lepor quidam est nativus, ac perpetua jucunditas, quæ ad vitam accedat, faciatque, ut rem videre, non legere te putes. Miscet vero & hic graves sententias, crises interserit non expectatas quidem, sed nec longius accersitas, clausulas vero, & transitiones adhibet, quæ placeant mirifice, & lectoris animum oblectent. In *consolando* vix est quispiam ex optimo genere etiam græcorum Patrum, plus dico, classicorum quoque auctorum, qui tam perite tractet exulceratum animum, tam efficaciter medeatur, tam teneris sit affectibus, & tot argumentis abundet. In *laudando* adulationem fugit maxime, sic tamen, ut amicitiæ, & affectui tribuat, quantum potest. Ingressus autem semel aream illam ubique flores spargit, & opere maximo dat operam, ut in Elogio neque ingenium, neque varietatem, sed neque splendorem, ac novitatem quis possit desiderare. In *vituperando* contra, ad quod indoles quam maxime fervida, bella item cum hæreticis, & moræ tot negotiis injectæ vehementissime eum inflammabant, superat omnes sive sacrarum, sive profanarum rerum scriptores. Hoc illius forum, hic totus exultat, hic & Satyricorum rictus, & Stoicorum bilem, & Comicorum sales, & quidquid uspiam est argutum, acre, vehemens, & pungens, adhibere novit ea facilitate, ut fluminis instar e calamo non profluat magis, quam erumpat.

Atque hæc ipsa est causa, cur apud Juniores haud paucos censuram incurrerit, quasi naturæ in scribendo indulgeret nimium, & lacessitus semel contemptim exciperet adversarios suos, a felle autem & aceto vix unquam sibi temperaret. Ajunt enim data, aut arrepta occasione, etiam brevi effundit stomachum, fremit, minatur, pudore suffundit, quin

quin posita non raro gravitate maledictorum omne genus, ac plaustra convitiorum congerit, velut jure quodam suo, nulla hominum, nulla alterius rei habita ratione. Hanc crisin Scaligero, Caveo, Clerico & ex parte quadam etiam Tillemontio debemus. Superi! ex Italia in Syriam migrare coactus Hieronymus, & nec ibi in monasterio securus, inter invidos, & hypocritas medius, omnesque, qui Christo bellum indixerant, suos quoque hostes expertus, eo ipso tempore, cum Oriens in partes iret, cum arderent omnia, cum fœdissima monstra Ecclesiæ visceribus incubarent, aliis quidem otiose inspectantibus, aliis sub specie sanctitatis luxuriæ, atque avaritiæ studentibus, aliis denique cohortantibus ipsum, & stimulos identidem admoventibus, miramur scilicet, quod arma corripuit, quod gestivit in plagas perditorum, quod nemini pepercit armato. Nescio qua ratione fiat, ut illi ipsi, qui ne tantillum quidem sibi temperant in scribendo, sed alios ultro provocant, nihilominus in gravissime læsis modestiam semper desiderent, quam præstare ipsi nunquam potuerunt. Tamen ipse Erasmus, etsi subin Hieronymi acrimoniam notasse videtur, excusat rursum pro viribus; idque sæpius & eleganter etiam facit, maxime vero in *Vita*, Operibus præfixa.

Ibi principio purgat virum sanctum ex moribus, quos quidam ex suis æstimantes, tetricum quempiam, & incivilem fuisse somniant; cum eo nihil unquam fuerit nec humanius, nec urbanius. Et verissime istuc Erasmus; patet enim ex scriptis, vitæque ratione omni pluribus in locis. Dein paulo inferius ad rem ipsam accedens: „ Sunt, inquit, „ quos nonnihil offendit sermonis acerbitas, quod „ in scriptis suis acrius nonnunquam videatur in„ candescere, quam pro christiana mansuetudine, „ planeque veteris comœdiæ quiddam referre, mul-

„tos

„ tos mordicus arripiens. In hac ſententia fuit
„ olim Auguſtinus *, & noſtra memoria, ſi ſupe-
„ ris placet, Franciſcus Philelphus, vir ille quidem
„ eruditus, ſed nonnunquam plus ſatis φιλαυτός.
„ At hi mihi parum expendere videntur negotii cir-
„ cumſtantias, patriam, ingenium, ſui fiduciam,
„ æmulorum improbitatem, contumeliæ genus
„ nulli ferendum: poſtremo nec illud Terentianum:
„ *Tu ſi hic, aliter ſentias.* Nulli ſuam contumeliam
„ ferunt impotentius, quam qui in aliena ſunt len-
„ tiſſimi. Aculeo invectus eſt in Ruffinum; ſed ille
„ commeruerat acriora. Hic hæreſeos crimen for-
„ titer depellit; ille carnificem minitatur, & fictis
„ flagitiis famam inceſſit. Et nemo ſævit gravius,
„ quam cui non licuit eſſe manſueto. Atqui ſi quis
„ attentius, ac propius inſpiciat eos libros, in qui-
„ bus velis, equisque, quod ajunt, invehitur in ad-
„ verſarios, totaque libertati fræna laxat, mira
„ deprehendet humaniſſimi, mitiſſimique ingenii
„ veſtigia. Ludit ſæpenumero, & feſtivis ſalibus
„ agit magis, quam virulentis. Nonnulla dedit
„ ſuo ſæculo **, & amicorum affectibus, & ita
„ crimen a ſe depellit, ut ſi fieri poſſit, cupiat ho-
„ ſti parcere. Multa ſciens, ac prudens ſupprimit,
„ pudori chriſtiano malens obſequi, quam animo
„ laceſſito, velut in Epiſtola adverſus Joannem
„ Hieroſolymitanum quantum tribuit ſuæ verecun-
„ diæ! quantum Epiſcopi titulo! ut ſe reprimit!
„ Et ſi quid incidit odioſius, ſæpe nomen ſupprimit,
„ nonnunquam fictis utitur vocabulis, velut in ar-
„ gu-

* Hoc ego in Auguſtino nunquam legi, neque credo alius leget. Potius laudat Hieronymum, quod pro injuriarum atrocitate ſibi temperet. Lege *Epiſt.* 93. *nunc* 110. inter Hieronymianas. *&* 97. *nunc* 116.

** Nempe ætas illa non erat tam plena ceremoniarum, & urbanitatum, quia ſincera magis, ac liberi oris. Itaque nonnulla acriora nunc videntur, quam ibi fortaſſe ſunt viſa.

„ gumento de matre, & filia reconciliandis, in „ Diaconum impudicum, in Susannam lapsam *. „ Quin etiam in Ruffinum, & hujus socios Grunnii, Luscii, Lavinii, Calphurnii, Lanarii, Scorpii, canis Alpini & id genus aliis, aut fictis, aut obscuris nominibus stomachatur. „

Egregie sane, & argumentis talibus, quæ ex ipsa causa petita sint. Nihilominus argumentum reassumens Erasmus non uno loco, maxime cum ad scriptiones eas devenit, in quibus acrimonia Hieronymi plus quam in ceteris videtur elucere. Iterum vero locum nefas sit prætẹrire, ubi *Præfat. in Tom. III.* novis pugnat rationibus, iisque, ut mihi quidem videtur, non obviis, verum solertissime conquisitis. „ Id facile, inquit, in bonam partem interpretabitur, quisquis perpenderit ardens, & „ natura vehemens hominis ingenium, & liberum „ verius, quam contumeliosum. Deinde morum „ integritatem, vitæque innocentiam, quæ ut ne„ minem afficit injuria, ita impatiens est injuriæ. „ Adhæc atrocius esse crimen hæreseos, quam ut „ ullius, quantumvis mansuetum ingenium ferre „ potuerit: ut ne quid addam de doctrinæ fiducia, „ qua sic omnes antecellebat, ut hunc contulisse „ cum ullo ceterorum contumelia fuerit. Quid „ quod hujus etiam generis, ut cum ceteris in rebus „ omnibus tolerantem esse virtus sit, hic dissimu„ lare sit impietas. Jam sæculum hoc omne, quo „ divus vixit Hieronymus, incredibile dictu, quan„ topere tumultibus hæreticorum flagraverit, adeo „ ut illis temporibus ingeniosa quoque res fuerit, „ esse christianum. Tot erant hæresiarcharum no„ mina, cognomina, dogmata, ut in his etiam „ recensendis sudaverint homines eruditi. Verum „ Cata-

* Hæc enim Epistola tum Hieronymo adhuc tribuebatur.

„ Cataphryges, Borboritæ, Ophitæ, Manichæi,
„ & horum similes hæretici, quoniam portentosa
„ quædam sequebantur, & in tantum a divinis ab-
„ horrentia Literis, ut ne cum sensu quidem com-
„ muni concordarént, facile seu suapte sponte con-
„ senuerunt. Ceterum Arianorum hæresis com-
„ munita literis, ac divinæ quoque Scripturæ vali-
„ dissimis, ut videbatur, nixa præsidiis, insuper
„ Imperatorum, & gentium adjuta studiis, opi-
„ busque, periculosis rerum motibus labefactavit
„ orbem christianum, in tantum, ut in dubio fo-
„ ret, utro se inflecteret Ecclesiæ sinceritas, & fa-
„ ctio, schismaque verius esset, quam hæresis,
„ quod adversarii numero prope pares essent, elo-
„ quentia, doctrinaque superiores. Ea pestis ut-
„ cunque sopita rursum in Origenistis renata est,
„ idem malum, sed mutato nomine. Contra cer-
„ tatum est acriter Synodis, ac decretis, & sym-
„ bolis sexcentis. . . . . Admiscebant sese rebus
„ hisce, ita ut fit, privata hominum studia: & sub
„ fidei prætextu simultates exercebantur. Potissi-
„ mum autem his malis agitabatur Oriens & omnis
„ Græcia, quæ quo magis favebat Origenis inge-
„ nio, hoc ægrius ferebat, illius damnari dogmata.
„ Hisce rebus sic agitatus est vir optimus, ut nec
„ sedes quieta daretur usquam, nec studiorum otio
„ frui liceret, jam Ruffini opera in hæreseos etiam
„ suspicionem, & calumniam vocaretur, quod
„ olim Origenis ingenio delectatus, quædam illius
„ tradidisset latinis auribus, nec id sine laude aucto-
„ ris. Quod tam placidum ingenium, ut hujus-
„ modi malis lacessitum non exardescat? Et tamen
„ si quis propius inspiciat, expendatque libros, in
„ quibus tota libertate videtur in quosdam invehi,
„ velut in Vigilantium, in Ruffinum, in Episco-
„ pum Hierosolymitanum, is animadvertet, multo
„ plus subesse festivitatis, quam virulentiæ, & in

„ me-

„ mediis illis convitiis sentiet humanissimi ingenii „ manifesta vestigia. „

Porro studiose hæc, licet sint susiora, ex Erasmo exscribere placuit, tum quod hominibus, quos dixi, semper aliquis ex eorum grege objiciendus est, tum vero quod Erasmus, uti recte Stiltinghus observat, Hieronymum legit accurate, gesta ejus præ superioribus omnibus accuratius collegit, meliusque digessit, denique dignam tanto Doctore imaginem informans animo * æquius judicium tulit. Optime autem facturus erat Erasmus, si, quod in *Argum. Dialogi adversus Luciferian.* obiter cœperat, excusationem acrimoniæ Hieronymianæ à zelo quoque ejus repetiisset, quo flammas ferventi ingenio subjiciente, difficillimum illi fuit pacate agere. *Licet hydra sibilet*, ait Hieronymus *Præfat. in Esdram*, *victorque Sinon incendia jactet*, *nunquam meum*, *juvante Christo*, *silebit eloquium*, *etiam præcisa lingua balbutiet.* Et *ad Pamach. adv. errores Joan. Hierosolymit. Ego libere dicam*, *& quamquam torqueatis labia*, *trahatis capillum*, *applaudatis pede*, *Judæorum lapides inquiratis*, *fidem Ecclesiæ apertissime confitebor.* Iterum *Apolog. ult. adv. Ruffinum: In uno tibi consentire non potero*, *ut percam hæreticis*, *ut me Catholicum non probem. Si ista est causa discordiæ*, *mori possum. . . Sit inter nos una fides*, *& illico pax sequetur.*

Quod si quis hic controversiæ, quam ei Augustinus movit, mentionem injicit, omittere non debet, & qua charitate temperata ea sit, & qua indulgentia denuo consopita Asperior fuit Augustino Hieronymus? Sit sane; neque enim negamus: verum lacessitum se vidit, sententia sua gravibus verbis improbata ab eo, cujus neque scientiam,

* Ait Erasmus *Præfat. in Tom. II.* se & olim adolescentem Hieronymi scriptis unice esse delectatum, & nunc hoc magis capi, quo plus accesserit eruditionis.

tiam, neque sanctitatem tum quidem cognitam habebat: dein epistolam contra se scriptam intellexerat in multorum manus venisse, antea quam ipse vidisset. Quæ duo non sunt prætereunda in tali homine, & quæ sat scio nullus eorum concoqueret, qui Hieronymi acrimoniam tantopere exaggerant. Vel sic tamen provocatus Hieronymus silere volebat, non contendendum ratus cum Episcopo Catholico, nec nisi pluribus ipsius Augustini literis ad respondendum potuit impelli. Responsio autem erat ejusmodi, ut acriorem expectasses. Rotunde loquitur, moderate tamen, atque id ipsum, quod scripserat, mox altera epistola excusat, semper deinceps & amans præ cæteris, & laudans adversarium Augustinum. Notari hic merentur verba Baronii, utpote pulcherrima, & sapientissimi hominis *, *Deo dilectos Hieronymum, & Augustinum, filios pacis, Ecclesiæ Magistros eo animo fuisse in altercando, ut inter ipsos verborum ictus, verberibus graviores se mutuo complecterentur, peterentque furtivis osculis charitatis*,

Hæc pro instituti mei ratione sufficiunt. Nolo enim in eo labore hærere diutius, quem sibi alii me doctiores sumpserunt. In excusando enim Hieronymo molam eandem dudum versavit Theophilus Raynaudus, cujus, ut mihi videtur, haud parum intererat, purgare sanctum Doctorem; quod una fidelia & suum pariter, & illius parietem dealbaret **: Natalis item Alexander in *Historia Eccl.* ubi de Hieronymo: Josephus Zwinger in *Apologia divi Hieronymi adversus Joannem Clericum*: nuperrime vero Joannes Stiltinghus *in Actis SS. ad diem XXX. Septembr. §§. I. XLV. XLVI. L. LIV. LXXX.* hi aliique omnia jam occuparunt, quæ

* *Ad annum* 394.

** *In Erotematis supra citatis* præsertim 9. & iterum *Tom. XII. in Hoplotheca contra ictum calumniæ sæpius.*

quæ adjicere ego ex adversariis meis potuissem; nolo igitur ligna in sylvam inferre, præsertim cum hominibus ejusmodi, qualis maxime Clericus est. Laconice licet respondere, hanc ipsam Hieronymi summam laudem esse, quod illis displiceat, quod ab illis identidem laceretur. Supra *cap.* 1. id diximus, sed repetendum hic est, & quidem ipsius Hieronymi verbis repetendum. Nam in *Proœmio Dialogor. adv. Pelagianos* generose in eam sententiam rescripsit: *Breviter respondebo, nunquam me hæreticis pepercisse, & omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ mei quoque hostes fierent* *. Quod si vero ejus verbis claudere confutationem placet, a quo pleraque mutuati sumus, hunc Erasmus vitæ Hieronymi finem imponit. *Hunc* (Hieronymum) *omnis sexus, omnis ætas discat, evolvat, imbibat. Nullum doctrinæ genus est, quod hinc non queat adjuvari, nullum vitæ institutum, quod hujus præceptis non formetur. Soli hæretici Hieronymum horreant, & oderint, quos ille solos semper acerrimos hostes habuit.*

Quod si vero sunt alii, qui cum acrimoniam in Hieronymo non accusent, sed & ceteras virtutes stylo ejus omnes tribuant, majorem tamen ab eo Latinitatis curam, ac puritatem exigunt: uti in eos non ita stomachari possum, sic judicium eorum maxime demiror. Videntur enim mihi inepte, ne dicam juveniliter de tanto viro pronuntiare. Sic ergo habeant, qui exigunt ab aliis, quod ipsi præstare non possunt. Non decebat Hieronymum, & professionem ejus quasi libra arrepta, quid aureum, quid argenteum, quid æneum esset, ponderare, neque id negotia ejus, & innumeræ literæ patiebantur. Presbyter christianus, & Monachus, cum de rebus divinis scriberet, an iisdem verbis uteretur, quibus Cicero, vel Cæsar usi

* Vide etiam *Epistolam Hieronymi* 80. *nunc* 141. *ad Augustinum.*

usi sunt? Nova religio, novi auctores novarunt omnia in scribendo. Itaque qui apte scribere volebant, maxime primo illo tempore plurimum Ecclesiæ consuetudini, plurimum divino Codici, plurimum ipsis mysteriis dare debuerunt. Non ergo, si Gentilium latinitatem non habeat Hieronymus, dicendus est illa christianorum carere: quibus utique sua phrasi, cum de pietate, veraque religione sermonem habent, non minus licet eloquentibus esse, atque illis olim licebat, quando verba omnia studiose superstitionibus suis accomodarunt. Sit ergo Hieronymus ille Cicero, qui verba nobis ecclesiastica subministret: neque pudeat nos ejus verba usurpare, cujus cetera omnia, ipsamque eloquentiam tantopere admiramur. Non hæc sunt sordida nobis, non ferrea, tantumque abest, ut offendere possint, ut ostendant quam maxime candorem, ac puritatem christianam. Ecquis enim scribat de religione, qui non identidem sive sacrorum Librorum, sive vocum ecclesiasticarum meminisse debeat, easque suis immiscere? An vero immutabimus eam phrasin? minime; quia major religionis habenda cura est, quam latinitatis, major rerum, quam verborum, major fructuum, quam foliorum. Videant ergo, qui hæc fastidiunt, quomodo eloquentiam illam suam cum charitate & prudentia christiana concilient, fastidientes illico, nec sine supercilio auscultantes, cum sacræ, cum ecclesiasticæ, cum contritæ quædam voces Hieronymo exciderunt. Videant, plus dico, quomodo cum ipsis Ethnicorum Philosophis sibi conveniat, quibus nunquam probatum est, verbis sibi propriis abstinere, & sic veluti artis suæ instrumenta abjicere. Videant num non potius Cicero, si christianus esse posset, plura Hieronymi imitaretur, & quando, utpote eloquens, ad rem, & ad hominem dicere debuisset, non quam plurima

secus, atque olim fecerat, eloqueretur? De quo iterum Erasmus videndus est, & hac in parte erga Hieronymum æquissimus, qui eum potissimis ævi sui Ciceronianis, & ex parte ipsi Tullio, opponens mastigibus aurum in eo, & argentum requirentibus helleborum porrigit. *In vita* enim sæpe laudata sic loquitur. „ Divus Hieronymus in „ tot linguas cognoscendas partitus operam, & „ oleum, tum in hujusmodi versans argumentis, „ quæ non facile splendescunt, nec recipiunt ora„ tionis nitorem, denique permulta dictans, ta„ men eloquentia tantum præstitit, ut nemo fue„ rit nostra memoria, quem hac in parte cum eo „ conferre possimus. Et tamen eximios viros no„ stra vidit ætas, & qui ne Ciceronis quidem sæ„ culo inter elingues habiti fuissent: quorum præ„ cipui sunt Laurentius Valla, Hermolaus Barba„ rus, Angelus Politianus, Joannes Picus, & no„ ster Rodolphus Agricola. Sunt & alii, quos „ haudquaquam contemno: sed ex his, quoniam „ sunt insignes, res æstimabitur. Hieronymus ex „ parte contempsit eloquentiam, tam multis di„ stractus est studiis, quæ dicendi politiem rubi„ gine solent obducere: hi per omnem ætatem in „ his modo versati sunt literis, quæ ad dicendi „ faciunt ornamenta: & tamen detur idem argu„ mentum, sit eadem christiane loquendi lex: vi„ debimus, nec horum quempiam Hieronymianam „ eloquentiam assequi.„ Et infra *ibidem.* „ Aliud est „ epistolam scribere ad Ciceronis exemplar, & „ decem selectis voculis Ciceronis simiam agere; „ aliud in gravissimis argumentis tot excudere vo„ lumina, Aliud est in ficta controversiola decla„ mare: aliud in feriis fidei negotiis utrisque sa„ tisfacere & his, qui nihil requirunt præter Scri„ pturæ divinæ scientiam, & his, qui tantum in„ genii vires expectant. Atque, hoc qui præstat,

„ pa-

„ parum Ciceronianus est? siquidem quid aliud „ est esse Ciceronianum, quam optime dicere, „ etiamsi diverse dicat? quandoquidem ipsi Cice- „ roni secus dicendum foret, si Hieronymus esset. „ Alias dicendi virtutes mireris in aliis, in uno „ Hieronymo tot pariter dotes cumulatæ sunt, ut „ in eo reperire liceat, quod & in M. Tullio de- „ sideres. Loquitur Cicero: tonat, ac fulminat „ Hieronymus; illius linguam miramur; hujus „ etiam pectus. „

Vult igitur insuper habito eo, quod Hierony- mus non habeat verborum perpetuam illam puri- tatem & castimoniam, nullum illi similem chri- stianum oratorem esse. Addit enim, „ Ut juxta „ Græcorum proverbium non una hirundo ver „ efficit, ita non una quæpiam dos facit eloquen- „ tem. Inter tot egregios auctores, quorum in- „ genio defensa est, & illustrata Christi religio, „ aliis desunt sæculares literæ: aliis sacræ Scripturæ „ cognitio. In hoc ingenium desiderat Hierony- „ mus, in alio lucem orationis, in hoc nervos, „ in illo splendorem. Multis defuit linguarum „ peritia, nonnullis fidei sinceritas, quibusdam vi- „ tæ integritas. Hieronymus, & unus Hierony- „ mus sic omnia præstitit, ut si non ad unam ali- „ quam virtutem, sed ad omnium concentum, & „ summam respicias, dicam audacter, sed vere: „ nihil habet vel ipsa Græcia, quod nostro oppo- „ nat Hieronymo. Proferat si possit, & meæ sen- „ tentiæ non pigebit palinodiam canere. „ Ita ibi præter alia Erasmus. Nam vehementer etiam in illud Theodori Gazæ concitatur, quem dixisse fe- runt: *Hieronymum in somnio illo suo præter meritum vapulasse*, quo ille acumine innuebat, non tam Ciceronianum illum esse, uti vulgo haberetur.

CAPUT III.

Ubi maxime expromat facundiam suam Hieronymus?

Ex his, quæ supra verbis Sixti Senensis diximus, facile sit colligere, Hieronymi eloquentiam non esse in iis operibus quærendam, quæ tanto numero in divinas literas sive Veteris, sive Novi Instrumenti ille commentatus est. * Nolumus igitur aliqua repetere, etsi ad hoc confirmandum multos præterea locos ex ipso sancto Doctore adducere liceret, maxime ex Præfationibus ab ipso Sixto generatim allegatis, qui majus adhuc lumen causæ nostræ inferrent: tamen quod diuturnam priori capite moram traximus, compensare eam debemus, & quantum licet ad ulteriora aliquando festinare. Istuc unicum omittere non debemus, quod vel in ipsis commentariis ubique scintillæ promicant oratorii ingenii, atque illæ nonnunquam satis luculentæ. Ut adeo recte dixerit doctissimus, atque tersissimus Ribera noster ** : *Hieronymus ubique sui similis etiam in hoc magnus est: præsertim cum relictis hæreticis, quibuscum pro domo Dei perpetuum, & implacabile bellum gessit, ad mores convertitur, aut Christum in Lege, & Propetis nobis ostendit latentem.* Brevius Joann. Bapt. Masculus *Præfat. Hieronymi ad conciones aptati*: *Solida est*, inquit, *ejus interpretatio, & robusta. Sententias acres habet, quas quasi amentatas hastas contorquere possis.* Ceterum inter Commentarios in Scripturam, Prophetæ citra controversiam primum occupant locum. Cornelius a Lapide *Proœmio in Prophetas versus finem* ita ait: *Hieronymus Phœnix ille sui ævi, vir græce,*

* Lege, quæ Joannes Stiltinghus *in Actis Hieronymi* §. 21. ~~folide eam~~ in rem ex ipso Hieronymo disputavit.

** *Proœmio in Malachiam.*

græce, hebraice, latine peritissimus, & Ecclesiæ judicio in exponendis sacris Scripturis Doctor maximus: quippe qui in hisce ad extremam canitiem consenuerit, & teste S. Augustino veteres omnes græcos & latinos Commentatores legerit. Qui sane nisi hic (Prophetias intellige) *primus glaciem perfregisset, posteris omnibus Prophetarum invia fuisset via. Sed Dei benefica providentia in hoc toto opere ita labor & doctrina Hieronymi constitit, ut hæc laureæ ejus doctoralis & scriptorum gemma præ omnibus emicet; opus dico operum ejus præstantissimum, in quo ipse seipsum vicit.*

Itaque ex ceteris, ubi eloquentiæ plusculum licebat, quam in Scripturis, primum genus est *Polemicorum*, vel *Apologeticorum*, quæ pertinent ad hæreses, & maledicorum calumnias refellendas. Hic enim, ut jam indicavimus, regnum quodammodo Hieronymi constitutum est, & præter quotidianum vigorem perpetua jucunditate, multoque sale aspergitur Oratio ejus. Eleganter Erasmus *Præfat. in Tom. III. Quemadmodum M. Tullius nusquam est admirabilior in dicendo, quam ubi dolor ceu calcar addit eloquentiæ viribus: ita divus Hieronymus, cum nusquam non sit eruditus, nusquam non eloquens, tamen haud alibi dicit melius, quam ubi maledicit hæreticis, aut calumniatoribus: si tamen hoc est maledicere, quod verum est acriter defendere.* Præcipui vero sunt in hoc genere Libri *contra Jovinianum.* Qua de re Augustini locupletissimum testimonium habemus, qui præ ceteris illos dilaudavit, *suavissimam, & præclarissimam disputationem* appellans, in qua *Epicureum* illum *dilucidissime*, & *satis evidenter convicisset* *. De iisdem Marianus Victorius *in argumento* ita ait: *In ea* (disputatione) *ita omnes ingenii, & eloquentiæ vires vir sanctus explicuit,*

* *Epistola* 132. *nova inter Hieronymianas.*

plicuit, ut ex hoc uno tantum opere, quantum ingenio, eloquentia, doctrina, rerumque omnium scientia divus Hieronymus præstiterit, liquido omnibus constare possit. Neque id valde mirum est iis, qui Hieronymum intimius noverunt. Faciebat enim pro eo ipsum argumentum, & genio quam maxime congruebat, continentiæ causam tueri. *Nactus itaque suum campum*, ut denuo Erasmi verbis utar, *omnes ingenii, & eloquentiæ vires explicat, ac veluti luxuriat, & ita refellit hominem, ut literarum etiam imperitiam, & prodigiosam sermonis infantiam rideat, & insectetur.* *

Ad *Libros* hos *contra Jovinianum* pertinet quoque *Epistola* 50. *alias* 51. *ad Domnionem*, qua juvenem Monachum, insolentem illum, & libertime cum matronis versantem acerrime castigat, & pungit. De hac ait eruditissimus Stiltinghus *in Actis SS. ad diem XXX. Septemb.* §. 31. „ Acris „ est illa epistola, fateor, viderique posset nimis „ acerba, si justa defuisset ita scribendi ratio. Ve„ rum dubitare nequeo, quin sanctus Hieronymus „ petulantem Monachum ita tractandum judica„ verit, quod vel inani gloria excitatum crederet „ ad nomen sibi comparandum, vel quod ipsum „ haberet suspectum, ut occultum Joviniani se„ ctatorem. Sive autem amore hæresis impellere„ tur, sive inanis gloriæ; ejus obtrectationes non „ poterant non esse Romanis noxiæ, erantque „ idoneo fundamento destitutæ: eaque saltem de „ causa hominem cito compescendum credidit; „ idque forsan magis effecit acri illa epistola, „ quam apologia prolixiore & moderatiore, qua „ Romanos instruxit. „ In hac Epistola habuit scilicet Erasmus, quod esset in rem suam, & pipere saleque ejus plurimum delectatus inter perpetuos

---

* *In Argumento.*

petuos cachinnos legiſſe eam videri poteſt. Ait enim in argumento: *Hunc igitur* (Monachum) *mordicus arreptum miris jocis ſurſum, ac deorſum jactat, ac vexat. Sive vere fuit aliquis talis, ſive ſub hujus perſona voluit omnes obtrectatores ſuos deterrere, ut eſt vafer Hieronymus. Et hunc neſcio quem ſnbornavit, ne quid offenderet Domnionem, ut appareret Epiſcopum, aut certe Abbatem; nam patrem vocat & alias. Eſt autem tota jocoſa epiſtola a capite uſque ad calcem: ſed a nomine temperans, quod liberius convitietur.*

Sed & *Libri contra Helvidium*, *Vigilantium*, *Ruffinum* editi quam maxime oratorii ſunt, & locos plurimos habent, quos deſperet aliquis aſſequi ſe poſſe dicendo. Adeo omnia ibi vivunt, ardent, & ſpectaculum exhibent, in quo ars & ingenium æquatis viribus de palma decertant. Quod tamen ardorem ipſum refutandi ſpectat, Hieronymus in neminem inſurrexit vehementius, neminem majore contemptu tractavit, atque Vigilantium, volebat enim ſuperbum animal, & monſtrum illud turgens veneno, ut primum erexerat caput, in cunis ipſis præfocare.

Secundo loco ponendæ ſunt *Epiſtolæ*, quas tamen ad nullum certum genus dicendi revocare poſſis. Aliæ enim *Parænetica* ſunt: aliæ *Panegyricæ*: aliæ *Invectivæ*, *Jocoſæ*, ac *Satyricæ*: aliæ etiam ad *Eruditionem* ſpectantes. Quid quod una & eadem varia eſt plerumque, & quædam habet, quæ ad omnia hæc genera pertineant? Ergo quo quis diligentius Epiſtolas legerit, eo majorem fore fatebitur difficultatem illas ſecernendi, diſtribuendique in claſſes ſuas. Iſtuc tamen aſſerere non dubitem, uti eæ, quæ Scripturas verſant, minus ceteris faciunt ad eloquentiam parandam, ſic eas, quæ elogia, & epitaphia continent præ omnibus eminere. Nihil illis feſtivius, facilius nihil, ſed

nec urbanius, acutiusve reperies. Ejusmodi est *Epist.* 60. *alias* 3. *ad Heliodorum*, seu Epitaphium Nepotiani, quod Stoltingus §. 32. *eloquentissimum* vocat. Ipse vero Hieronymus *Epist.* 30. *nunc* 77. fatetur: *ad Heliodorum Episcopum Nepotiani scribens Epitaphium, quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi.* Neque enim amœnitatem solum, & elegantiam habet: sed sententiis quoque refertum est, & in affectibus sive gravibus, sive teneris plane exultat. Talis est etiam Epistola 15. *nunc* 24. ad Marcellam: 16. *nunc* 127. ad Principiam: 27. *nunc* 105. ad Eustochium: 30. *nunc* 77. ad Oceanum.

Parœneticas inter excellunt 2. *ad Nepotianum, nunc* 52.
4. *ad Rusticum, nunc* 125.
7. *ad Lætam, nunc* 107.
8. *ad Demetriadem, nunc* 130.
9. *ad Salvinam, nunc* 79.
10. *ad Furiam, nunc* 54.
11. *ad Ageruchiam*, seu Gerontiam, *nunc* 123. quam Erasmus *cumprimis eruditam & eloquentem* dicit, atque ob mirum digressionum artificium valde commendat.
12. *ad Gaudentium, nunc* 128.
13. *ad Paulinum, nunc* 58.
22. *ad Eustochium.*
34. *ad Julianum, nunc* 118.

Consolatoriæ præstantiores sunt cum omnes, quas supra inter elogia recensui, tum
9. *ad Salvinam, nunc* 79.
25. *ad Paulam, nunc* 39.

26. *ad*

26. *ad Pammachium, nunc* 66. & hæc juxta Erasmum, tametsi brevis est, tamen *multum habet & eruditionis, & eloquentiæ, utpote ad virum eruditum, & eloquentem scripta a viro omnium doctissimo, & eloquentissimo.*
33. *ad Castrutium, nunc* 68.
34. *ad Julianum, nunc* 118.

Porro de *Epistola* 27. *ad Eustochium nunc* 105. illud adhuc monendum: fatetur Hieronymus ex ipso dolore profectam, & in ea sensum pectoris loqui. Fallitur tamen quam maxime, quod ideo dicat incultam orationem absque ulla elegantia, & verborum lepore esse.

Inter Invectivas, Satyricas, ac pungentes excellunt
47. *de vitando suspect. contubernio, nunc* 117.
48. *ad Sabinianum, nunc* 147.
51. *ad Domnionem, nunc* 50. de qua supra diximus, quod velut catum cum musculo ludentem exhibeat.
83. *ad Oceanum, nunc* 69.
99. *ad Asellam, nunc* 45.
100. *ad Marcellam de Onaso, nunc* 40.
102. *ad Marcellam, nunc* 27.

Sed & in ceteris, ubi merum mel latere putes multum sæpe piperis inest, ut infra dicemus.

Urbanæ, jucundæ, & officiorum plenæ
17. *ad Marcellam, nunc* 46.
18. *ad eandem, nunc* 43.
19. *ad Eustochium, nunc* 31.

37. *ad Julianum, nunc* 6.
42. *ad Niceam, nunc* 8.
43. *ad Chromatium, Jovin. & Euseb. nunc* 7.
44. *ad Chrysogonum nunc* 9.

Ad Epistolas quoque præsertim officiosas multa pertinent ex Prooemiis Scripturarum. Et dignissima profecto sunt, quæ inter illas reponantur.

Porro de omnibus universe Epostolis dici potest, eas laudari nunquam satis posse. Tanta est in iis libertas, facundia, amoenitas, & eruditio, ut quotquot eas legerint, admirentur, atque deprædicent. Tam narrat apposite, tam jucunde digreditur, tam acriter torquet, vel repellit, tam dulciter ciet affectus, tam docet sententiose, tam acute fodicat, tam ad vivum mores describit, præsertim cum mensarum, ac mulierum asseclas Clericos, dubias virgines, superbos Monachos cedit, atque flagellat. *Vere fatebor*, ait apud Severum Sulpitium Posthumianus: *pinxisse mihi videtur vitia.* * Et iterum admirans: *Quam vera, quam fortia disputavit!* Adeo nempe Hieronymus instar medici ferro & igne armati prodesse maluit, quam placere sceleratis. Cornelius a Lapide *Prolegom. in Threnos Jeremiæ: Epistolæ ejus*, ait, *dicendi libertate, efficacia, acrimonia æque, ac styli elegantia, spiritu & præceptis virtutum, ac perfectionis cuique statui accomodatis superant omnes omnium Patrum, & Doctorum Epistolas, aureæque sunt, ac dignissimæ, quæ ab omnibus assidue legantur, & terantur.* Sunt vero singula, quæ dixi, eo magis miranda, quod, ut jam innuimus, maximam earum, & præcipuam partem dictavit solum, non elaboravit, magis solicitus, ut brevi absolveret, quam, ut aliquantum exornaret. Certe 47. *nunc* 117. *de vitando suspecto contubernio*, etsi velocissime dictata, tam est admi-

* *Dialog. I.*

admirabilis, tamque perfecta, ut quidam, ipso referente *, confictum ab eo argumentum dicerent, in quo libere indulgeret sibi, ac per otium rhetoricaretur. Sed & 34. *nunc* 118. *ad Julianum* non integra hora dictatam, in qua juxta Auctorem amicum duntaxat reperire sit, non oratorem, Stiltinghus §. 51. elegantem tamen vocat, & eruditam, nec magis eloquentia oratoris, quam libertate amici carere dicit. Sed de Epistolis satis. Superest, ut cum Cassiodoro ** de iisdem loquente exclamemus: *Beati, quibus scribere Domino præstante dignatus est!* Concionatoribus vero cum S. Francisco Salesio *Libro I. Epist.* 34. propter excellentem, ut ait, phrasin etiam atque etiam commendatas eas cupiamus. ***

Ex Historicis, & narrationibus præcipua sunt
de Muliere septies icta.
Vita S. Pauli primi Eremitæ.
Vita S. Hilarionis.
maxime autem *Vita Malchi Monachi.*

In his omnibus sic ingenio indulsit, ut veritati tamen nec minimum officeret. Et in primo quidem libello adhuc juvenis lusit, ut remissum, ac desuetum jam stylum acueret nonnihil, & ad pristinum usum revocaret. De Vita vero Pauli *Epist.* 21. *ad Paulum Concordiensem, nunc* 10. ipse testatur, se potius laborasse, ne eloquentior esset, quam lectorum simplicitas ferret. *Misimus interim*, ait, *te tibi, id est, Paulo Seni Paulum Seniorem, in quo propter simpliciores quosque multum in dejiciendo sermone laboravimus. Sed nescio, quomodo, etiamsi aqua*

* *Libr. contra Vigilantium initio fere.* Cresollius *Libr. IV. Theatr. Rhetor. cap.* 9. *ornatissimam* appellat.
** *Libr. I. de Instit. divin. Liter. c.* 21.
*** Lege etiam, quæ de illis memorant Trivultienses *ad annum* 1704. *a pag.* 916.

aqua plena sit, tamen eundem odorem lagena servat, quo, dum rudis esset, imbuta est.

His, quæ copiosissime de HieronymiEloquentia disputavimus, adjungi præterea possunt, quæ habent Vergerius oratione citata *de Laudibus S. Hieronymi*: Franciscus Philelphus *Libro VI. Epist. ultima*: Erasmus *in Vita*, in *Dedicationibus* item, & *Præfationibus* operum, & in *Epistolis I. XXV. & XXVI. Libri 2.*: Christianus Massæus *in Chronico*: Marianus Victorius in *Vita*, & *Præfatione*: Cornelius Schultingus Steinwichius in *Præfationib. Confessionis* suæ *Hieronymianæ*. Hieronymus Guadalupus in *vita*: Baronius in *Annalibus*: Joan. Philipp.Thomasius *Orat. de Laudib. Hieronymi*: Gaspar Barthius *Libro LI. adversar. cap.* 11. Joan. Bapt Masculus in *Ponderationibus Concionalib. ad opera S. Hieronymi*: Fridericus Gronovius *Libr. observator. in scriptor. Eccles. cap.* 19. Joannes Martianay Maurinus in *Vita*, aliisque ad novam editionem spectantibus: Joannes Croiset in *Exercit. Pietat. ad diem* 30. *Septembr.*Ignat. Hyacinth. Amat de Graveson *Libr.II. Histor. Eccles.pag. mihi* 36. Joannes Clericus in *Quæstionibus Hieronymianis undecim*: Augustinus Dolci in *Commentario de Morib. doctrin. & Reb. gest. S. Hieronymi*: Dominicus Vallarsius in *ultima editione Veronensi*, quæ Maurinam multum antecellit: Joannes Stiltinghus in *Actis SS. ad diem* 30. *Septembr.* præsertim §. 5. & alias, obiter quidem, verum præclare semper de eloquentia S. Doctoris commemorans.

DISSERTATIO VIII.

De Eloquentia S. AUGUSTINI.

CAPUT I.

Quæ laudes illius, & sententiæ Auctorum?

Equidem hic stylo vixdum arrepto velut in Scopulum quemdam video me impegisse. Quid enim, interpellabunt plurimi, & tantum non junctis vocibus inclamabunt, quid? Augustinum quoque inter Eloquentiæ exempla obtrudi nobis? Quid-

Quidvis magnum, atque excelſum de eo dicas: ſanctiſſimum appelles licet, & doctiſſimum: primas adeo illi tribuas inter ceteros Doctores: verum oratorem, atque eloquentem ne vendita. Utut enim coneris, & opere maximo des operam, nunquam oſtendes, nunqnam perſuadebis, nunquam niſi apud imperitos fidem es inventurus. Itaque familiares ſibi homilias allegant, in quibus jam denſas ſtribiligines, plebeiam phraſin, & ſpeciem quamdam loquacitatis: jam affectata acumina, & luſus verborum: jam earumdem rerum crebram repetitionem, jam ſubinane quiddam ac vacuum, jam protenſum, & implexum genus dicendi, circuitusque quam fuſos, tam obſcuros putant ſe deprehendiſſe. Addunt forte, habere Auguſtinum ſuæ gentis non aliqua ſolum, verum omnia, quibus neceſſe ſit fieri, ut tenuiter literati eum ægerrime intelligant, & politiores, niſi pietas faſtidium excludat, cum tædio evolvant. Satin' verborum, an plura ſuper? Ergo & mihi reſpondere fas ſit, quando hæc non nova, ſed antiquiſſima ſunt, atque apud Eraſmum iisdem fere ſententiis legi poſſunt.

Et *primo* quidem loco illud commemorandum eſt, Auguſtinum adeo Rhetoricæ ignarum non fuiſſe, ut eandem Carthagine, Romæ, Mediolani, maximis ſcilicet, & literatiſſimis Urbibus luce palam profeſſus ſit, & in libris de doctrina chriſtiana cum ſummis dicendi Magiſtris hodieque de palma decertet. Imo *Libr. IV. Confeſſ. c.* 16. de ſe ipſe affirmat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, per ſe ipſum legerit, & quidquid eſt de arte loquendi aut diſſerendi, ſine magna difficultate, nullo hominum tradente, intellexerit.

Secundo, auſim dicere, dimidiam fere partem, quæ inter ſcripta ejus recenſeri ſolet, non eſſe Auguſtini, ſed vel fraude, vel inſcitia in opera genuina

nuina irrepsisse. Inter homilias vero *de tempore*, *de Sanctis*, *de diversis* numerus ingens illi suppositus; atque utinam non plura in ipso Penso canonico splendidum hoc nomen præferrent, quæ dudum convenit inter eruditos ex Augustini calamo nunquam profluxisse. Qui fidem mihi non habet, obiter cujusque Tomi appendicem percurrat, vadem me præsto, tantum ille corruptarum ejusmodi mercium reperiet, quantum in nullo alio, * maxime autem istuc in Tomo illo decimo apparet, quem idcirco Werlinus, qui in legendo Augustino totus fuit, minime dubitat fæces operum Augustinianorum appellare.

Tertio Materiæ conditio ea plerumque est apud Augustinum, in qua vix esse possit eloquentiæ locus. Neque ullus est Patrum sive Latinorum, sive Græcorum, cui tanto numero jam subtilia, jam erudita, jam abstrusa & ante incognita tractanda se offerebant.

Quarto studiosa quoque negligentia scribere nonnunquam aggressus est Augustinus, uti legeretur a populo, quemadmodum librum, quem *agonem christianum* inscribit. Ut enim latine adhuc loquebantur Pœni, sic male, & barbare loquebantur. Eum enim ait *se fratribus in eloquio latino ineruditis humili sermone conscripsisse*, *fidei regulam continentem*, *& præcepta vivendi. L. 2. Retract. cap. 3.* Eandem rationem simplicioris styli dat *L. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 1.* Recentior Criticus Claudius Fleury *de Moribus primorum Christianor.* §. 40. ita in hanc rem loquitur: *Sermones S. Augustini inter omnia ejus opera omnium maxime popula-*

* Quod si quis examinare rem per se velit, toties ab aliis jam examinatam, legat Simonem Werlinum in *Crisi Augustiniana*, & Bernardum Windingum in *Critico Augustiniano castigato*, aut certe Maurinorum in singula opera admonitiones consulat.

pulares sunt. Stylus est longe concisior, faciliorque, quam sit ille Epistolarum; quod scilicet in oppido suo nautas maxime, opifices & propolas auditores haberet. Verum in scriptis polemicis de dogmatibus, præcipue in libris contra Julianum eloquentiam, quam publice docuerat, præclare usurpare, & adhibere novit.

Quinto, ut Erasmi verbis utar, *multa non scripsit, sed dictavit: pleraque per notarios ex ore loquentis excepta sunt, cujusmodi ferme sunt enarrationes Scripturarum ad populum, quos ipse tractatus appellat, aut conflictationes cum hæreticis, quæ olim publicitus apud plebem fieri consueverunt. Nec alibi mihi videtur admirabilior. Quibus mediocre contingit ingenium, si lucubrandi curam adhibeant, excudunt interdum aliquid non contemnendum. Ceterum in extemporali dictione tantam adesse mentis perspicaciam, tantam memoriæ præsentiam, tam paratam orationis copiam, non sine perpetua quadam jucunditate, quis non miretur, quis hoc hodie præstare queat vel ex istis, qui studium omne collocant in paranda dictionis facultate?* *

Sexto quod si quædam ipse per se scripsit, inter tot labores rebus semper, non verbis intentus, vel propere ea conjecit in chartam, vel certe limare noluit, minus exornare. Ut omittam cetera, vel ex sola *Epistola* 56. *nunc* 118. ad Dioscorum clarum est, quantum sub mole ea negotiorum, & totius Ecclesiæ hostibus in unum ipsum incumbentibus, cum respirare vix licebat, a jactantia & studio famæ abhorreret.

Septimo fructus concionum uberrimi, plausus videlicet, acclamationes, concursus, hæretici dein, & gentiles ad Ecclesiam adducti, inolita vitia emendata & ipsa per se locupletissima sunt testimonia, quam maxime Augustinum dicendo valuisse, nec facile

* In *Nuncupatoria Operum ad Archiepiscopum Toletanum.*

facile æqualem populari facundia habuisse. Testatur Possidius, ad Tractatus ad populum habitos ipsos etiam hæreticos, sanctitate & eruditione viri permotos, miscuisse se Catholicis, atque ardore ingenti, & Notariis adeo adductis, qui excepta ab ore ejus describerent, ex omni Africa concurrisse. Sed & ipse fatetur in *Prolog. Retract.* quotiescunque se præsente negotium aliquod incidisset ejusmodi, ut de superiore loco essent verba facienda, sibi solitum demandari. Quod eo magis est mirandum, quia & Presbytero contigit: imo in Concilio Carthaginensi necdum Episcopum de fide, & symbolo disputantem audire voluerunt Patres, cum biennio ante Presbyterum præsente Episcopo dicere plane inauditum fuisset. Hac ergo eloquentia, uti ipse rursum fatetur *, ex Mauritaniæ antiquissima urbe, quam Cæsaream dicunt, ludos immanes, & nefarios Augustinus relegavit. Ludi autem sic erant, si tamen ita nominare eos licet. Cives in duo agmina discreti lapidibus inter se eo furore, & pertinacia decertabant, uti a fratribus fratres, ab amicis amici, quin filii a parentibus veluti per jocum necarentur. Ne vero quid deesset ad immanitatem, non momentis aliquot, aut etiam horis, sed diebus continuis civile illud bellum durabat. Vir sanctus barbariei impatiens, cum esset in animis inveterata dulcedo insaniæ ejus, convocata concione immanissimum morem gravissimis verbis dementiæ ac furoris accusat, nec ante dicendi, aut tonandi potius, fulminandique finem facit, dum ex omnium comploratione, & pœnitentiæ significationibus aliis intellexisset, mentes ad humanitatem, & rerum suarum odium inclinatas. Id quod reipsa post contigit, consuetudine ea penitus abrogata. „ Egi quidem, ait, granditer, quantum „ valui,

* *L. 4. de Doctrin. Christian. c. 24.*

„ valui, ut tam crudele, atque inveteratum ma-
„ lum de cordibus, & moribus eorum avellerem,
„ pelleremque dicendo. Non tamen egiſſe aliquid
„ me putavi, cum eos audirem acclamantes, ſed
„ cum flentes viderem. Acclamationibus quippe
„ ſe doceri, & delectari, flecti autem lacrimis in-
„ dicabant. Quod ubi aſpexi, immanem illam
„ conſuetudinem a patribus & avis, longeque a
„ majoribus traditam, quæ pectora eorum hoſti-
„ liter obſidebat, vel potius poſſidebat, devictam,
„ anteaquam reipſa id oſtenderent, credidi: mox-
„ que ſermone finito ad agendas Deo gratias cor-
„ da, atque ora converti. Et ecce jam ferme octo
„ vel amplius anni ſunt propitio Chriſto, ex quo
„ illic nihil tale tentatum eſt. „ Atque ita S. Doctor morem tam inveteratum, quam atrocem eloquentiæ vi ſuſtulit penitus: victoria tali, cui parem vel a ſummis oratoribus partam vix ullibi ſit reperire. Addit denique eodem loco: *Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus, homines, quid in eis fecerit ſapientis granditas dictionis, non clamore potius, quam gemitu, aliquando etiam lacrimis, poſtremo vitæ mutatione monſtraſſe.* Idem *eod. Libro c.* 18. obiter de ſua aliqua concione memorat, quod, cum de calice aquæ frigidæ, cui Deus, ſi diſcipulo datus eſſet, æternam mercedem promiſit, diceret ad populum, tanquam de illa aqua frigida quædam flamma ſurrexerit, quæ etiam frigida hominum pectora ad miſericordiæ opera facienda ſpe cœleſtis mercedis accenderet.

Denique turpiſſimum Afri morem habebant, uti ſub ſpecie religionis in ipſis templis Martyrum vinolenta convivia inſtituerent, eaque ratione annuas eorum feſtivitates profanarent. Auguſtinus adhuc Presbyter contra abuſum hunc tam vehementer, eaque copia dixit, ut ſubigeret populum denique, & epularum loco hymnos, & laudes di-

divinas substitueret. Rei gestæ seriem ex ipsiusmet *Epistola* 29. *ad Alypium,* quantum licuit, a Maurinis contracta, recitabo. * Antequam solennis dies recurrisset, cum nuntiatum esset Augustino, tumultuari homines & dicere, se ferre non posse, ut illa solennitas prohiberetur, opportune accidit, ut quarta feria ante diem quadragesimæ capitulum Evangelii ex ordine; seu *consequenter* tractandum sese illud offerret: *Nolite dare sanctum canibus.* Eo ad propositum adhibito effecit, ut viderent, quam esset nefarium intra Ecclesiæ parietes id agere, quod in suis domibus si agere perseverarent, a sancto, & margaritis Ecclesiasticis eos arceri oporteret. Sed hæc quamvis grate accepta essent; tamen quia ad concionem pauci convenerant, non erat satisfactum tanto negotio; præterquam quod iste sermo, cum ab eis, qui adfuerant, pro cujusque facultate, & studio foris ventilaretur, contradictores multos habuit.

Itaque postquam dies quadragesimæ illuxisset, quo frequentior multitudo ad horam tractationis occurrit, lectum est istud in Evangelio, ubi Dominus de templo expulit venditores animalium, & nummulariorum mensas evertit. Quod capitulum ipse quoque Augustinus proposita vinolentiæ quæstione recitavit, adjunxitque disputationem, qua ostenderet, quanto commotius & vehementius Dominus noster ebriosa convivia, quæ ubique sunt turpia, de templo expelleret, unde sic expulit concessa commercia. Tum ex præparatis sibi lectionibus adjecit, ipsum adhuc carnalem populum Judæorum in illo templo, ubi nondum corpus & sanguis Domini offerebatur, non solum vinolenta, sed nec sobria quidem unquam celebrasse

* Epistola hæc primum reperta, atque edita est a Maurinis.

brasse convivia, nec eos publice religionis nomine inebriatos inveniri in historia, nisi cum festa fabricationis Idoli exsolverent. Ibi autem codice accepto locum illum totum recitavit: addiditque cum dolore, quo potuit, siquidem Moyses propter illos ebrios binas lapideas tabulas confregisset, quomodo non possemus illorum corda confringere, qui homines novi testamenti Sanctorum diebus celebrandis ea vellent solenniter exhibere, quæ populus veteris Testamenti & semel, & Idolo celebravit? Tunc reddito codice crimen ebrietatis exaggerans sumpsit Apostolum, & inter quæ peccata id positum esset, ostendit, legens hunc locum: *Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere:* ingemiscendo admonens, cum quanto periculo convivarentur cum eis, qui vel in domibus inebriantur. Legit etiam illud, quod non longo intervallo sequitur: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes &c.* Quibus lectis monuit, ut considerarent, quomodo possent audire: *Sed abluti estis*, qui adhuc tales concupiscentiæ sordes, contra quas clauditur regnum cœlorum, in corde suo, interiore Dei templo, esse patiuntur. Inde ventum ad illud capitulum: *Convenientibus ergo vobis in unum &c.* quo recitato diligentius commendavit, ne honesta quidem & sobria convivia licere in Ecclesia celebrari. Commemoravit etiam Evangelii capitulum, quod pridie tractaverat, ubi de pseudoprophetis dictum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Deinde in memoriam revocavit, fructus eo loco non appellari nisi opera: & recitato illo capitulo ad Galatas: *Manifesta autem sunt opera carnis &c.* interrogavit, quomodo de fructu ebrietatis inter carnis opera nominatæ agnoscerentur Christiani: egitque ut adverterent, quam esset

pudendum, atque plangendum, quod de illis fructibus carnis non solum privatim vivere, sed etiam honorem Ecclesiæ deferre cuperent: de spiritualibus autem fructibus, ad quos & Scripturarum auctoritate, & ipsius gemitibus invitarentur, nollent afferre Deo munera, & his potissimum celebrare festa Sanctorum. His peractis codicem reddidit, & imperata oratione ante oculos constituit commune periculum, cum eorum, qui ejus curæ commissi essent, tum suum ipsius, qui de illis rationem redditurus esset pastorum Principi, per cujus humilitatem, insignes contumelias, alapas, & sputa in faciem & palmas, & spineam coronam, & crucem, ac sanguinem obsecravit, ut si se ipsi offendissent, vel ipsius misererentur, & cogitarent venerabilis senis Valerii circa ipsum ineffabilem caritatem, qui ei tractandi verba veritatis tam periculosum onus propter eos imposuerit, eisque sæpe dixerit, suas orationes exauditas esse de ipsius adventu, quem non utique ad communem mortem vel spectaculum mortis eorum, sed ad communem conatum in vitam æternam ad se venisse lætatus est. Postremo etiam dixit, certum se esse, & fidere in Deum, quod si hæc tanta, quæ sibi essent lecta, & dicta, contemnerent, visitaturus esset in virga, & in flagello, nec eos permissurus cum hoc mundo damnari. Cum talia dicerentur, „ non ego illorum lacrimas, ait Augu„ stinus, meis lacrimis movi, sed fateor eorum „ fletu præventus meum abstinere non potui. Et „ cum jam pariter flevissemus, plenissima spe cor„ rectionis illorum, finis sermonis mei factus est. „

Postridie vero cum illuxisset dies, cui solebant fauces, ventresque præparare, nuntiatum est sancto Presbytero, nonnullos eorum etiam, qui sermoni aderant, nondum a murmuratione cessasse, tantumque in eis valere vim pessimæ consuetudinis, ut ejus tan-

tantum voce uterentur, & dicerent: Quare modo? num enim antea, qui hæc non prohibuerunt, Christiani non erant? Quo audito, quas majores ad eos commovendos machinas præpararet, omnino nesciebat; disponebat tamen, si perseverandum putarent, lecto illo loco de Ezechiele: *Explorator absolvitur, si periculum denuntiaverit, etiamsi illi, quibus denuntiatur, cavere noluerint*, vestimenta sua excutere, atque discedere. Verum Deo votis ejus, & conatibus favente, qui de oppugnatione vetustæ consuetudinis conquesti erant, iidem ipsi cum forte jam vererentur, ne sanctum virum vel Hippone, vel a præsenti saltem concione abscedere cogerent, ingressi sunt ad eum ante horam, qua exedram ascenderet. Quos ipse blande acceptos paucis verbis in sanam sententiam transtulit: atque ubi ventum est ad tempus disputationis, omissa lectione, quam præparaverat, quia necessaria jam non videbatur, de hac ipsa quæstione pauca disseruit, nihil se nec brevius, nec verius posse afferre adversus eos, qui dicunt: Quare modo? nisi & ipse dicat: Vel modo. Deinde ne illi, qui ante vel permiserunt hæcce in Sanctorum natalitiis convivia, vel ea prohibere non ausi sunt, aliqua ab eo affici contumelia viderentur, exposuit populo, qua necessitate ista in Ecclesia crederentur exorta: scilicet post persecutiones facta pace, cum turbæ gentilium in christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum, & ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis, & tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere: visum fuisse Majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos post eos, quos relinquebant, alios in honorem sanctorum Martyrum, vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarent, ut jam Christi nomine colligatis, & tantæ auctoritatis jugo subditis salu-

taria sobrietatis præcepta traderentur, quibus jam propter præcipientis honorem, ac timorem resistere non valerent: quocirca jam tempus esse, ut qui non se audent negare christianos, secundum Christi voluntatem vivere incipiant, ut ea, quæ, ut essent Christiani, concessa sunt, cum Christiani sunt, respuantur. Deinde hortatus est, ut transmarinarum Ecclesiarum, in quibus vel ista recepta nunquam sunt, vel jam correcta, imitatores se præbere vellent. Et quoniam de Basilica beati Petri Apostoli quotidianæ vinolentiæ proferebantur exempla; dixit primo, audisse se, id sæpe esse prohibitum, sed cum remotus sit locus ab Episcopi habitatione, atque in tanta civitate magna sit carnalium multitudo, peregrinis præsertim, qui novi subinde veniunt, tanto violentius, quanto inscitius illam consuetudinem retinentibus, tam immanem pestem nondum compesci, sedarique potuisse. Verumtamen ipsis, si Petrum Apostolum honorarent, præcepta ejus audienda, & multo devotius epistolam, in qua voluntas ejus perspicitur, quam Basilicam considerandam esse, statimque accepto codice recitavit: *Christo enim passo pro nobis per carnem, & vos eadem cogitatione armamini. Sufficit enim vobis præteritum tempus voluntate hominum perfecisse, ambulantes in libidinibus, desideriis, ebrietate, commessationibus, & nefandis idolorum servitutibus.* Quibus gestis, cum omnes uno animo in bonam voluntatem ire, contempta mala consuetudine, jam cerneret, hortatus est, ut meridiano tempore divinis lectionibus, & psalmis interessent: ita illum diem multo mundius, atque sincerius placere celebrandum. Et certe de multitudine convenientium facile posse apparere, qui mentem, & qui ventrem sequerentur. Ita lectis omnibus sermo terminatus est. Pomeridiano autem die major, quam ante meridiem adfuit multitudo, eisque ad horam, qua Presbyter

Augu-

Augustinus cum Episcopo egrederetur, legebatur alternatim, & psallebatur: ipsisque egressis duo psalmi lecti sunt. Deinde Augustinum invitum, qui jam cupiebat peractum esse tam periculosum diem, compulit Valerius, ut aliquid plebi loqueretur. Habuit brevem sermonem, quo gratias ageret Deo. Et quoniam in hæreticorum basilica audierat ab eis solita convivia celebrata, cum adhuc eo ipso tempore, quo a catholicis ista gerebantur, illi in poculis perdurarent, dixit, diei pulchritudinem noctis comparatione decorari, & colorem candidum nigri vicinitate esse gratiorem; ita suum spiritalis celebrationis conventum minus fortasse futurum fuisse jocundum, nisi ex alia parte carnalis ingurgitatio conferretur: hortatusque est, ut tales epulas instanter appeterent, si gustassent, quam suavis est Dominus. Atque in hanc sententiam pro tempore, cum ea, quæ Dominus suggerebat, dicta essent, acta sunt vespertina, quæ quotidie solebant: & Augustino recedente unacum Episcopo, fratres, forte monachi, eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque sexus ad obscuratum diem manente, atque psallente.

Hæ tres conciones in negotio tam difficili ad auditores minime faventes ex tempore dicti tam illustres mihi videntur, tamque efficaces, ut vix putem me alios magis admiratum esse, quos vel apud Principes concionatorum legi. Quid enim hic deest ex officiis summi oratoris! quam solida, efficaciaque sunt argumenta! quam intimi, accomodatique affectus! quæ denique prudentia, quæ peritia conciliandi animos elucent! Quid si sermones ipsi, ut habiti sunt, scripti ad nos pervenissent?

His porro consideratis recte dixerim cum Caussino *: *Scholasticis fortasse innutriti verborum deliciis haud*

* *L.* 15. *de Eloquentia sacra, & humana, ante medium.*

haud existimarint disertum (Auguftinum) *fed nefciunt, ubi fit illud, quod quærimus, decus eloquentiæ. Ego vero miror hominem in differendo fubtilem, in certando invictum, in exhortando acrem, & fibi inftantem, in perfuadendo, quod est colophon oratoris, efficaciffimum, qui mihi in eo videtur eloquentiffimus, quod eloquentiam, qua beatiffimum ejus pectus erat oppletum, minime profiteri videatur.* Nunc quanta per omnes ætates fummorum virorum de eloquentia Auguftini exiftimatio, ac fententia effet, dicamus.

S. HIERONYMUS *L. III. Dialogor. contr. Pelagian. c. 6.* Auguftinum *virum fanctum, & eloquentem* dicit. Additque rationem, cur fcribere nollet de argumento, quod Auguftinus jam tractaffet: *Superfedendum huic labori cenfeo, ne dicatur mihi illud Horatii:* IN SYLVAM NE LIGNA FERAS. *Aut enim eadem diceremus ex fuperfluo, aut fi nova voluerimus dicere, a clariffimo ingenio occupata funt meliora.* Iterum *Epift. 94. nunc* 134. Auguftini libellos fuo nomini dedicatos *eruditiffimos, & omni eloquentiæ fplendore fulgentes* appellat &c.

S. PAULINUS *Epift. 36. nunc* 32. *ad Romanianum,* Auguftinum propter efficaciam commovendi, ac perfuadendi *Domini tubam* dixit.

S. POSSIDIUS Auguftini per tot annos convictor, & intimus cognitor *Epift. ad Macedonium* præter alia illum propter gefta fcriptaque fua vocat *Patrem Patrum, Doctorem Doctorum:* & denique poft alia concludens, *fi cuncta*, ait, *corporis membra verterentur in linguas, adhuc non effem fufficiens ad laudandum tantum Patrem, & Doctorem.*

NEBRIDIUS & ipfe fancti difcipulus, ac familiaris *Epift. inter Auguftinianas* 71. *nunc* 6. *Epiftolas tuas*, inquit, *perplacet ita fervare, ut oculos meos; funt enim magnæ non quantitate, fed rebus, & magnarum rerum magnas continent probationes. Illæ mihi*

Chri-

Chriſtum, illæ Platonem, illæ Plotinum ſonabunt *. *Erunt igitur mihi & ad audiendum propter eloquentiam dulces, & ad legendum propter brevitatem faciles, & ad intelligendum propter ſapientiam ſalubres.*

MACEDONIUS *Africæ Vicarius Epiſt.* 51. *nunc* 154. in ſcriptis ejus, ait, miro modo affici ſe ſapientia ejus, tanto acumini, ſcientiæ, & ſanctitati conjuncta. Dein iſta ſubdit: *Ita mihi Deus propitius ſit, ut ego anceps ſum, quid in illis magis mirer ſacerdotii perfectionem, Philoſophiæ dogmata, hiſtoriæ plenam notitiam, an facundiæ plenam jucunditatem, quæ ita imperitos etiam illicere poteſt, ut donec explicent* (i. e. legendo abſolvant) *non deſiſtant, & cum explicaverint, adhuc requirant.*

DARIUS COMES *Epiſt.* 263. *nunc* 230. nequit explicare ſatis ingens deſiderium eundem concionantem audiendi. Digna ſunt verba, quæ legantur, verum longiora, quam ut huc tranſcribi poſſint.

S. PROSPER *in chronico ad annum* 395. vocat *virum multa facundia, doctrinaque excellentem.* Et *Libr. contra Collatorem cap.* 1. ut oſtenderet, quantum voce & ſtylo contra hæreticos, Pelagianos præſertim, valeret, *Viginti*, inquit, *& eo amplius anni ſunt, quod contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vincit.* Similia habet æque gravia *Carmine de Ingratis.*

JULIANUS POMOERIUS *Libr.* 3. *de Vita contempl. cap.* 31. Auguſtinum *acrem ingenio, ſuavem eloquio* appellat.

VICTOR VITENSIS *L.* 1. *de Perſecut. Wandalic.* Auguſtinum dicit *flumen eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Eccleſiæ decurrens, dulcedinem ſuavitatis dulcius propinatam fudit.*

* Quo ſuavitatem Sancti Doctoris vult ſignificare.

Cassiodorus *cap.* 1. *de Instit. div. lection.* vocat *disertum, atque cautissimum disputatorem.* In *Prologo* autem *super Psalmos, Doctorem eximium, literarum omnium Magistrum, qui tanquam fons purissimus de nullu fæce pollutus decurreret.*

Facundus Hermianensis *Libr.* 9. *de trib. capitul. c. ult.* Augustinum vocat *præcipuum fidei catholicæ prædicatorem, virum apostolicum, & adamantinum, in quo omnes oblocutorum dentes frangantur.*

S. Gregorius Magnus *Libr.* 10. *Epist.* 37. *Si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.*

S. Prudentius Trecensis *Epistol. ad Hincmarum, & Pardulam cap.* 1. *Nullus Doctorum*, ait, *abstrusa earum* (Scripturarum) *scrupulosius rimatus est, diligentius exquisivit, verius invenit, veracius protulit, luculentius enodavit, fidelius tenuit, robustius defendit, essusius disseminavit.*

Hincmarus Rhemensis *Libr. de Prædest. cap.* 11. Augustinum nominat *gratiæ cælestis oratorem.*

B Petrus Damiani *Serm. de S. Stephano* Augustinum vocat *Linguam Ecclesiæ.*

Odo Cameracensis dum forte libros Augustini de libero arbitrio coëmisset, quod mundanæ sapientiæ deditus magis delectaretur lectione Platonis, quam Augustini, in scrinii angulum projecit. Cum vero post Boëtium *de consolatione Philosophiæ* discipulis prælegeret, devenissetque ad librum quartum, qui est de libero arbitrio, recordatus empti libri, lectoque ejus initio convocatis scholaribus suis affirmavit: *Vere hactenus ignoravi Augustinum tantæ, tamque delectabilis fuisse facundiæ.* Perlegendo dein tertium librum in virum alterum mutatus, scholas paulatim deseruit, Ecclesiam frequentavit, ac demum toti mundo nuntium remisit. Ita

refert

refert Herimanus Tornacensis Monachus *in Spicilegio Dacherlano Tom.* 12.

S. BERNARDUS *Serm.* 80. *in Cantic.* Augustinum vocat *validissimum malleum hæreticorum*, quo scilicet ob vim, & efficaciam contusi omnes, & obtriti fuerunt.

MARTINUS V. PAPA *in Serm. de Translat. S. Monicæ*: Quicunque, ait, de Christo, de Fide, de Religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil pene ex sacris libris possit nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum, ut nec Philosophis sapientiam invideamus, nec oratorum eloquentiam desideremus &c.

S. THOMAS VILLANOVANUS *Conc. III. de D. Augustin. Quis ita*, exclamat, *excelluit ingenio? quis ita valuit facundia? quis humanarum, divinarumque rerum sapientia sic effulsit? quis tot, tantisque voluminibus Dei Ecclesiam illustravit?*

Quod si quis hic nomini, gratiæve, certe doctrinæ Augustini datum aliquid existimat, age, inimicos, qui certe assentari minime voluerunt, eloquentiæ ejus judices constituamus. Hos inter NECTARIUS vir paganus * Augustinum *instructum omnibus disciplinis virum* appellat. SECUNDINUS Manichæus **, contra quem pugnavit Sanctus Doctor: *Hæc scripta*, inquit, *cum suspenso animo, agilique oculo iterum, iterumque repetissem, summum inveni ubique oratorem, & Deum pene totius eloquentiæ.* Et infra: *Ego namque fateor non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia.* Alius hæreticus Donatista, CRESCONIUS Grammaticus ***, audet eo nomi-

* *Epist.* 201. *nunc* 90. inter Augustinianas.
** *Epist. præfixa Libr. contra eundem Tom. VI. antiq.* nunc 8vo.
*** *Libr. I. contra Cresconium* sæpe.

nomine Augustinum vocare in invidiam, quod nimis eloquentia valeret, tantumque ad populum sermonibus posset. LONGINIANUS Philosophus Ethnicus *Epistol.* 21. *nunc.* 234. sancta scripta ejus vocat *jam non melle, sed nectare dulciora.* De MAXIMO MADAURENSI gentili pariter Philosopho aptius infra dicetur. De DONATISTIS autem, sed & *aliis* notum est, acumen eos, & stringentes Augustini figuras adeo pertimuisse, ut disputare cum eo hac de causa omnes recusarent, quin affirmate edicerent, hominis eloquentiam, & dialecticen sectatoribus suis omni ratione fugiendam. Itaque, ut ex fine *Epistol.* 168. *nunc* 34. habemus, coactus est aliquando, uti eos ad disputandum cum alio Præsule, liberalium artium imperito invitaret. Taceo jam heterodoxorum posteriorum judicia, nihil dico hæresiarchas complures, qui Augustinum efferre super omnia non contenti, sententias quoque ejus, & stylum adeo, ubi poterant, imitari studuerunt. Illud omittere nequaquam possum, ipsum PETRUM BAILEUM, ducem illum incredulorum, atque Evangelii naturæ scitissimum præconem, quando in *Lexico* suo ad Augustini nomen devenit, hærere, & de perspicacia, subtilitate, & acie ingenii, quæ passim ex scriptis ejus elucerent, cum stupore quodam commemorare. Quid jam habent græculi hujus ætatis, quod oratori nostro succensent tantopere? nempe causa ceciderunt, & suffragiorum numero tantum non obrutos fateri se debent. Eant itaque, rideant, aut indignentur etiam, ubi Augustinum *Magnum*, *eloquentem* &c. nominari audiunt: dicant, quod nuper Protestans quidam Caracciolii interpres fecit, calamum Augustini non aureum, sed plumbeum potius dicendum, & hac ætate a strenuo aliquo Concionatore plus subin soliditatis, quam a Doctore isto posse expectari. Miseret me horum ob summam levitatem, atque judicii inopiam, tantum

tum abest, ut assensum præbere iis possim. Cogito enim mecum, quod acerrimus Criticorum Claudius Fleuryus *Dissertat. in prima 6. Sæcula §. 15.* præclare advertit. *Qui hunc Sanctum Patrem*, inquit, *non miratur, non ejus laudi, sed suæ existimationi detrahit, ut qui ignorantiam scilicet suam prodat, & veræ scientiæ nihil habere se confiteatur.* Hoc Apophtegmate concludamus, atque ad alterum caput, Augustini characterem, transeamus, ubi multo etiam magis patebit, quam insignis injuria Sancto Doctori ab iis fiat, qui ex numero disertorum expunctum illum volunt.

CAPUT II.

Quod ejusdem discerniculum?

Character Augustini facillime dignoscitur; talis enim est, ut, quod Maurini *Præfat. in Tomum V.* monent, illum vix quisquam imitatione assequatur. Et certe Hieronymus in oriente degens, cum nomen appositum non esset, cognovit illico stylum ejus, & notas ita discrevit, ut ne dubitaret quidem, cujus scriptio esset, quod *Epist.* inter Augustinianas *nunc* 68. *alias* 13. ipse testatur. Porro eloquentiam Augustini neque sincerius, neque felicius quisquam descripsit Sixto Senensi in *Bibliotheca Sancta.* Ait enim, ut sana est, & amœna crisi: „ Dicendi modus in prædictis omnibus operibus eundem semper & ubique resipit auctorem. In *Libris* tamen magis, quam in *Tractatibus* * est eruditus, acutus, ac sublimium rerum subtilitate usque adeo reconditus, ut Hieronymus in Epistola quadam non vereatur eum obscurissimumScripturarum ex- „ po-

* Puta Sermonibus; sic enim vocari tum solebant.

„ positorem appellare *. Quæstionum præterea, „ disputationum, argumentationum, ratiocinatio- „ num locupletissima copia abundat, & super om- „ nes Ecclesiasticos Scriptores divinæ Scripturæ te- „ stimoniis, & sententiis profluit instar magni flu- „ minis hyberna nive exundantis. In Tractatibus „ est stylus aliquanto parcior, & apertior, magis- „ que accommodatus ad allegoricas, & morales „ explanationes, in quibus Augustinus propter au- „ res imperitæ multitudinis se usque ad barbaris- „ mum demittit, illud frequenter dictum in ore „ habens: *Malo, ut me reprehendant Grammatici, „ quam non intelligant populi* &c. „ Et iterum multo pressius. „ Orationis ejus, & dictionis genus fœ- „ cundissimum, & exuberantissimum est, ditissima „ & copiosissima, ne dicam nimia, diversarum re- „ rum affluentia redundans, & periodis in longum „ productis, mistim & indiscriminatim quamplu- „ rima secum volvens, ac rapiens, digressionibus, „ excursibus, & ambagibus vagabundum, quod „ ingeniosum, attentum, memorem, & patien- „ tem requirat lectorem **: quem, ne multilo- „ quii tædio fastidiat, Punicis quibusdam argutiis „ recreare solet, ludens sæpissime in similiter pro- „ gredientibus, & similiter cadentibus sententiis, „ aliis-

* Verum id Hieronymus nominatim de *Commentariis in Psalmos*, non vero de libris intellexit. Qua in re Sixtum attentio nonnihil destituit. Cassiodorus *de Instit. divin. Liter. c.* 22. etsi in quibusdam nimiam difficultatem fatetur, in aliis tamen planissimum dicit, & a parvulis quoque intelligendum.

** Oritur redundantia hæc cum ex omnigena eruditione, felicique memoria, quæ semel lecta in promptu ubique habebat, tum ex subtili ingenio, nova identidem suggerente. quæ duo cum copiam efficiant singularem, lima tamen, & ordine quam maxime opus habent, nisi quis malit aliqua abjicere, quæ veniunt in mentem. Vide Erasmum *Tom. III. Hieronymi pag.* 157. *in Scholiis.*

„ aliisque non injucundis Rhetorum figuris, quæ „ longum, & implicitum prolixæ lectionis iter „ emolliant. „ Atque in ea re ejusdem cum Sixto ſententiæ Eraſmus fuit. Ait enim in *Præfat.* ad opera: *Habet Auguſtinus ſuum quoddam dicendi genus, argutum, & periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem, & familiarem & acutum, & attentum & bene memorem requirit, denique tædii laborisque patientem, quales non ita multos reperias.* Et Libr. 2. *Eccleſiaſtis*, ſeu de concionandi ratione: *Auguſtinus in hoc genere extemporali* (concionum) *felix eſt, & argutus. Quod autem dulcior eſt, quam gravior, quod numeris, ac ſimiliter desinentibus gaudet, quodque digreſſionibus moratur auditorum animos, ſuæ gentis ingenio tribuit vir pius, & humanus.* Item *Antibarbaror. Libr.* 1. Aurelium Auguſtinum, ait, acute quidem, ſed obſcure ac perplexe, & ſuo quodam more dicere: & huic tamen eſſe ſuam gratiam ob ſchemata, quæ frequenter affectaret.

Equidem non pauci imitari Auguſtinum hac in parte voluerunt, ingenioſi videlicet concionatores, de quibus idem fere dicas, quod Quintilianus *Libr. X. Inſtit. Orat. cap.* 1. *ad finem* de imitatoribus Senecæ. „ Amabant autem eum magis, quam imitabantur. . . . Foret enim optandum, pares aut ſaltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter ſola vitia, & ad ea ſe quisque dirigebat effingenda, quæ poterat: deinde cum ſe jactaret, eodem modo dicere, *Auguſtinum* infamabat. Cujus & multæ alioqui & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio. . . . Multæ in eo, claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda. . . . Multa probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt; eligere modo curæ ſit. „ Qui vero ſint imitatores vitiorum ejus, etſi optima men-

mente dici posset, non est tamen clarius dicendum; minus enim peccatum est, si Augustino vitia dicendi exprobres, quam illos significes frigide, & contra, quam oporteret, fuisse concionatos. Atque hæc (cum ea tamen, qua par est, tanti Doctoris reverentia) de vitiis quibusdam facundiæ Augustinianæ. Sed virtutes etiam spectandæ, & expendendæ sunt.

Ex his non meo solum, sed plurium aliorum judicio illa præcipua est, quod habet præsertim in sermonibus nescio quid familiare, alliciens, honestate, pietate, modestia conditum, simplex item, quodque scintillis ingenii promicantibus excitat, ac tenet, ut videas pastorem ad oviculas, præceptorem ad discipulos, aut parentem potius ad liberos imparatum, & sine studio ad genium populi & ætatis suæ sermocinari.

Altera dos Augustini est continuatio quædam, & perpetuitas argumenti, quod semel assumpsit. Ut ipsiusmet fere verbis *Libr.* 4. *de Doctr. christ. c.* 10. utar, rem quam semel explicare, & persuadere cupit, versat multiplici varietate dicendi; quæ sane tanta in eo est, ut cessare ante non possit, quam & lectori, & quod haud paulo difficilius, sibi ipsi faciat satis. Notum est & illud S. Sidonii Apollinaris *Lib.* 4. *Epist.* 3. Adstruit ut Augustinus. Quoties enim cum adversario agit, etsi sit mansuetudine, & moderatione incredibili, tamen argumentis ita instat, & urget, & propellit & stringit, ut parta jam victoria vel jacentem vix dimittere possit. Cardinalis Federicus Borromæus ecclesiasticæ facundiæ intimus cognitor *Libr.* 5. *de sacris Oratoribus* hoc ipsum in Augustino egregie notavit. *Non ille*, inquit, *peragit rem unico argumento*, *sed congerit plurima semper*, *nec una contentus victoria vincere sæpius amat*, *vultque ducere victos in triumphum.* Hanc ipsam vim ineluctabilem pul-

cre etiam Claudianus Mamertus * expressit, quando Augustinum *veluti quemdam Chrysippum* vocat *argumentandi virtute.* Et S. Prosper *Carmine de Ingratis cap.* 3.

Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab incursu est præventus; mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.

Brevius ** *Libr. contra Collatorem cap.* 1. ait: *Pugnat, & vincit: vincit dico; quia non patitur respirare, quos vincit.* Hæc dos illi præ aliis Patribus maxime propria, quæ passim elucet, & cujus exempla plurima infra recurrent. Hanc admirari sapientes omnes debent, hanc ubique Scriptores extollunt, hæc Augustinum facit. Recte igitur paulo ante laudatus Cardinalis concludit: *Fuere qui dicerent, nusquam esse sui similem Augustinum, nisi, ubi cum adversariis altercaretur. ibid.* Et risus mihi plane excussus est, ubi *** legi, Maximum Madaurensem Paganum rogasse ab eo, ut *remoto facundiæ robore, atque exploso, qua cunctis clarus esset, omissis etiam, quibus pugnare solebat, Chrysippæis argumentis, posthabita paululum Dialectica, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur*, secum disputaret. Hæc enim confessio quam optime rem propositam declarat, & jucundissimum est audire, quam timerent eum hostes, qui non nisi cum nudo, & arma ponente congredi audebant.

Hanc porro dotem Augustinus non in communioribus tantum argumentis præfert, verum & in diffi-

* *Libr. 2. de statu. anim. c. 9.*
** Etsi non eodem prorsus sensu.
*** *Epistola 43. Augustini, nunc 16.*

difficillimis quibusque, ac subtilissimis. Est autem probe notandum, quod de eo Erasmus *Loc. jam citato* scribit: *Difficultatibus quæstionum alebatur . . . nec ullis materiis lubentius indulsit, quam quæ subtilitate torquerent, nec conquiescebat, donec nodos omnes explicuisset.* Sed & illustrissimus scriptor Daniel Huetius * Episcopo cuidam Anglo, qui Augustini calamum haud obscure aspernabatur, verissime respondit: *In quamcunque materiam incubuerit, eam totam complectitur, in eam penetrat undique, ejus omnes partes insigni artificio aperit, & enodat.* Principia enim primo constituit certa ea, ac solida, dein comportatis undique ingentibus saxis, omnisque generis materia ædificium molitur non ad splendorem magis, atque elegantiam quam firmitatem. Quod tum non sine admiratione legentium apparet, cum ex his, quæ dixi, principiis tot, tanta, tamque inexpectata consectaria eruit, ac veluti aliud egisset, jam hanc, jam illam molem superstructam ob oculos proponit.

Volebam jam & ad ceteras Augustini scribentis dotes gradum facere. Sed quid agam? Ut splendidum omnes dicunt, & singularem, de nulla tamen dote alia sciunt commemorare, quin simul illi hanc, quam dixi, præcipuam non tam adjungant, quam cum ea permisceant. Itaque quidquid deinceps adderem, repetere, quæ ante dixi, videri possim. Duorum tamen sententias comittere haud possum, ut prætereram. Prima est Francisci Riberæ nostri, in Patribus versatissimi viri, qui de interpretationibus Augustini mentione facta **: *Augustinus*, inquit, *ingenii mirabili acumine & facilitate res subtiles, & abstrusas explicandi, in omnibus*

* *Huetiana* de Monsieur de Soissons, & d'Auranches §. 10.

** *Proœmio in Malachiam* §. 11.

bus præstans sive se ad historiam vertat, sive ad allegoriam, ut scriba doctus in regno cælorum profert de thesauro suo nova, & vetera, eruditione in admirationem excitat legentem, subtilitate erigit, & oscitare non sinit, eloquentiæ suavitate demulcet, argumentis validis movet, & vehementer stimulat ad pietatem.

Altera est Viri doctissimi Joannis Christophorsoni Episcopi Cicestrensis *, qui Augustini characterem ita depingit. „ Certe nemo unquam vel „ in dimicatione suscepta cum hæreticis nervosior, „ vel ad eorum argutias eliciendas, quibus oculos simplicium perstringunt, perspicacior. Cum „ eos feriat, ictus non resilit irritus, cum telum „ in illum sit conjectum, facile repellit, & non „ raro in adversariorum caput retorquet. Nonnunquam ita fulminat, ut eos instar tonantis „ Jovis perterrefaciat, aliquando eminus, tanquam hastis prolixioris, & longius perpetuatæ „ orationis, sæpe cominus quasi gladiis spinosæ, „ & acutæ in disceptando subtilitatis dimicat. Quis „ quæso videtur, cum in mysteriorum aditis aperiendis versatur? quam admirabilis, cum allegorias scriptis persequitur? quam argutus in subtilium quæstionum solutionibus? quam in Scripturis explicandis divinus? quam disertus in omnibus? quam in nulla re inconcinnus? Loquitur, ut vult, exprimit, quæ vult: sententiis „ refertus maximis, quas brevibus numeris, sub „ aurium mensuram apte cadentibus, artificiose devincit. De cujus eloquentia satis ornate dicere, „ eloquentia opus est vel maxima. „

Sed neque illud in charactere Augustini excidere nobis debet, quod mirabilem passim lenitatem, modestiamque præfert in scriptis suis. Nam

 &

* *Præfatione in Historiam Ecclesiasticam Eusebii &c.* quam in latinum convertit.

& adversarios longe mitius habet, quam ceteri, nihilque dat affectibus; sed apparet adeo ex ipsis verbis, eum caussæ solum, non hominibus esse inimicum, utut maxime stylum ejus illi provocassent. Ex quo sane vis magna exsurgat necesse est; nam eo plura obtinet ab animis ante peccatis, cum nihil astute dici, nihil hostiliter geri ab illo vident. Qua parte nulli alteri imitabilis est Augustinus; quod simili stylo scribere is demum solus possit, qui eadem viscera habeat. Ex visceribus enim hæc enascuntur potius, quam ingenio expromuntur, quemadmodum in viro hoc sanctissimo factum, qui omnia ex amore veritatis, & abundantia charitatis suscipiebat.

Huic doti affinis est dulcedo, & suaviloquentia illa Ecclesiastica jam affectu aliquo per sententiam prolato, jam verbis Scripturæ condensatis, jam alia mira simplicitate se effundens. Ex quo iterum unctio admirabilis existit, qua ejus opera, saltem quæ subtilitatem & certamina non habent, resperla ubique sunt. Maxime autem id tum contingit, quando de *vita sua ante acta*, de *contemptu rerum terrenarum*, de *cura animæ*, de *amore Dei*, de *cælestibus gaudiis* sermonem habet. Advertit eam præ aliis sanctus Paulinus, & prædicavit pluribus locis: neque id mirum cuiquam, qui vitam utriusque, & intimam pietatem novit. Certe alter alterum imitatus videtur; tam sunt similes in hoc genere, ne dicam æquales. Eandem unctionem velut ex instituso Severus Episcopus Milevitanus celebravit *; ait enim, ne verba ipsa paululum involuta, & longiora afferamus, reperire se ibi veluti favos quosdam constitutos, plenos nectare,

* *Epist.* 37. *apud Augustinum nunc* 109. Cui ex Recentioribus adde S. Thomam Villanovanum *Conc. II.de divo Augustino;* fuse enim, & eleganter versatur in hoc argumento.

ctare, misericordiamque, & veritatem manantes, quorum vitali pastu delicietur animus, & confirmetur. Benedicit inde Deum, a quo solo dotem eam haberet, & qui ad illustrandos, & rapiendos lectores ore ejus veluti instrumento uteretur. Sed Erasmo quoque *Ecclesiastis Libro I. Augustinus blandus, & hærens* dicitur. Similia & apud Recentiores invenire est, quorum tamen nolim locos congerere, ne excrescat oratio in ea ipsa re, quam facilius quisque per se sentiat, quam percipiat ab aliis.

Ludovicus Antonius Muratorius * & illud in Augustino solicite notari vult, quod valde popularis esset, & miro modo se ad plebeculæ sensa demittere sciret. „ Porro divum Augustinum, in-„ quit, facile advertimus, id præcipue curasse, „ uti sermonem haberet, quam maxime captui „ quorumcunque accomodatum. Seu data, seu „ accepta occasione diceret pro concione, nun-„ quam non deprehendas familiari ad populum di-„ ctione usum, doctrinas, & sensa ad considerandum „ proposita non implicuisse longioribus pe-„ riodis, delectatum stylo conciso, cui interrogatio-„ nes, & lumina alia orationis a quotidiano ser-„ mone non abhorrentia immiscebat. Ac tum quo-„ que, cum ab argumento digreditur, causam „ non deserit, in id perpetuo intentus, ut audi-„ torum animos quam largiter, & copiose erudi-„ ret. Equidem viri tanti ingenium passim osten-„ dit, Africanis hominibus, præcipue vero sibi, sat „ perspicaciæ, atque acuminis fuisse. Ceterum non „ labore, non vexatione aliqua ea dictionis industria „ parabatur, sed nec ad materiam obscurandam „ faciebat, quin usque adeo serviebat involutis, si „ quæ se offerebant, explicandis, ut & sublimius „ ex-

* De *dignitate Eloquentiæ popularis cap.* 8.

„ excogitata ad infimorum hominum intelligen-
„ tiam pervenirent. „

Postquam autem tam multa de discerniculis styli Augustiniani dixi, & virtutes sic extuli, ut neque vitia tacerem, ad illam præcipuam dotem lectores revoco, quæ in argumentationibus ejus posita est, & auctor sum omnibus, uti in hac potissimum sanctum Doctorem imitari, atque exprimere adlaborent. Quo reipublicæ christianæ commodo fieret, si peccatorum excusationibus, & abusibus publicis persequendis ita oratione instaremus, uti Augustinus Ethnicos, hæreticos, schismaticos urgebat, ubi manus semel cum iis conseruisset. Sentit mecum Cardinalis Borromæus sæpe memoratus, dum *loco citato* ita loquitur: *Qui volent orationem in suggestum afferre vividam acrem, & robustam, valida nervorum compage, sequi debent Augustinum, cujus tanta excellentia est in eo genere, ut nesciam, an possit Græcia tale quid ostentare. Quam præclare,* pergit, *a nobis fieret, si robur, & impetus illos disputantis in hæreticos Augustini transferre conaremur in eos sermones, quibus hominum vitia, & injurias in Deum objurgamus!*

Idem Laurentius a Villavincentio monet *, cujus hæc verba sunt: *Si disputationes contra adversarios susceptas spectemus, sanctus Augustinus eam sibi methodum præstituit, & persequitur, quam nemo alius: & haud scio, an æquari ei quisquam mereatur. Equidem confirmare non vereor, in disputationibus Augustinum sine controversia unum esse, cujus civilitatem, modestiam, candorem, in oratione acumen, in argumentationibus gravitatem, & pondus in rebus omnibus omnes optimo jure sibi proponant imitandum.*

Sapientissime ista, & quam maxime ad usum nostrum, modo persuadere quam plurimos possemus,

* *Lib. IV. de Ratione studii Theologici cap. 5. observat.* 14.

mus, uti legiſſe admonitionem non contenti mallent rei periculum per ſe ipſi facere, quam fidem nobis ſimpliciter adhibere.

Sed hæc de Auguſtini charactere plusquam ſatis ſunt. Quod ſi quis magis excuſatam ejus dicendi rationem videre vult, adeat Erasmum *Cenſura in Libros Retractationum*, *Confeſſionum*, *de Moribus* item *Eccleſiæ Catholicæ*, & *Manichæorum:* atque iterum *Præfatione ad Epiſtolas*. Cornelium Lancillotum in *Vita Libr.* 1. *c.* 8. Præfationem Maurinorum in Tomum V. Juvat apud eosdem *Caput* 6. *Libri IV.* vitæ legiſſe, ubi varia de ejus concionandi ratione, eaque utiliſſima percenſent. Tantum ergo abeſt, ut Auguſtinum eloquentibus accenſere ego dubitem, ut mallem plures, etiam eloquentiorum Patrum, quam unum mihi Auguſtinum deeſſe. Adeo nævos quosdam ſermonis, etſi demus non minimos eſſe, pluribus iisque ſummis dotibus obruit, & abunde compenſat. Plus dico, & ejusmodi aliquid, quod cuperem ab omnibus notari, unica ſæpe viri ſententia velut gemma quædam plus apud me valet, quam integra moderni cujusdam licet cultiſſima oratio; tantum in ea ingenii, ſapientiæ ac ſupernæ dulcedinis reſplendet. Et video, ſæculares quoque, nec illiteratos homines, ubi talem audierunt aliquando, vel legerunt, excitari ab ea mirum in modum, repetere data occaſione etiam apud alios, atque ex animo tota vita non deponere.

CAPUT III.

Ubi eloquentem magis ſe Auguſtinus oſtenderit.

Univerſe notandum eſt, quod ornatum, & elegantiam attinet, juvenem fere melius multo ſcripſiſſe, quam virum, aut ſenem. Ratio eſt, quod inter tot negotia rebus ſemper magis, mi-

nus autem verbis vir sanctus attenderet. Accedit, quod, ut ajunt Maurini *, *in iis, quæ juvenes scribimus, pinguior incedat oratio, ac plenior eloquentiæ succo, plusque habeat vivacioris ingenii, quam ea, quæ torpente jam ætate meditamur. Id experimento constat in primis hisce libris, quos Rhetoricæ præceptis perfecte imbutus elimavit Augustinus, ante, pauloque post baptismum suum. Habent ergo plurimum momenti hæc opera, sive ingenium, & eloquentiam, sive doctrinam, ac pietatem spectes.*

Hoc generatim notato ad singularia descendamus. Ut vero in tanta scriptorum copia, & varietate ordine id fiat, partiamur omnia 1mo. in ea, quæ contra Infideles. 2do. quæ contra *Hæreticos*. 3^tio^. quæ in sacras Literas. 4to. quæ promiscue præsertim ad mores, & eloquentiam Augustinus scripsit.

Inter ea, quæ sunt contra Infideles omnium judicio eminent Libri XXII *de Civitate Dei*, & Liber *de vera Religione*. In his enim non siccis, nudisque argumentis ille pugnat, sed ornatum sæpe, ac motum cum festivitate quadam, & facundia adhibet. Et prima quidem lucubratio, quam ipse Auctor *Libr.* 2. *Retractationum* OPUS GRANDE appellat, perenne erit ejus ingenii, eruditionis, atque etiam eloquentiæ monumentum, cujus solius causa, si aliud nihil scripsisset, summis viris accensendus fuerat Augustinus. Certe ubi ars typographica ingenti Reipublicæ commodo inventa apud nos est, hi libri cum Institutionibus Lactantii omnium primi e prælo prodierunt. Quod quidem satis ostendit, quo loco apud literatos, & disertos homines semper illi fuissent. Leonardus Coquæus vir magnæ eruditionis, ac doctrinæ putat, post scripturas Canonicas primum his libris locum

* *Præfat. in Tomum I.*

cum deferendum. Erasmus in *Præfatione ad eosdem* vocat *eximium opus*. Ludovicus Vives *ad Henricum VIII.* ait, Augustinum in hoc opus optimam eorum partem, quæ apud veteres legerat auctores, tanquam in thesaurum conjecisse, nempe cum hominibus acutissimis, summa præditis & eloquentia & doctrina disputaturum. Quo factum sit, ut aliud agens magis, optimarum rerum servaret reliquias, domiciliis earum, & quasi sedibus, unde prius peti solebant, eversis. Cornelius Lancillotus eodem loco, quem supra citavimus, hos præcipue libros testes vult cognitionis omnium artium, & nominatim facultatis dicendi. „ Quod, „ inquit, cum aliis a sese libris compositis, tum „ iis maxime, qui de Civitate Dei sunt inscripti, „ luculenter testatur; in quibus germanissima vis „ artis Oratoriæ, Poëticæ, Philosophicæ, tum „ etiam Historicæ, & cujusvis alterius facultatis „ quasi succus quidam continetur. Quod si res „ ab eo pertractatas inspexerimus, si notitiam antiquitatis, si dicendi modum, si decorum, in „ quo consistunt omnia, vel cum primis oratoribus audebimus eum conferre. Quantus est in „ verbis ejus splendor! quam apposita propria! „ quam venustæ translationes! quam similia rebus „ accomoda! quam insignes allegoriæ! quam denique numeris omnibus oratio expolita!„

Taceo aliorum laudes, qui cum Petrarcha * omnes mirantur, *quod Civitatis Dei muros tanta arte construeret.* Editor Maurinus, qui & veterum de iis æstimationem affert, in *Præfatione* ait: „ Maximi

* *Epist.* 4. *ad Boccatium.* Inter ceteros vero laudatores operis præcipue memorandi duo Acatholici Gaspar Barthius *Libr. XLVIII. Adversar. cap.* 4. & Jacobus Brukerus *Tom. III. Histor. Phil.* Ubi de Augustino non semel. Deinde etiam Ignat. Hyacinth. Amat de Graveson *Libr. II. Histor. Eccl. pag. mihi* 39.

„ ximi momenti opus maxima cura elaboravit pro
„ materiæ præstantia, & dignitate, proutque vi-
„ rum decebat, & summo ingenio præditum, &
„ omnium scientiarum genere ornatissimum. Nam
„ immane dictu est, quanta hic sit rerum varie-
„ tas, quam profusa eruditio, quam solers, &
„ exquisita ratio differendi. Quasi nihil strenuus
„ civitatis Dei vindex voluerit neque artis, & in-
„ dustriæ, neque eruditionis sive sacræ, sive pro-
„ fanæ desiderari his in libris, e quibus reipsa tan-
„ quam e penu refertissimo eruditi disputatores,
„ quicunque adversus impios divinæ religionis de-
„ fensionem posthac suscipient, opem, & copiam
„ sibi petendam putant. „

Librum de vera Religione, quem Catechumenus scripsit, vehementer jam Sanctus Paulinus * probavit. Et profecto tam clare in eo mysteria fidei explicat, ut veteranos doctores superet. *Certe liber de vera Religione*, ajunt Maurini **, *si quis alius, hoc elogium* (Paulini) *Augustino demerebatur. Etsi enim recens tum, cum eum scripsit, in veræ religionis partes perductus esset, nec alio, quam christiani Catholici nomine præditus, eo tamen sublimi modo christianæ religionis sacramenta exponit, oppositorumque dogmatum, imprimis Manichæorum, revellit fundamenta, ut jam tum absolutissimi doctoris, & strenuissimi Episcopi vices impleverit.* Sed longe splendidius est elogium, quod iidem *in Vita cap.* 3. *n.* 4. lucubrationi huic texuerunt. *Vix ulla est lucubrationum Augustini*, ajunt, *quæ ad illius incredibilis*

* *Epistola* olim 35. nunc 24. inter Augustinianas, ubi Libros duos *de Genesi contra Manichæos*, duos *de Moribus Ecclesiæ Cath.* & *de morib. Manichæor.* & unum *de vera Religione* ita mirari se atque suspicere dicit, ut *dictata divinibus* crederet; tam varia, tamque valida ibi sunt arma, quibus Manichæorum errores labefactat, atque evertit.

** In *admonitione ad hunc librum.*

bilis ingenii magnitudinem demonstrandam plus valeat. Nihil enim admiratione dignum, vel stupendum magis, quam hominem Religionis christianæ mysteriis recens imbutum, nec adhuc alio, quam fidelis nomine in Ecclesia decoratum de divina illa Religione tam eximie differere, & adeo egregiam illius dignitatis, ac excellentiæ imaginem depingere potuisse. Sed & Godefridus Hermant in *Vita Sancti Athanasii Libro* 12. *c.* 2. vocat *eximium librum*, imo ostendit exemplis, plures in eo sententias esse, illis omnino similes, quas Athanasius in *Tractatibus contra Gentiles* habet; etsi verisimile non sit ab Augustino lectos, adeoque conspirationem eam sublimi, solidoque ingenio ejus tribuendas.

Nunc ad ea, quæ *contra Hæreticos* Augustinus scripsit, convertamur. „ Quemadmodum in prælììs, ait Erasmus *, solet potissimum emicare „ virtus, & ardor militum, ducumque: ita divus „ Augustinus, cum nusquam non sit multis suspi„ ciendus nominibus, haud alibi tamen magis „ eluxit, quantum valuerit acumine ingenii, sub„ tilitate judicii, vehementia, copiaque differen„ di, quam in his libris, in quibus pro tranquil„ litate Domus Dei, quam unice diligebat, pugnat „ adversus hæreses: quas cum hoc odio majore „ prosequeretur, quo impensius amabat Christi „ sponsam Ecclesiam, tamen ubique singulari cha„ ritate laborat, ut homines sanet potius, quam „ perdat. „ In eandem fere sententiam Maurini *Præfat. in Tomum IX.* addentes illam ipsam rationem, quod hic scilicet vis, & acumen ingenii, doctrina, eruditio, Scripturarum peritia, eloquentia, prudentia, & dexteritas, ut in propio argumento, lumen suum explicent, dum urgentium adversariorum impetus omnes animi nervos ad eos debel-

* *Præfatiuncula in Tomum VI. Augustini.*

debellandos excitant, & proritant. Neque prætereundum, quod iidem *ibid.* jam ante monent: propter hæc scripta potissimum, præcipuum ac summum Ecclesiæ Doctorem haberi eum, ut in quibus cum hæreticorum antesignanis commissus, ita versatus sit, ut adhuc vivens in orbe celebraretur, atque a Catholicis, teste Hieronymo *, antiquæ fidei conditor agnitus, hæreticorum contra ea odia sibi conflaret, ut ad necem usque quæreretur.

Inter illa, quæ *adversum Manichæos* lucubravit, eminet opus insigne contra *Faustum XXXIII.* libris constans, & magis adhuc *Liber contra Secundinum Manichæum*; de quo volumine ipse *Libro* 2. *Retract. c.* 10. inquit: *Quod mea sententia omnibus, quæ adversus illam pestem scribere potui, facile præpono.* Conferantur hi cum aliis sive Græcorum, sive Latinorum libris contra eosdem hæreticos editis, & earum pretium statim apparebit.

Contra Arianos præcipui habentur *Libri duo contra Maximinum Episcopum*, quos Agatho Papa IN VI SYNODO GENERALI cum *præstantissimi* Doctoris appellatione merito commendavit. *Libri XV. de Trinitate*, quos deprimit Erasmus, tanto magis æstimati sunt ab aliis etiam antiquissimis, uti Cassiodoro **, & hodieque æstimantur. Græci vero ob notam operis præstantiam suæ genti vindicare voluerunt.

Contra Donatistas, uti jucundior, pressior, & strictior in argumentando, sic & in eloquendo cultior, ornatiorque mihi visus est in iis, quæ contra literas Petiliani, & earum defensoris Cresconii edidit. Hisque scriptis plus quam Imperatoriis legibus debetur, illam ipsam Civitatem Cirtensem, cujus Petilianus Episcopus fuit, fere totam ad Ecclesiæ sinum rediviſſe. *Liber III. contra Petilianum* præ-

* *Epist.* inter Augustinianas *nunc* 195. olim 25.
** *Libr. Institut. cap.* 16.

præcipue legendus, quem *ſane admirabilem* vocat, qui in *Tomum IX Maurinum* præfatus eſt. Generatim vero lector advertat, quomodo in graviſſima hac pugna hoſtibus præter doctrinam, lenitatem, & charitatem nihil opponat, dignus ſane, qui vinceret, atque ita vinceret, ut ex validiſſimo hæreticorum corpore, nonniſi ſemianime cadaver, & ex communi incendio non niſi favilla, & fumus relinqueretur.

Contra Pelagianos, præter *Libros ad Simplicianum*, quos, etſi ante ceteros editi eſſent, valde auctor commendat, præſtantius tamen nihil eſt *Libris VI.* prioris Refutationis *contra Julianum.* Hos ætate ſenex ſuperbo juveni oppoſuit, & ipſe *Libr.* 2. *Retract. c.* 62. laudavit, opus iſtud ſuum *tantum, tamque elaboratum* appellans. Et in prioribus quidem juxta plures Criticos Julianum, in ultimis ſeipſum ſuperavit. Cardinalis vero Noriſius *Libr.* 1. *Hiſtor. Pelag. cap.* 21. non dubitat dicere, Sanctum Doctorem, qui in ceteris a ſe adverſus Pelagianos editis libris mirabilis eſſet, in hoc opere pene divinum apparere. Et ſane hic nativa quædam facundia, gravis illa quidem, ſed perpetuæ eruditioni, & vi ineluctabili conjuncta elucet.

Tractatus inter & *Expoſitiones* (ſic enim Sermones in Scripturam ille appellat, qui a Notariis excepti ſunt omnes, ideoque minus eloquentes ſunt) eminent *Tractatus in Joannem.* Inter libros ipſos Biblicos *XII.* illi *de Geneſi ad literam* tantum excellunt, ut Caſſiodorus, idoneus ſane teſtis*, doctrinarum pene omnium decore veſtitos dicat: & quod mirum eſt, beatorum Baſilii, & Ambroſii Hexamero longe ſuperiores. De iiſdem Sixtus Senenſis ait: ** *In quibus Libris, quamquam ipſe fateatur plura a ſe quæſita, quam inventa, & ex inventis*

* *Loci citati capite* 1.
** *In Bibliotheca ſancta.*

ventis pauciora firmata, & tanquam diligentius perquirenda in medium relicta: tantum tamen est in eis artium, disciplinarum, ac scientiarum omnium thesaurus ut facile appareat, neque eruditius, neque sublimius in expositione horum trium capitum vel ante, vel post Augustini tempora prodiisse quidquam, neque deinceps futuris temporibus fortasse proditurum.

Enarrationes in Psalmos plerumque non admodum arridebunt; nec enim ita scripti, sed dicti sunt. Obscura præterea haud pauca, & allegorica habent. Quare optime facturus est, qui loco ingentis ejus tomi leget *Cassiodorum in Psalmos.* Hic enim velut Augustini compendium quoddam est sane præclarum.

De universa Sermonum turba eleganter doctissimus Thomassinus *de Vet. & nov. Eccles. discipl. Part. II. L.* 3. *c.* 89. qui cum unum adduxisset, ad quem nec præmeditatus accesserat, istuc subdit: *Hujus Augustini Concionis ab imparato tunc effusæ perquam simillimæ sunt ceteræ ejus omnes præter paucissimas, quæ sua brevitate, stylo pressiore se ipsæ clamant, accuratiore calamo, & diligentia non pœnitenda conscriptas fuisse.*

Inter promiscua ponimus *Epistolas*, *fidei*, *vitæque ac dicendi regulas.* Et *Epistolas* quidem si non primo loco, certe ante pleraque alia, legi a Concionatore velim. Et quam ob rem ain'? Ut nihil de eo dicam, quam alte viri sanctissimi imaginem, & mores admirandos imprimant animo, quod præclare, fuseque Erasmus in *Præfatione* explicat, pro omni conditione etiam summorum hominum * faciunt, & gravissimis de rebus agunt, plenæ utilissimorum documentorum. Accedit, quod, cum eas

* Legantur præcipue 185. & 220. novæ Editionis, olim 50. & 70. *ad Bonifacium comitem:* item 153. & 155. novæ Editionis, olim 54. 52. *ad Macedonium*, *Africæ Vicarium.* Eximiæ enim sunt, atque **in hoc genere ab omnibus in pretio habentur.**

eas magnam partem ſcripſerit, non dictarit, multo etiam terſiores ſunt, & diligentius ceteris libris exaratæ habentur. Dein, quod item Eraſmus *Præfat. in Libros de Civit.* notavit, *complures ſcripſit adhuc juvenis, & ob id magis etiam redolent eloquentiæ ſtudium.*

Ex iis, quæ *Fidei, & vitæ regulas* ſpectant, eminet *Enchiridion*, quod doctrinam de fide, ſpe, & charitate exhibet. Hoc Maurini *Præfat. in Tom. VI.* vocant *opus vere aureum, nocturna, & diurna manu verſandum;* quod quam breve, tam grande mihi elogium eſt. Porro *Libri Confeſſionum* admirabilem habent unctionem, atque intime in animos ſe inſinuant. Ipſe Auguſtinus *L. 2. Retract. cap. 6.* ait: *Confeſſionum mearum Libri XIII. & de malis & de bonis meis Deum laudant, juſtum, & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum, & affectum.* Hoc, ut addit, in ipſo egerunt cum ſcriberet & legeret: hoc agunt in aliis omnibus, quotquot vel obiter in manus ſumunt, atque evolvunt. S. Saleſius harum rerum æquiſſimus æſtimator *L. 1. Epiſt.* 34. ſummam omnium utilitatem iſtis confeſſionibus tribuit. Quæ gratia haud dubie eſt in hodiernum diem inauditæ demiſſioni repenſa, qua Vir ſummus vitæ prioris labes deflere non contentus, toti orbi publicare conſtituit, atque earum memoriam ad poſteros etiam transmittere.

Ad *Eloquentiam* propius faciunt Libri celebres *De doctrina Chriſtiana*, præſertim IVtus. In hoc enim, quemadmodum ante converſionem docendæ profanæ Rhetoricæ juvenis operam dedit, nunc Epiſcopus, Senex, tantæque vir experientiæ in id incumbit, ut chriſtianos prædicatores informet. Veteranus Orator Rollinus, cui quam plurimum ego tribuo, *præclaram tractationem, nec eloquentiæ Magiſtris ſat commendandam* vocat. Sed & ipſa res,

res, & omnium, quotquot de arte dicendi scripserunt, præceptiones inde sumptæ per se satis ejus libri pretium, atque utilitatem demonstrant.

Quæret jam aliquis, quinam ergo librorum Augustini a stylo ipso, & elegantia dictionis laudem præ ceteris, & commendationem habeant? Ut vel hac quoque in causa Lectoribus fiat satis, fidenter ita pronuntio; Elegantissimi omnium sunt *Libri duo de Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, & *de Moribus Manichæorum. Libri de ordine*, & *Liber de bono Viduitatis*.

In Libris enim de *Moribus Ecclesiæ*, & *Manichæorum* stylum plane limavit, ac alius omnino, totusque a se diversus Augustinus comparet. Erasmus elegantiarum curiosissimus arbiter sic de illis in *Præfat.* loquitur: „ Mox ut nomen dederat „ Imperatori Christo, quo commilitonibus suis „ certissimam fidem faceret, se bona fide a Manichæis transfugisse, sub quorum signis novem annis militaverat, prodit illorum mysteria, idque „ facit admirabili sermonis elegantia, qua utinam „ illi licuisset in ceteris uti lucubrationibus. Hoc „ sane opere declaravit, si quid offendit eruditos „ in ipsius dictione, non fuisse inscitiæ, sed charitatis, qua stylum demisit ad imperitorum intelligentiam &c. „

Liber de ordine ex eadem ratione plurimum placere debet; latinitatem enim præfert & leporem nescio quem, ab Afro minime quærendum, præsertim ea ætate. Ipse etiam Erasmus accuratiore stylo elaboratum admonuit.

Liber de bono Viduitatis ejusmodi est, ut elegantissimo cuivis scriptori supponi posset. Miram enim habet dictionis facilitatem, & candorem; qua de causa & hic Erasmo vehementer placuit. Verum in hoc sentire cum illo minime possumus, quod Auctori *Epistolæ ad Demetriadem* tribuere eum

eum velle videtur. Cur enim id facit Erasmus? Propter ipsum illum verborum nitorem, modumque scriptionis; neque enim diffitetur. Sed si ita est, superiores quoque illos, imo & *Libros de Civitate*, pluresque alios abjudicare Augustino debet, ut ceteris multo elegantiores. Sileo ceteras rationes, quibus refellitur manifeste ea opinio, & quas Maurini in *Admonitione* opusculo huic præfixa adduxerunt.

Hæc de Eloquentia, & præcipuis Augustini Libris. Porro de omnibus omnino opusculis, Sermonibus, Epistolis judicium meum interponere uti temerarium, sic immensi laboris, neque etiam instituti mei foret. Sed & ipsos, qui seu Vitam, seu libros ejus versarunt, Gerardum Moringum, Cornelium Lancillotum, Prosperum Stellatium, Joannem Nævium, Joann. Bapt. Masculum, Joannem Rivium, Sebastianum Tillemontium, Maurinos item, ac Bollandianos, etsi de eloquentia quorumdam commemorent, raro tamen, obiter, & parce admodum id video præstitisse. Si quis tamen volet, ipse eos, & quos per decursum citavimus, adire poterit.

DISSERTATIO IX.

De Eloquentia S. Paulini.

CAPUT I.

Laudes ejus.

Equidem nefas fuerit de Eloquentia S Paulini Nolensium Episcopi obiter solum hic commemorare; quando tot ab omni retro antiquitate laudatores habet, & celebritatem sane maximam est consecutus. Quantus olim in sæculo splendore generis, tantus postmodum scriptis, gestisque in Ecclesia evasit. Liberalibus disciplinis omnibus a puero excultus, maxime tamen Poeticæ, atque Oratoriæ se dedit, usus Magistro Ausonio, cujus clarissimum tum erat nomen, quemque & bonitate ingenii, & industria singulari brevi

non æquavit solum, verum & superavit. Ausonio ad aulam Cæsaris digresso, ipse ut causas ageret, ad forenses strepitus & curiæ lucem processit: ubi eam dicendo famam invenit, ut ad honores continuo evocatus ante Ausonium Consul renuntiaretur. Dein ad varias regiones visendas animum adjecit, ac omnem fere occidentem peragrans, summis ubique viris Martino, Ambrosio, Severo familiaris factus est: denique Burdigalæ baptismo suscepto, opibus, literisque valedixit penitus, omnesque curas unice ad studia pietatis transtulit. Sed audiamus nunc, quæ de ejus facundia summorum hominum judicia essent.

S. AMBROSIUS *Epist.* 30. *vel* 36. *ad Sabinum*, *nunc* 58. de secessione Paulini loquens, quot illa sermonibus esset causam præbitura, ita ait: *Hæc ubi audierint Proceres viri, quæ loquentur? ex illa familia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a Senatu! interceptam familiæ nobilis successionem &c.*

AUSONIUS ipse cum alias magnifice Scriptiones ejus effert, tum *Epist.* 20. Pollere, inquit, Paulinum ornatu, quo ipsus careret, cedere se ingenio tantum, quantum ætate præcederet, & novæ ejus camœnæ assurgere. Quin jurat aliquando, nulli imitabilem Paulini calamum esse.

S. AUGUSTINUS *Epist.* 39. *nunc* 26. *ad Licentium* celebrat *opes ingenii ejus.*

S. EUCHERIUS *Parænesi ad Valerianum* testatur, *Paulinum uberrimo eloquentiæ fonte fuisse, & cunctas admodum mundi partes eloquio, operibusque respersisse.*

IDACIUS *in Chronico ad annum Honorii* 30. *Paulinus*, ait, *nobilissimus, & eloquentissimus dudum conversione in Deum nobilior factus &c. Extant operis ipsius egregia studia prædicanda.*

S. quo-

S. quoque GREGORIUS TURONENSIS *Libro de Gloria Confessor. cap.* 107. mentionem eloquentiæ, & Carminum Paulini facit. Quem si qui minus idoneum his de rebus testem putant, illud certe debent cogitare, Gregorium saltem, quid alii de Paulino sentirent, scire, & scribere potuisse.

VENANTIUS FORTUNATUS *Libr II. de vita S. Martini post medium, ore rotundum*, id est sermone facundum disertumque Paulinum dicit.

S. GREGORIUS MAGNUS *Libr. III. Dialogor. cap.* 1. Paulinum vocat *eloquentissimum, atque apprime exterioribus quoque studiis eruditum.*

DUNGALUS DIACONUS Sæculi IX. auctor minime obscurus *contra Claudium Taurinensem*: *Beatum Paulinum*, inquit, *sanctitate, & sapientia præditum quasi quamdam pharum lucidissimam, & turrim inexpugnabilem imprimis prætendimus.*

Sed nemo antiquorum Paulini eloquentiam magis celebravit, atque divus HIERONYMUS, cujus sane elogium insigne prorsus, ac disertum non sine admiratione magna fateor me legisse. Cum enim *Epist.* 13. *nunc* 58. primores ecclesiasticorum Scriptorum enumerasset, Tertullianum videlicet, Lactantium, Victorinum, Hilarium, Cyprianum, neque eos, qui tum vivebant, omisisset, subjicit, cuique deesse aliquid ad perfectionem, unumque Paulinum statuit, in quo nihil desideraret, futurum affirmans, ut si divinarum Literarum interiorem notitiam adjiceret, scriptores sive græcos, sive latinos omnes anteiret. „ Macte virtute, exclamat, qui talia habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris? O si mihi liceret istiusmodi „ ingenium non per Aönios montes, & Heliconis „ vertices, ut Poëtæ canunt, sed per Sion, & Itabyrium, & Sina excelsa ducere! si contingeret „ docere, quæ didici, & quasi per manus tradere „ my-

„ mysteria Scripturarum ! nasceretur nobis aliquid, „ quod docta græcia non haberet. „

Et iterum : „ Si haberes hoc fundamentum „ (scientiam Scripturarum) imo si quasi extrema „ manus operi tuo induceretur, nihil pulcrius, „ nihil doctius, nihilque latinius tuis haberemus „ voluminibus. „ Denique addit : „ Magnum habes „ ingenium, & infinitam sermonis suppellectilem; „ & facile loqueris, & pure, facilitasque ipsa, & „ puritas mixta prudentiæ est. Capite quippe sa„ no omnes sensus vigent. Huic prudentiæ, & „ eloquentiæ si accederet vel studium, vel intel„ ligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem „ tenere nostrorum. „ Idem *Epist.* 153. *nunc* 85. magnifice de eadem Paulini eloquentia prædicat, excusatque eleganter, quod pauca & inornata ad eum virum mittat, cujus utpote eloquentissimi, doctissimi, & græce scientissimi judicium formidaret. Hæc Hieronymus, cui certe adulationem nemo objecerit, præsertim literariis in rebus ; cum ad hominem scriberet a conversione recentem, & sacris in disciplinis adhuc tyronem.

Sed neque posteriorum temporum laudes desunt.

JOANNI TRITHEMIO *Libr. de Scriptorib. Ecclesiast.* Paulinus *vir in Scripturis divinis eruditissimus* vocatur, *& in sæcularibus literis nulli suo tempore secundus*, qui *non minus sanctitate, quam eruditione clarus* effulsisset.

JODOCUS BADIUS ASCENSIUS in *Præfat. ad S. Paulini opera* sic loquitur : *Sanctus Paulinus, qui cum Ethnicorum literis esset instructissimus ; sic tamen divinis usus est, ut in ejus libris, & Pytho illa, & suadæ medullæ sessitasse merito prædicentur. Docet enim, & movet, afficitque legentem, imo, quo vult, impellit supra modum.*

HEN-

HENRICUS GRAVIUS *Præfat. in Paulinum, Paulinus*, ait, *vel unus merebatur, ut incorruptissimus servaretur.*

SIXTUS SENENSIS *in Biblioth. Sanct. Paulinus,* inquit, *Nolæ Episcopus vir fuit divinæ Scripturæ studiosissimus, & eloquentiæ singularis.*

CARDINALIS BARONIUS *ad annum* 431. libros Paulini *nobilissimi ingenii monumenta* dicit.

PHILIPPUS FERRARIUS in *Catalogo SS. Italiæ XXII. Junii* de Paulino asserit, quod *divinarum & humanarum rerum cognitione egregie instructus, etiam dicendi facultate præpolleret.*

NICOLAUS HEINSIUS, Danielis filius, *ad Valer. Flaccum pag.* 187. Paulinum vocat *Scriptorem tersum & latinum.*

NATALIS ARGONENSIS *de Optima Method. legendi Eccl. Patres Part. II. Cap.* 5. ait: *Sanctorum Paulini, Eucherii Lugdunensis, atque Salviani Massiliensis stylus satis comprobat, nonnihil veneris, & puritatis Romanæ in Gallias translatum fuisse.*

CARDINALIS BONA in *Notitia auctorum* Paulinum *Sanctitate, & scientia eminentem, sensu, & eloquio sublimem appellat.*

De juvene adhuc Paulino eleganter scribit JOANNES CROISET in *Exercit. Pietat. ad Festum ejus: Puritas, & teneritudo styli, splendor cogitationum, facilitas indolis, ardor phantasiæ, vis & dulcedo eloquentiæ ejus toto orbe celebrem reddidere.*

Finio verbis Officii Ecclesiastici, quod *ad diem XXII. Junii* ita habet: *Paulinus Nolæ Episcopus, eruditus studiis humanitatis, doctus etiam divinis Literis, multa eleganter, & ornate scripsit versibus, & soluta oratione.* Atque ista de eloquentia Paulini universe, nunc peculiaria quoque audiamus.

CAPUT II.

Lineamenta, quibus internoscatur.

Henricus Gravius supra allegatus ad Paulini characterem delapsus, *sermonis puritatem*, *aliasque dotes eximias* ei tribuit, hac exclamatione adjuncta: *Quid enim eo purius? quid nitidius? quid gravius, aut ardentius?* Dixit aliquid, sed totum non dixit. Qui enim Paulino aliquantum assueverunt, aliud præterea, & quidem præcipuum in eo detegunt. Et quid illud? quod admirabilem fere facilitatem, & suavitatem redolet. Hanc S. Sidonius Apollinaris jam advertit, qui *Libr. IV. Epist.* 3. dicit: *Paulinus provocat*, id est, vim habet, & unctionem. Hoc ipsum & Uranius Presbyter *Epist. ad Pacatum de obitu S. Paulini num.* 9. laudavit: *Erat suavis, & blandus in literis, dulcis, & bene suavis in versibus.* Sed magis idoneum testem Augustinum habemus, qui Paulini suavitatem non advertit solum, sed verbis etiam gravissimis exaggeravit. Sic autem habet *Epist.* 32. *nunc* 27. ad ipsummet Paulinum. ,, Legi literas tuas fluentes lac, & mel, præ- ,, ferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris ,, Dominum, sentiens de illo in bonitate, & affe- ,, rens ei claritatem, & honorem. Legerunt fra- ,, tres, & gaudent infatigabiliter, & ineffabiliter ,, tam uberibus, & tam excellentibus donis Dei, ,, bonis tuis. Quotquot eas legerunt, rapiunt, ,, quia rapiuntur, cum legunt. Quam suavis odor ,, Christi! & quam fragrat ex eis! dici non potest, ,, illæ literæ cum te offerunt, ut videaris, quan- ,, tum nos excitent, ut quæraris. Nam & perspi- ,, cabilem faciunt, & desiderabilem. Quanto enim ,, præsentiam tuam nobis quodammodo exhibent, ,, tanto absentiam nos ferre non sinunt. Amant te ,, omnes in eis, & amari abs te cupiunt. ,, Dein ad singularia in literis contenta digressus, ita conclu-

cludit: „ Hæc atque hujusmodi ſuaviſſima, & ſan-
„ ctiſſima ſpectacula literæ tuæ præbent legentibus,
„ literæ fidei non fictæ, literæ ſpei bonæ, literæ
„ puræ charitatis. Quomodo nobis anhelant ſitim
„ tuam, & deſiderium, defectumque animæ tuæ in
„ atria Domini? quid amoris ſanctiſſimi ſpirant?
„ quam opulentiam ſinceritatis exæſtuant? quas
„ agunt gratias Deo? quas impetrant a Deo? Blan-
„ diores ſunt, an ardentiores? luminoſiores, an
„ fœcundiores? quid enim eſt, quod ita nos mul-
„ cent, ita accendunt, ita compluunt, & ita ſere-
„ næ ſunt? Quid eſt, quæſo te, aut quid tibi pro eis
„ rependam, niſi quia totus ſum tuus in eo, cujus
„ totus es tu? ſi parum eſt, plus certe non ha-
„ beo. „

Ad unctionem hanc declarandam uſurpari poſſunt verba ipſius Paulini *; etſi enim de ſe illa non dixit, quam maxime tamen faciunt in rem noſtram: *Sapor mentis*, ait, *in ſermone guſtatur: Sermo viri mentis eſt ſpeculum, & theſaurus pectoris publicatur eloquio.* Sed Dungalus quoque Diaconus adhuc audiendus. Librum enim quemdam Paulini commemorans *loc. cit. Cuncta flores*, inquit, *aromata*, *roſas*, *lilia ſuaveolentia*, *ac mellifluа eſſe.* Et ne veteres ſolum teſtes appellem, Cardinalis quoque Perronius in Patrum Scriptis verſatiſſimus *contra Pleſſæum de Miſſa pagina* 403. delicias has, dulcemque, & religioſum Paulini ſpiritum miratur, ac commendat vehementer. Non nego id ingenio viri mire ſuavi, ac benigno ex parte aliqua tribuendum. Hæc enim decora ejus omnia conſummabat, & jucundiſſima quadam luce, & gratia reſpergebat. *Quid autem tam amabile*, ait Anſonius **, *tamque hoſpitale*,

* *Epiſtola* 42. alias 32. *item* 33. nunc & olim, *denique* 25. *alias* 39.
** *Epiſtol.* 21. *ad Paulinum.*

le, quam tu? ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? o melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende amplexu! Eundem Paulini genium probe advertit Gaspar Barthius, qui *Libr. LXVIII. cap. 5. Adversarior.* ita scribit: *Omnia jam peritura spernens, jam toti mundo præmortuus, jam totus Christum vivens, & spirans Paulinus in illis suis dulcissimis Epistolis & Poëmatis.* Ipse adeo Julius Cæsar Scaliger *in Hypercritico, Paulini probitatem,* ait, *legis in ipsius scriptis, neque solum hoc, sed etiam animi æquabilitatem, quam cum suo stylo communicavit. Fere enim quibus quisque moribus præditus est, eos etiam transfundit in suam dictionem &c.* Præclare istuc, atque in rem nostram aptissime dictum. Unctio enim Paulini ab exemplo est, a specie vitæ ejus animis obversante, atque hac velut imagine quadam sui, & cordis indice stylo ita rapit, ita excitat ad pietatem.

Sed præter dulce ingenium, & candidissimam mentem, quæ in Paulino quilibet etiam minus perspicax deprehendere debet, Carmina æque, ac Epistolæ, vel cum negligere verba videtur, sensibus nobilissimis, & plane sublimibus gemmarum instar extantium resplendent. Adde sententias non qualescunque, sed eas, ex quorum pondere satis apparet, eundem toto pectore Evangelii perfectionem combibisse. Exemplis id declaro.

O miseri homines, ait *Epist. 32. alias 12. largiri nos aliquid Deo credimus: negotiamur, & liberales habemur, qui avarissimi omnium esse convincimur, & quidem tanto avariores cupidissimis terræ fæneratoribus, quanto amplius est cælestia de terrenis, & beata de miseris, egenisque rebus emere, quam terrena terrenis, & labentibus lapsura mercari, & dominum, quam hominem fænerari.*

Et

Et pulcrius *Natali* 9.

- - - Et res magna putatur
Mercari propriam de re pereunte salutem?
Perpetuis mutare caduca, & vendere terram,
Cælum emere? Ecce, Deus quanto me carius emit
Morte crucis! passus, dejectus imagine servi,
Ut viles emeret pretioso Sanguine servos!

Epistola 26. * *O beata injuria displicere cum Christo! Magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur.* Et 11. alias 5. *Nihil habemus nisi Christum*, ait de paupertate, *& vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus.*

De Morte autem Mystica *Natali* 10.

Vita prior pereat, pereat ne vita futura.

Epist. 24. *alias* 2. *Vicem injuriæ reddere humana ultio est: at inimicum etiam diligere vindicta cælestis est.*

Et alia similia, præsertim in Carminibus, quæ longum est majore numero huc transcribere. Maxime vero ejusmodi sensibus abundat Epistola 50. *ad Celantiam* nunc 2. *in appendice.*

Omnia paucis comprehendit Joannes Croiset supra laudatus. *Etiamnum*, ait, *admirationi sunt in Epistolis & Carminibus ejus sublimitas sensuum, elegantia styli, unctio & eminens pietas: quæ singula totidem Notæ hujus Sancti characteristicæ fuerunt.*

Dicent, qui Paulini quædam legerunt, etsi placeant multa in sancto hoc Doctore, ea tamen non videri, in qua tot, tantæque laudes congerendæ sint. Quibus duo respondere debemus, sane digna, quæ ponderentur. Et primo quidem testimonia Veterum Libros Paulini deperditos po-

* **Nunc in duas 40. & 41. divisa.**

tius respiciunt, quam qui modo habentur. Interierunt enim tantæ facundiæ monumenta celebriora, quibus maxime famam sibi & Oratoris, & Poëtæ tam insignem comparavit. Carminum, Ausonio laudatissimorum, nec vestigia extant. Imò nec ex *Rhytmis*, quos a conversione recens composuit, multi saltem integri ad nos pervenerunt. *Gazophylacium* non Epistola, ut perperam multi inscribunt, sed sermo ad populum, satis testatur, multa in eo genere a Paulino præsertim Episcopo elaborata, quæ pariter temporum injuriis interciderunt universa. Epistolarum quoque numerus ingens deperditus, nec pauca, ut conjicio Historica desiderantur. Sed & illis caremus, quæ contra Paganos teste Augustino conscripsit, pluribusque aliis, ex quibus Gennadius omnium præcipua facit *Librum de Pœnitentia*, & *de Laude generali omnium Martyrum.* Nullius tamen scriptionis jactura æque dolet, ac libri pro *Theodosio* Seniore *adversus Criminatores Ethnicos* editi. Certe quoties fere Hieronymi recordor, id quod sæpe fit, toties desiderium libri recrudescere in me sentio. Sic enim de eo loquitur sanctus Doctor *l. c. Librum tuum, quem pro Theodosio Principe prudenter, ornateque compositum transmisisti, libenter legi, & præcipue mihi in eo subdivisio placuit. Cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis te ipsum superasti. Sed & ipsum genus eloquii pressum est, & nitidum, &, cum Tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis. Jacet enim, ut ait quidam, oratio, in qua tantum verba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia, & alterum pendet ex altero. Quidquid assumpseris vel finis superiorum, vel initium sequentium est. Felix Theodosius, qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus, & utilitatem legum futuris sæculis consecrasti.*

Itaque jam non illum habemus Paulinum, qui fuerat, sed mancum sane, aut lacinias potius ejus aliquas, ubi inferiora pleraque illo viri disertissimi ore, & ingenio sunt. Nihil amplius de *leni illa, ac suavi simul, magnificaque vena, mellea modulatione, vegetaque, & sublimi alacritate, sic appetente summa, ut non decideret, nihil de tanta elegantia, solus ut videretur assecutus (quod contra naturam est) brevitas ut obscura non esset*, nihil de Epistolis, & Carminibus, quae Ausonius jurat, nulli unquam imitabilia. *

Alterum est, quod Paulinus, quidquid post abdicatas jam Musas procudit, Evangelica simplicitate temperavit. Totus enim ad actionem, & contemplationem conversus, ut res suas omnes, ita chartas adeo neglexit, ut eorum ** nec recordaretur amplius. Deferbuerat ambitio, ac cupido famae, quae maxime acuit stylum, & in viro, qui non solum dignitatibus, atque divitiis, sed literis quoque valedixerat, nihil jam erat, quod ad expoliendum stimularet. Itaque contemptim scriptitabat Paulinus. ut se calamo res quaeque offerebat, imo quod *Epist.* 50. *alias* 42. patet, literas dictare tantum notario consueverat. Nec mirum est, cum scripta ipse sua non curaret, ab aliis quoque minus quam deceret curata esse, sicque libros plures veluti partus a parente destitutos facilius interiisse.

Eodem pertinent, quae Victor Giselinus *in vita Sulpitii Severi* admonuit. *Enimvero*, ait, *ea tempestate, qua liberae jam esse coeperant Christianorum, & Gentilium contentiones, eoque acerrime hinc inde exercebantur, nihil frequentius fuit, atque usitatius omni-*

* Lege IV. partem vitae divi Paulini a Franc. Sachino scriptae, aut *Epist.* 19. & 21. *Ausonii ad Paulinum.*
** *Epist.* 1. *alias* 6.

omnibus Christi nomen profitentibus, iis præcipue, qui summo aliquo loco constituti præire exemplo suo aliis gestiebant, quam odio paganismi sacras tantum Literas versare, easque non vita solum, sed sermone etiam, aliisque vitæ muniis exprimere: adeo ut ne literæ quidem familiares familiaribus de rebus scriberentur, quin & historiam sacram, & phrasin saperent, spirarent, loquerentur. Exemplo sint, (ut Augustinum, Hieronymum, aliosque ejus generis Ecclesiæ Proceres prætercam, ne quod domi abunde est, aliunde videar assumere) sint ergo exemplo solæ Paulini nostri Epistolæ, quas nemo nisi in divinis Scriptis versatissimus aut legere poterit, aut intelligere; nominatim vero Epistolam septimam, cujus extrema parte hujus propositi, sive consuetudinis mentio adjecta est singularis. Giselino adstipulantur reliqui, qui de Paulini rebus scripsere. Andreas Schottus in *Recensione Operum: Stylum*, inquit, *Christianis jam sacris initiatus, & rite baptizatus mutavit, verborum jam lenocinia fugiens, & sacras Literas, pietatemque adamasse, piæ ejus ad Severum Sulpitium, aliosque Epistolæ missæ declarant &c.* Optime vero Jodocus Badius Ascensius *l. c. Postmodum inspirante Deo ad Christianam pietatem penitus conversus, Ambrosio, & Augustino usus præceptoribus. . . . omnem mundi pompam rejecit, venamque fluentem, ac pene lascivientem gravem, & stabilem fecit, anxieque omnem gentilem ritum vitavit, usque adeo, ut ne Virgilium quidem postmodum nominare fuerit ausus, magno documento, alium stylum decere sacris initiatum virum, alium profanis adhuc deditum &c.* Idem repetit Gravius, qui verba adeo Badii exscripsit. Sed nihil satius fuerit, quam ipsummet Paulinum ea de re loquentem inducere. Ubique enim prodit, se sanctitatem religionis tam alte in animum demisisse, ut nihil jam cum sæcularibus literis commune sibi esse vellet. Ita significat *Epistola* 16. *alias* 38. *Epistola*

stola 1. *alias* 6. *Epistola* 4. *alias* 40. prima ad Augustinum. *Carmine* vero ad *Ausonium*, qui ad Musas revocare eum laborabat, & lacessebat non raro, palam, & sine fuco rescripsit:

> *Negant camœnis, nec patent Apollini*
> *Dicata Christo pectora.*

Jam quas tu veneres, quas delicias sermonis ab eo expectes, qui profanos scriptores vel appellare tantum piaculo sibi ducat, gentilesque literas non abjiciat solum, sed ubi ultro se effundunt, contineat? Tantum scilicet refert scire, non solum quid quis scripserit, sed quando, qua mente, quo studio facere id aggressus sit. Atque hæc fusius propter eos monere debui, qui in Erasmi *Ciceroniano* Paulinum legunt *vix umbram habere Ciceronis, nec sententiis nec verbis admodum felicem.* Viderat *Paulinum* antea, quam hæc scriberet Erasmus, sed non legerat, secus aliter haud dubie scripturus, uti reapse aliter scripsit, quod proxime dicemus.

CAPUT III.

Pretiosiora ex iis, quæ adhuc extant.

Sunt tamen inter residua Paulini opuscula, in quibus vix quidquam desideres ad eloquentiam. Talem dico Epistolam, quam Celantiæ Matronæ Romanæ inscripsit, quæque hactenus inter Hieronymianas decima quarta poni solebat. Hæc omnibus numeris absoluta mihi videtur, planeque ex illo genere, de quo Hieronymus *Epist.* 153. *nunc* 85. eleganter ad ipsummet Paulinum perscripsit: *Voce me provocas ad scribendum, terres eloquentia, & in epistolari stylo prope Tullium repræsentas.* De ea Erasmus, qui primus, quod sciam, Paulini eam esse odora-

tus

tus est, sic *in Argumento* ait: *Epistola cumprimis eloquens, & erudita.* Addit, hanc & alias quasdam Paulini, Hieronymianis immistas, eloquentiam Hieronymi propemodum æquare, & hanc unam se hoc loco inserendam duxisse, ut si forte lector requirat, specimen aliquod habeat eloquentiæ Paulinianæ tantopere ab eloquentissimo Hieronymo laudatæ. Et denique antea quam eam orditur, ita magnifice: *Nunc christianum*, inquit, *Ciceronem audiamus.* Neque ab hac aliæ Paulini Epistolæ abludunt: laudatque eas idem Hieronymus *Epist.* 103. *nunc* 53. iterum ad ipsummet, *in fine. Habes hic*, inquit, *amantissimum tui fratrem Eusebium, qui literarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi; nam prudentiam, & eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferebat.* Quam pulcra item illa sunt, quæ *Epistola* 11. *alias* 5. de hortulo suo? quam amœna, quibus 49na *alias* 36. naufragium Valgii persequitur? * Quo sensu, quamque obnixo studio Epistola ad Delphinum & Amandum deprædicat gratiam sibi factam? Quam amice, quam venuste, & graviter 11ma *alias* 5. Severi jocum reprehendit? Quæ humilitas in admisso Victoris servitio elucet *Epist.* 23. *alias* 3. & 4. ad Severum? Qua figurarum conversione ostendit *Epist.* 24. *alias* 2. relictas opes non nisi rudimentum esse spiritualis militiæ suæ? Quam splendida pietate Nicetam celebrat in *Propemtico*, & Victricium *Epist.* 181. *alias* 282. Quantum ingenii in *Epigrammate ad Severum* misso, & effigiei suæ juxta Beatum Martinum collocatæ adscri-

* Gregorius Fabritius *Tom. I. Orthodoxographorum Basileæ* 1569. *Historica*, inquit, *etiam tractat Argumenta, in Epistolis de Melania, ad Severum, de Valgii naufragio ad Macarium, in quibus suavitudo narrantis admodum delectat.*

ſcribendo? * Recte ergo Joannes Fridericus Gronovius *Libr. Obſervator. in Scriptor. Eccleſ.* Epiſtolas Paulini *piæ facundiæ, & officii plenas* affirmat. Carmina porro ejus, quæ nonnullis parum placere video, pene dixerim primo loco legenda, atque æſtimanda eſſe: non quidem verborum, ac ſtyli cauſa, quæ duo, uti diximus, ille ſus, deque habuit, ſed quod ſenſus habent eximios, & pietatem ſpirant ſingularem. Recte Juretus **, cum eorum quædam ederet, pronuntiavit, eſſe ſanctiſſimi, doctiſſimique Poëtæ veluti ſuperſtites tabulas, naufragio ſcilicet literario ereptas. Expertus eſt earum ſuavitatem Joannes Baptiſta Mantuanus Poëtarum non poſtremus, qui ſic in Apologetico: *Quid de Paulino Nolanæ urbis Epiſcopo Hieronymi contemporaneo, & familiari? quid dicam? Nonne pulcherrima, quæ adhuc extant, & ſemper extabunt, excudit Poëmata? Cum adhuc adoleſcentulus eſſem, & a ſtudiis eccleſiaſticis, illius ætatis more, abhorrerem, forte in ea Poëmata incidi, & carminis ſuavitate delectatus, animum ad res divinas paulatim appuli, & ex illo tempore literarum ſacrarum ſtudioſior fui.*

Petrus quoque Crinitus *de Poëtis Latinis c.* 91. ſic Sanctum noſtrum dilaudat: *In Poëtica facultate magnopere excelluit. . . . Leguntur adhuc quædam ipſius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio, & incredibilis elegantia apparet.* *** Jodocus Badius Aſcenſius *l. c. Eruditus itaque,* inquit (Paulinus) *interioribus, & cultioribus literis fœcundo ſuo ingenio admiranda fecit poëmatia, inter quæ de Cæſaribus ex Suetonio nonnulla.* Caſpar Barthius *Adverſar.*

---

* *Epiſt.* 32. *alias* 12.

** *Præfat. ad Pithoëum.*

*** Eſt autem hoc ipſo loco mira Criniti contradictio, cum inter Carmina diſcrimen facit, & duos ex illis Paulinos ſibi exſculpit.

verfar. Commentar. L. XIII. c. 14. ita de Paulini Carminibus habet: „ Chriftianorum Poëticis cla-
„ rorum neminem Paulino præponere poffis. Pro-
„ funda eruditio fæcularium literarum phrafin ipfi
„ fecit, quam divinis myfteriis fine fuco tractan-
„ dis egregie, & amabiliter immifcet. Quod fi
„ ipfos Dei præcones Apoftolos latinis numeris
„ laudes Domini pangere voluiffe diceres, talibus
„ utique ufuros fuiffe confitereris. Dici non po-
„ teft, quam contemptim vulgo tam divina opera
„ habeantur. Quotus enim quisque eft vel erudi-
„ torum, nihil non pervagantium alioquin, qui
„ horum bis, aut ter meminerit? unde longe etiam
„ majorem illuftrantis diligentiam requirunt, quam
„ putatum hactenus eft &c. „

Eadem Carmina eruditiffimus Gronovius fupra laudatus *ingentis fpiritus* appellat. Nimirum uti nos Germani (fed & ceteræ nationes) carmina quædam habemus vetera, in templis, ac domibus decantata: propiore exemplo utar, quemadmodum in Officio Ecclefiaftico hymnos invenire eft, ubi metrum fubinde nutat quidem, & verba vel obfoleta, vel loco non fuo pofita funt, quæ tamen majeltatem, ac pietatem admirabilem fpirant, aut ad naturam quam proxime accedunt: fic verfus illi fanctiffimi Paulini, pleni effectus, pleni animi religiofi, ac Deo afflati. Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum* obfervat, ævi vitio modulum fyllabarum in verfibus fæpe negligere. Sed ut hoc fit, Paulinus ftudio fimplicitatis, non focordiæ, minus ignorantiæ caufa id fecit, ut vel ex fuperioribus ejus carminibus manifeftum eft. In his enim fi leges metricas penfi nihil habuiffet, aut ignoraffet omnino, qui demum obfecro ad celebritatem eam erat perventurus? Neque enim deerant vel illa ætate, uti Claudianus, & alii quidam, qui illas & callerent perbene, & folicite etiam obfervarent.

Quam-

Quamquam & ipfum metrum non raro amœnitatis & nitoris quam plurimum habet. Quo fenfu accipi debet Laurentius Berti, quando in *Ecclefiaft. Hiftor. Breviar. Sæcul. V. cap.* 4. ait: *Natales decem S. Felicis Martyris, aliaque plura eleganti metro compofuit.*

Sed contra propofitum fufiores fuimus. Quod fi quis plura nihilominus de admirabilis viri facundia noffe cupit, libros ejus, vitamque a Francifco Sacchino Scriptam adire debet. Item Petrum Francifcum Chifletium in *Paulino illuftrato.* Henricum Vaughan, qui res ejus 1654. anglice confcripfit. Joan. Bapt. le Brun, qui & opera ejus edidit, & vitam feparatim vulgavit *Parifiis* 1686. Franc. Girum & Hadrianum Baillet in *vitis SS. ad* 22. *Junii.* denique omnium maxime diligentem Ludov. Anton. Muratorium in *editione ultima Veronenfi.* Quique ex inftituto Ecclefiæ Scriptores recenfent, Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. Etiam Trivultienfes *ad annum* 1744. *Menfe Augufto* memorant *Vitam Paulini cum Analyfi Operum*, *&* *Differtationibus* lingua Gallica editam a D. Gervafio, ubi plurima de ftylo & eloquentia ejus, accurate ab iisdem Cenforibus ad leges Criticæ revocata.

DISSERTATIO X.

De Eloquentia S. Eucherii.

CAPUT I.

Elogium.

S. Eucherius ex Senatore, & principe viro Lugdunenfium Antiftes, doctiffimus *, atque una floridiffimus Scriptor, magnos paffim eloquentiæ præcones numerat, five antiquos illos, five Recen-

* Sunt, qui vel hebraicæ linguæ cognitionem Eucherio tribuant.

Recentiores: quorum sententias tanto lubentius, ut dictum est, ubique referimus, ne nobis ipsis, qui minimi sumus, sumpsisse aliquid in ea re judicanda videamur.

Primus, quod sciam, Eucherium laudavit S. HILARIUS ARELATENSIS æqualis eorum temporum, quique viri dotes præ ceteris cognitas habebat. Hic *Epist. ad ipsummet Eucherium*, libros illius *florulenta*, & *speciosa opera* appellat, additque se *universa miratum*.

SALVIANUS quoque, *Epist.* 2. iterum ad ipsummet, mentem hominis *prope singularem* asserit, & *Epist.* 8. *ad eundem* ita de libris sibi missis rescribit: *Legi libros, quos transmisisti, stylo breves, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti tuæ, ac pietati pares. Nec miror, quod utile, & pulchrum opus ad institutionem potissimum sanctorum, ac beatorum pignorum* * *condidisti. Cum enim eximium in eis templum Deo ædificaveris, doctrina novæ eruditionis quasi summum ædificii tui culmen ornasti* **.

CLAUDIANUS MAMERTUS *Libro II. de statu animæ cap.* 9. „ Haudquaquam, inquit, Eucherium „ præterierim, mihimet viventem, doctrina, & „ præsentaneis coram disputationibus cognitum, „ non porro nuntiis, aut lectione compertum. „ Qui scilicet viridis ævi, maturus animi, terræ „ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus „ merito, ac perinde ingenii sublimissimus, scien„ tiæ plenus, eloquii profluus, magnorum sæculi „ sui Pontificum longe maximus, editis in rem „ fidei multijugis variorum operum voluminibus, „ ad

* VERANI, & SALONII, ambos post celebres Episcopos, quos Sanctus noster antea, quam sæculo valediceret, ex justo matrimonio susceperat.

** Atqui in libris illis vix erat eloquentiæ, sed doctrinæ tantum concessus locus.

„ ad populum quoque super animæ statu multa nobiliter * concionatus est. „

Rusticus, nescio quis (forte idem, ad quem SS. Hieronymi ac Leonis Magni epistolæ extant, ex monacho & post Presbytero Massiliensi Episcopus Narbonensis) *Epistola ad Sanctum nostrum*, quam dat Sirmondus *in Scholiis ad Libri II. Epistolam* 11. *S. Sidon. Apollinar.* laudans forte librum ejus *de obscuris Scripturæ quæstionibus*, elogium quam plenum, tam elegans gravissimis hisce verbis texuit: „ Quam „ admirabilis mihi fuerit, manifestius declarasse non „ potui, quam ut eum a me fatear non digne posse „ laudari. Quamquam quid ego ad attollendum, „ quæ edidisti, solum me esse imparem dicam? pa„ ce dictum sit omnium, qui sunt optime his, quæ „ liberalia appellant studia, instituti, nec ab eis „ quidem mira librorum tuorum præconia satis di„ gne excoli posse existimo; quia licet facilius esse „ decernam judicare, quam dicere, mihi tamen „ adeo persuasum est, non esse hoc facile, ut me„ rito definiam, quod nemo rectius tam præclari „ operis prædicator existeret, quam ejus inventor, „ & cognitor; quia quod nemo sic potuit invenire, „ utique nemo sic laudare possit. „ Mox eam in rem affert exemplum illius, qui Virgilium a solo Virgilio pro meritis laudari posse existimavit: denique ita concludit: „ Omnium christianorum ore, & „ amore celebraris, prædicandus in posterum, dum „ doces posteros. „ Hæc ille, cujus verba ultima unice memoratum supra librum respiciunt, illum videlicet, in quo ratione argumenti minimum eloquentia habere locum potuit.

S. Isidorus Hispalensis *Libro de viris illustrib. cap.* 15. *Eucherium Franciæ Episcopum elegantem sententiis, ornatum in verbis* dicit.

* Alii legunt: *His super animæ statu concionatus est.*

ADO VIENNENSIS Archiepiscopus in *Martyrolog.* Eucherium vocat *admirandæ fidei, vitæ, & doctrinæ virum.*

S. PETRUS DAMIANI *opuscul. XXVIII. cap.* 2. S. Eucherium *virum nobilissimum* nominat, *& eloquentissimum.*

Ex Recentioribus JOANNES TRITHEMIUS *Libro de Scriptorib. Ecclesiast. Eucherius*, inquit, *Episcopus Lugdunensis in Gallia, vir doctus, & monachorum disciplina a juventute imbutus, ingenio promptus, & sermone compositus, vita, & conversatione Deo, & hominibus gratus, quippe qui multos & verbo, & exemplo ab iniquitate avertit: scripsit plura egregia volumina.*

M. ANTON. COCCIUS SABELLICUS *Enneade VIII. Libr.* 1. S. Eucherium *dicendi copia, & doctrina celebrem* vocat.

ERASMUS ROTERODAMUS *Epist. ad Alardum Amstelredamum,* a quo Eucherii Parænesin acceperat, hujus libros inter ea veterum monumenta numerat, quæ sunt ejusmodi, ut cum vera pietate veram eruditionem, eloquentiamque conjunxerint.

JOANNES SICHARDUS in *Nuncupator. ad Albertum Cardinal. & Elector. Mogunt.* Eucherium vocat *sanctissimum, atque eruditissimum suæ tempestatis Episcopum, qui literis, & vitæ sanctimonia, ut erat ejus loci viro dignum, esset habitus clarissimus.*

SIXTUS SENENSIS *in Biblioth. Sanct.* ita Eucherium celebrat: *Eucherius Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus natione gallus, vir inter eos, qui pietatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria floruerunt, insignis, multa in sacras Literas præclari ingenii sui monumenta reliquit, latino sermone conscripta, & elegantibus verbis, argutisque sententiis florentissime exornata.* Idem *ibid.* ad Sancti viri conciones delapsus, *celebratissimas* appellat.

PETRUS GALESINIUS in Epistola operibus præfixa hunc in modum Eucherium laudat, ut eloquen-

quentiam quoque illi tribuat minime vulgarem: ſed *gravem*, *neque popularibus refertam ſententiis*, quæ *quibusdam quaſi luminibus eluceat*, in qua *dicendi vis cernatur*, quæque *ornatum*, & *ſplendorem habeat*. Hæc Galeſinius, qui tamen nihil de ſcriptis ejus, quod ad eloquentiam pertineret, præter *Parœneticam* de contemptione, & deſpicientia rerum humanarum viderat: imo *Commentarios in Geneſin*, & *in Libros Regum*, parum ſane diſertos, Eucherii eſſe putabat. Quid putas ſcripturum, ſi conſequentis ſæculi beneficio & criſi magis inſtructus ille fuiſſet, & *librum de laude Eremi* habuiſſet ad manus, denique *ſermones* Euſebio Emiſeno tributos olim, nunc auctori redditos ſtudioſe contuitus eſſet?

PETRUS GERARDUS, & CLAUDIUS CHEVALLONIUS, qui ſcripta ſancti Doctoris repurgata, atque in lucem emiſſa Guilielmo Parvo Trecenſi Epiſcopo & Regis confeſſario dicarunt, ipſa fronte *Eucherium Lugdunenſis Eccleſiæ quondam Archiepiſcopum Theologum diſertiſſimum* ſcribere voluerunt.

DIONYSIUS FAUCHERIUS Monachus Lerinenſis *Præfat. in Opuſc. S. Eucherii de laude Eremi*, ipſum Eucherium primo loco inter eos Lerinenſes ponit, *in quibus cum vitæ ſanctimonia eruditio, & eloquentia certare videbantur.*

Eadem S. Eucherii ſcripta laudat CARDINALIS BARONIUS *ad ann.* 441. ac pro iis mirum in modum ſolicitum ſe oſtendit, illud exoptans vehementer, uti integra aliquando, & aſſerta auctori ſuo in lucem prodirent.

HERIBERTUS ROSWEYDUS *Nuncupator. ad Henric. van der Heyden* Villariæ Abbatem, vocat Eucherium *magnum olim Galliæ decus ſeu pietatem, ſeu doctrinam, ſtylique elegantiam ſpectes.* Et ſtatim *ibidem: Etſi ſæcularibus*, ait, *hominibus, ſi humanos affectus inſpicias, non admodum grata tractat, eo tamen*

men sententiarum pondere, ea dicendi amœnitate rem suam prosequitur, ut si quis vel promulsidem pagellæ unius ceperit, non desiturum eum affirmare ausim, quin recta se totius libelli cœna sit exsaturaturus.

THEOPHILUS RAYNAUDUS *in Indicul. Sanctor. Lugdun.* Eucherium fuse exornat, *atque eloquentiæ, & doctrinæ laude florentem* dicit. Idem jam in *Prolegomenis* illius opusculi: *Magnum Eucherium inter Lugdunenses Antistites genere, eloquentia, sanctitudine illustrissimum* vocat.

Nec inelegans est laudatio, qua Eucherium Andreas Saussaius in *Martyrolog. Gallican. XVI. Kalend. Decemb.* extulit, ita de ejus scriptis loquens. „ Quæ „ ex jugi cœlestium rerum meditatione, vel sacrarum Literarum lectione hauriebat, chartis imprimens, atque admirando verborum ornatu, quo superne ditatus erat, vestiens, ad amicos dirigebat, quos vel a fluctuantis sæculi jactatione ad tutum religionis, & casti secessus portum, crucisque, ut ajebat, anchoram advocaret, vel jam adductos animaret: quin per eorum industriosam charitatem ceteros mundi adhuc turbinibus implicitos, divinorum placitorum, promissorumque prædicatione, Beatorum, qui sæculum fortiter calcaverunt, commendatione, & delectatione ipsa christianæ sapientiæ (cujus mirificis artificiis decora promit) ex ipso exitiali pelago ad eundem salutis portum abduceret. Extant divini illius viri pia, præclaraque opuscula, quæ sanctissimi quique, disertissimique tum hujus ævi, tum sequacium annorum Patres, & Scriptores miris extulerunt præconiis, in quorum laudibus magno præ ceteris æstu commendationis arsere Sancti Episcopi Hilarius Arelatensis, Sidonius Arvernensis, Isidorus Hispalensis, Ado Viennensis, Claudianus Mamertus Presbyter itidem Viennensis, Salvianus Massiliensis præter Gennadium, „ Cy-

„ Cyprianum vitæ S. Cæſarii Scriptorem, Marcelli-
„ num Comitem, Honorium Auguſtodunenſem,
„ & innumeros Recentiores, etiam pietatis parum
„ amicos, qui uno ore floridiſſimi omnino, & do-
„ ctiſſimi diſſertatoris libros ſuaviſſimos, eruditiſſi-
„ mos, ſapientiſſimos, excultiſſimos, atque ut uno
„ dicam verbo, diviniſſimos prædicant, & miran-
„ tur. „

ANTONIUS PAGIUS *in critica Baronii ad ann.* 441. Libros S. Eucherii *egregia* vocat *ingenii monumenta.*

NATALIS ALEXANDER *Sæculo V. cap.* 4. *art.* 20. Eucherium, ait, *cum doctiſſimis operibus editis, tum eloquentiſſimis ad populum habitis concionibus celebrem,* id quod probat ex Mamerto ſupra citato.

DIONYSIUS SANMARTHANUS *Galliæ chriſtianæ Tomo IV.* de Eccleſia Lugdunenſi *pag.* 23. ita de Eucherio noſtro habet. *Eucherius I. natione Gallus, patria, ut videtur, Lugdunenſis, natalibus illuſtriſſimus, præſtantiſſimorum ſui ævi virorum Paulini Nolenſis, Honorati, & Hilarii Arelatenſium Præſulum, Salviani, Claudiani Mamerti, S. Sidonii, Caſſiani &c. amicitia, & elogio clariſſimus, impenſe quoque a Gennadio, Iſidoro Hiſpalenſi, & Adone laudatus, ſubtili, ac ſublimi ingenio, eminenti ſcientia, eloquentia maxima, ſanctitateque ſumma percelebris fuit.* Et paulo ante *pag. præcedent. Conſulantur ejus opera, & quas ſcripſit Epiſtolas, ubique in eis viget incorrupta linguæ latinæ integritas, ubique lucent ſermonis elegantia, & veneres.*

ABBAS LADVOCAT *in Lexico hiſtoric. portat.* S. Eucherii *tractatus excellentes* appellat *. Hucusque de elogiis eloquentiæ Eucherianæ, quibus diligenter perſcriptis ſupereſt jam, ut de genio quoque & charactere ejus nonnulla addamus.

* Recolat etiam Lector, quæ ſupra capite primo Diſſertationis de eloquentia S. Paulini ex Natale Argonenſi attulimus.

CAPUT II.

Dos Characteristica.

Gennadius *Libro de Illust. Eccl. Scriptorib. cap.* 63. *scholasticum sermonem, & rationabilem* Eucherio tribuit, id est talem, qui elaboratus sit ad regulas artis, & materiæ tamen accomodus. Verum hæc nimis generica sunt, quam ut inde scribendi notiones illas extundere possis. Sed neque a stylo huius hominis ferreo aliud quid licet expectare; qui vel si habuit salivam ad genus sermonis discernendum, quod non credo, verbis tamen semper caret, quibus explicare discerniculum illud, & legentibus repræsentare deberet. Itaque Eucherii character in eo esse mihi videtur, quod genus orationis habet dulce admodum, æquabile, pellucidum, amœnum, rotundum, quod instar hortensium aquarum placidissimo sono labitur, atque decurrit. Lepor in eo minime fucatus, nexus ipse, ac constructio verborum æque flexibilia, & sic numeris suis illigata sunt, ut ad scribentis arbitrium veluti accomodet se oratio, modesteque exultet, imo perennem illam serenitatem, sanctamque malaciam purissimi auctoris demonstret. Atque hanc sententiam nostram video omnes, quotquot de Eucherio scripserunt, assensu excipere, nullusque est, qui non mella, & blanditias, & byssina verba in Eucherio deprædicet. Sic Theophilus Raynaudus *in Titulis cultus Sanctor. Special. mellifluum doctorem: in Indiculo* autem *Sanctor. Lugdunens. mellitissimum auctorem* vocat, *cuius exscriptione ipse non satietur.* Petrus vero Justus Sautel Poëta celebris *in Anno Sacro poëtic. ad XIV. Nov.* ait, videri calamum eius, quem alii atramento intingerent, mero melle imbutum. Equidem videtur Senecam legisse Eucherius, si leporem sententiarum spectemus: neque desunt, qui *Senecam*

Christia-

Christianum appellent *: verum ab eo plurimum noster ille differt; nam cum acumina, & vivacitatem magnam habeat: ab argutiis tamen, & ingenii ostentatione, quam Philosophus ubique sectatur, longissime recessit; ut adeo si virtutes Senecæ quasdam non est plenissime assecutus, vitia tamen eius omnia evitaverit. Sed in eo quoque toto cœlo distant Seneca, atque Eucherius, quod in Seneca aliquis rigor, severitasque stoica ubique elucent, quod probitatis opinionem, & magisterium quoddam putide affectat, quod utraque ejus pagina superlationibus, ac hyperbolis ita turget, ut sæpe candorem, sæpius etiam judicium in eo desideres. Contra Eucherius tam mitis, tam lenis, tam placidus, & tractabilis est, tam modeste, atque etiam verecunde agit, ut assensum non tam extorqueat legenti, quam eblandiatur. Atque ista suavitas, ista facultas insinuandi se animis in sententiam minime quidem temerariam, sed novam me adducit, non Ambrosium, non Bernardum, sed Eucherium potius per *antonomasiam* mellitum, sive *mellifluum doctorem* appellandum esse. Illorum enim facundissimorum, suavissimorumque Patrum libri, uti alvearia quædam exhibent, aculeos tamen figunt sæpius, quam mella propinent: in Eucherio, quasi bile caruerit, benignitas ubique regnat, & suavitas: quod etiam ubi assurgit, & grandescit oratio ejus, deserere nunquam potest. Certe enim de Eucherio præ ceteris dicas, quod de S. Honorato ipse dixit, cum ab eo epistolam in tabulis, ut tum mos ferebat, cera illitis recepisset: *Mel suum ceris reddidisti* **. Atque hac de causa dictionem viri, ut primum studiose

* Raynaudus non semel, Cardinalis Bona in *Notit. Auctor.* aliique, quorum nunc non recordor.

** S. Hilarius Arelat. in Vit. S. Honorati.

perpenderis, ab omnibus aliis continuo internofcas. Et recte Dionyfius Faucherius in *Præfat. ad Libr. de laud. Eremi: Character ipfe, & dulcis difertæ orationis fluxus eundem ipfum effe facile indicat.*

Alterum in Eucherio fingulare eft fublimitas quædam cogitationum, grandesque ac nobiles fententiæ. Equidem flores in eo perpetui, quocunque fpectes; quæ ipfa eft ratio, cur toties, præfertim a Raynaudo nitor, & venuftas in eo laudentur, cur *florulentiffimus*, *floridiffimus &c.* ipfa vero opera *omni dictionis cultiffimæ flore* vernantia dicantur **: verum flores ifti nihil apud eum officiunt magnis fenfibus, quos velut fponte oblatos profundere folet. Obfervavit id Erafmus *Præfat. in Hilarium*; ibi enim Eucherio *quiddam grandiloquentiæ* tribuit, *Gallorum ingeniis peculiaris:* addens, Hilario, qui maxime eft grandiloquus, magis, feliciusque elaboratum videri fibi. Itaque cum fententias ejus confidero grandes, luminofas, velut aulæa quædam mihi objiciuntur, ubi auro, argento, gemmis contexta funt plurima, ac mirificum quemdam fplendorem emittunt, ejusdem tamen illum generis, itaque temperatum, ut cum videas artificium, non agnofcas. Quod fi verba, & numeros, & tranfitus, ceteraque exteriora circumfpicio, velut in hortum delatus undique amœniffimo odore afflari me fentio, fed & novam oculis, eamque mirificam oblatam voluptatem; a qua fic recedam, ut reguftare identidem, ac repetere animus fit. Ita afficit, ita hæret animo, ut invenire me femper putem, ad quod ante non adverterim, unumque doleam, a tali calamo non quam plurima alia profluxiffe, aut fi profluxerunt, a temporum injuriis vindicata non effe. Verum character

* Libris citat. & alibi fæpe.

racter Eucherii multo magis elucebit, ubi de *Parænesi* ejus singulatim sequenti capite dicemus.

CAPUT III.

Delectus Scriptionum.

Inter omnes eminet Parænesis, ad Valerianum cognatum scripta. Est enim opusculum prorsus egregium, in quo sive ad doctrinæ copiam, sive ad eloquendi facilitatem nihil prorsus desideretur. Certe cum nemine de eo usquam collocutus sum, sed nec facile quemquam legi, qui ejus sine laude singulari non meminisset. Antonius Possevinus in *Bibliothec. Libro XVIII. cap.* 10. de ea Epistola loquens: *Quæ una*, inquit, *superat sexcentas alias, quæ cordatissime videri possint a Cicerone perscriptæ.* Andreas Schottus in *Recensione operum* ad *pium Lectorem*: *Aurea vero est, ac mellita omnino Epistola ad Valerianum propinquum &c.* Heribertus Rosweydus semel, iterumque *aureolum libellum* dicit. Theophilus Raynaudus *opellam* vocat, *in quam omnes dicendi veneres confluxisse videntur* *. Novissime autem, quo solet nitore, atque accuratione Ignatius Weitenauer, vir de omni pene genere literarum hac nostra ætate meritus: *In Epistola*, ait, *ad Valerianum, quæ primas partes obtinet, reconditas, exquisitasque sententias vestit mollis, & pellucens oratio. Nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil, quod magis auctoris arbitrio profluat. Nihil fingere possis liquidius. Nihil uspiam adhærescit. Multa translata, sic tamen, ut ea non immissa in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres.* Hæc ille, hac maxime in parte idoneus, ac locuples testis, *Libro XI. Subsidiorum*, ubi brevem Scriptorum Ecclesiasticorum recensionem habet.

Sed

* Iterum in *Indiculo Sanct. Lugdun.*

Sed necdum omnia diximus. Age ergo illum audiamus, post cujus sententiam nemo aliam requiret. Erasmum intelligo Roterodamum, qui Parænesin hanc jam anno 1530. cum notis quibusdam in lucem emisit. „ Libellus, quem misisti, „ (scribit ad eundem, ut supra, Alardum). cum suis dotibus undique mirum in modum placuerit, „ tum hoc placuit impensius, quod olim puero „ mihi & lectitatum esse, & placuisse memini. „ Si quid meo suffragio tribuis, nihil video profe„ ctum a nostræ religionis hominibus, qui eloquen„ tiæ quoque gloria floruerint, quod cum hujus „ phrasi sit conferendum. Ut nusquam non præ„ stat egregium artificem, sive spectes ordinem, „ sive transitus subinde novos, sive non vulgarem „ ingressum, veluti limen argumentationis! Nul„ lam suasorii generis partem non tractat. Nus„ quam desidet in locis communibus, magis „ urget, & instat argumentis, mire pungit epi„ phonematis, delectat juxta, ac movet sententiis: „ quodque magis etiam mirandum est, sic Iso„ cratis schematibus modulata, structa, pictura„ taque est oratio, ut nusquam frigeat, aut inepti„ at: sic arguta, ut interim nervosa, sic elabora„ ta, ut tamen dilucida, sic nova, sed ut tædio „ careat affectationis, sic festiva, ut nihilo secius „ gravis, ac seria: sic rhetorica, ut γνησίως ta„ men christiana, denique sic acris, & vehemens, „ ut sui tamen ubique similis pari intentione ad „ extremum usque calcem properans sani videli„ cet, vegetique ingenii argumentum". Hoc testimonium eloquentiæ Eucherii quam elegans, tam singulare est. Venit enim ab eo, qui in genere dicendi, quo plurimum valuit, neminem facile palpavit, quod vereretur semper, ne, quantum accederet aliis, tantum sibi detraheretur. Unde sicut in scriptis *Patrum* dijudicandis erat implacabilis

bilis, ita ubicumque licebat, nec *Patrum* reverentia absterreri potuit, ut eorum monumentis parceret, muris instar, ut ex ejus nomine ludere nonnullis placuit, qui nullo discrimine & viles, & pretiosos codices arrodat.

Non ergo mirum est, si tantum in Valeriani animum libellus hic potuit. Ejus enim præceptis Rosweydus *loc. cit.* tribuit, quod ille mundum reapse contempserit, quod ad Monachos confugerit, quod denique, ut omnia dicamus, ad summam virtutem, & gloriam pervenerit, notissimus hodieque Sanctus, Valerianus Cimeliensis Episcopus. Sic autem ait Rosweydus: *Producit ille duo sæculi ornamenta, honores, & opes, quæ ita caduca, ita incerta ostendit, ut merito viri aliquot magni (quorum seriem nectit) ea contemptui habuerint. Et quidem, ut ij ad omnem mundi contemptum exemplo suo multis præluxere, ita nullum mihi dubium est, quin Eucherius cognati sui Valeriani animum illecebrosa hac dape inescarit, & a sæculi vanitatibus ad veras duraturasque spiritus delicias avocarit.* Gaspar Barthius *Libro X. Adversarior. c.* 14., *ait: Mirifice jucunde me affecit, cum eam perlegerem, parænetica Epistola Eucherii Lugdunensis ad Valerianum cognatum, cui aliam nunc gratiam rependere non possum, quam ut illustrem eam, & recenseam, faciamque opera mea, ut minus illi insit obstaculorum, quibus lectorem attentum possit morari.* Et *ibid.* infra: *Nos vero divinus hic Eucherii libellus adeo cepit, ut carmine illum totum descripserimus.* Sed nec illud omittendum est, quod multum valet ad libelli utilitatem demonstrandam, quam plurimas ejusdem impressiones curatas ad usum juventutis. Occurrunt passim illæ in Bibliothecis *Marianarum Congregationum*, quarum impensis inter adolescentes distributæ sunt; quod nihil censeretur blandius, efficacius nihil ad teneras mentes a sæculi illecebris abstrahendas. Eadem

de

de causa Rosweydus ipse Antwerpiensi prælo, eoque nitidissimo edidit, *ut*, quemadmodum inquit, *homines sæculi fastu turgidi, opibus inflati discant cervices ponere, aurum calcare, & ad religionis portum enavigare.* Videri etiam potest Galesinius *loco supra allegato.*

Secundo loco laudandus est libellus *de laude Eremi*, de quo ita S. Isidorus Hispalensis, primo jam capite citatus. *Edidit ad Hilarium, postea Arelatensem Antistitem eremi deserta petentem unum opusculum de laude ejusdem eremi luculentissime, & dulci sermone dictatum. In quo opere laudamus doctorem, etsi pauca, tamen pulcra dicentem. Brevitas enim, ut ait quidam *, laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.* Dionysius Faucherius Monachus Lerinensis, qui opusculum hoc e pulveribus, situque vindicaverat, vocat *Epistolam stylo elegantem, qua vitæ monasticæ institutum miris laudibus effert.* Item *pretiosissimum thesaurum, ac rem nullo satis digno pretio æstimandam: cujus artificium, eloquentiamque cum christiana pietate conjunctam, si laudare voluerit, fore, ut superfluus merito possit judicari. Elegantissimun illum libellum*, ait Raynaudus *loc cit.* in *secessu prope Lerinum conscriptum ad Hilarium, postea Arelatensem Præsulem, pridem a Genebrardo editum, recognitum, ac dissectum recudi nuper curavimus, ut lucubratiuncula longe elegantissima fruerentur, qui eam intercidisse proxime expostulabant, eaque idcirco magnam Patrum Bibliothecam fraudarant **.* Idem Raynaudus alibi ***: *Exquisitas prærogativas, quibus solitudo jam olim decoratur, complexus est vernantissima scriptione Eucherius.* Denique Dionysius

* Ciceronem *in Bruto* significat.
** Porro ipsam Raynaudi editionem nunquam vidimus.
*** *Tom. IX. dissertat. 12. de S. Maria Egyptiaca.*

nyſius Sanmarthanus *Tom. IV. Galliæ chriſtianæ pag.* 23. *Scripſit Eucherius*, inquit *de laude Eremi, ſeu de vita ſolitaria libellum elegantiſſimum, conceptuum eminentia, verborum ornatu, facili, ac cum lenitate fluenti oratione præſtantiſſimum.*

Tertio loco veniunt Sermones ſeu Homiliæ complures, Euſebio primum Emiſſeno, poſt Euſebio cuicunque Gallicano adſcriptæ. Tam autem latinæ ſunt plerumque, ut mirer ego, tamdiu tribui Scriptori græco potuiſſe, niſi forte, qui viderunt, ultra *titulum* legendo progreſſi non ſunt. Quotquot de iis commemorant, *elegantes* dicunt, & Gagnei editionibus appellatio *eloquentiſſimarum, & religioſiſſimarum* præfixa fuit. Certe Eucherium in eis vides, ſi alia argumenta deeſſent, ipſeque per ſe loquitur, ſuas eſſe. Stylus quippe idem, vividus univerſe, ſententioſus, ſuavis, feſtivus, antitheta ubique immiſcens, & verbis non multis comprehendens quamplurima, quæ nequaquam evolvit, ſed lectori meditanda relinquit. Andreas Sauſſajus *loc. cit.* ait, *eas Eucherium omni venuſtatis flore, & pietatis affectu concinnaviſſe.* * Non tamen ſimiles ſunt omnes ſive elegantia, ſive robore, & aliquæ ad Fauſtum Rhegienſem, & etiam Cæſarium Arelatenſem, multo minus diſertum ſpectant. Corpus ipſum venuſtiſſimum eſt, atque etiam comptum: verum minus elegantia illi affuta ſunt. Sed Raynaudum denuo audire debemus *eod. loc. Indiculi. Quo minus*, inquit, *omnes quinquaginta homilias per errorem Euſebio Emiſſeno tributas, Eucherio vindicatas velim (nam ceteræ, quæ de Tempore dicuntur, ac Euſebio item Emiſſeno perperam*

---

* Vide etiam Gaſparis Barthii *caput* 16. & 26. *Libri XLIII. Adverſariorum*, & Andream Schottum *Præfatione ad Euſebium Gallic.* ubi haud obiter agitur de hoc corpore Homiliarum.

*peram adscriptæ sunt, ne pilum quidem, vel atomum nativæ Eucherio elegantiæ habent *) facit styli in plerisque dissimilitudo, & quod aliquas ex eis Fausti Rhegiensis, aliquas Maximi item Rhegiensis, nonnullas Cæsarii esse, aut Hilarii Arelatensis, evictum jam pridem videam a Bellarmino, aliisque recentioribus, quorum judicia frons postremæ earum homiliarum editionis præfert.* Ibidem ad earum laudem digressus celebrat *concinnitatem, & acutam venustatem, quam in eo prisci omnes suspexerint.* De repertis vero a Joanne Livineio, & ad calcem catechesium B. Theodori studitæ positis ita pronuntiat: *De quibus idem judicium ferendum est, quod de superioribus, nimirum aliquas quidem nitorem Eucherii, venustatemque redolere, nec injuria ei adscribendas videri: quasdam tamen alium omnino parentem habere.* Id quod etiam nominatim de illa, quæ est in *Sacerdotis*, & altera in *S. Honorati depositione,* tametsi pereleganti, & culta, ostendit. Elegantissimi loci fere sunt in Sermonibus ad festa Martyrum popularium. Recteque Raynaudus *in eod Ind.* dixit: *Vivam illam cognati vocem sanguinis ** apud eundem omni tuba clarius insonare.*

De Libro *Formularum spiritualis intelligentiæ ad Veranum*, & duobus aliis *Instructionum ad Salonium* super difficiliores quæstiones sacræ Scripturæ, non est, cur plura dicamus. Etsi enim eos Marcellinus Comes in *Chronico*, & eosdem vir literatissimus Andreas Schottus in *Recensione* non qualiacunque, sed *necessaria scripta* vocet, etsi splendida Rustici laus, capite primo allata, ultimos hos maxime respiciat, tamen ex argumenti conditione rheto-

* Sunt S. Brunonis Astensis, seu Signiensis dicti, qui diu post vixit.

** Quæ ipsius Eucherii phrasis est *Homil. de SS. Epipodio, & Alexandro.*

rhetoricari in iis minime licebat. Non nisi docere tum Eucherius voluit, *consectans*, ut in *Præfation. ad Salon.* ait, *non tam eloquii exultantis ambitum*, *quam necessariæ brevitatis modum.*

Aliter dicendum *de Epitome Cassiani* ab Eucherio concinnata: verum hæc magno rei christianæ detrimento intercidit; id quod tanto magis dolendum, quod B. Petri Damiani ætate adhuc extabat: uti patet ex *Opusculo* ejus *XXVIII*, quod capite primo allegatum est. Ibi enim hæc habet: *Legite collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreviare studuit.*

Plura dabunt Guilielmus Paradin in *Historia Lugdunensi Libr. II.* cap. 1. Vincentius Barralis Salernus in *Chronologia Lerinensium*, et qui jam ante prodiit Jacobus Severtius in *Chronologia Historica Antistitum Lugdun.* Josephus Antelmius in *Dissert. de unico Eucherio.* Hanc cum morte præventus ipse non absolvisset, frater ejus Carolus editurum se est pollicitus: an vero promissis steterit, ego quidem non scio, certe scriptionem ipsam necdum vidi. De lamure in *Historia Eccl. Lugdun.* P. De Colonia in *Biblioth. Auctor. Lugdun.* Ignatius Weitenauer *Subsidior. Libro XI.* Denique Critici Dupinus, Tillemontius, Ceillierius &c. cum quibusdam rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus. Nobis priores illi non sine delectu adhibiti abunde sufficiunt.



DISSERTATIO XI.

De Eloquentia Salviani.

CAPUT I.

Commendatio, & celebritas ejus.

Inter eloquentissimos Latinorum Patrum Salvianus numerandus est, de quo partim incuria, partim infelicitate temporum eorum; est factum, ut sane quam paucissima habeamus. Quidam Aquitanum, alii Trevirensem, iterum alii Coloniensem faciunt. Nobili loco natus, & præsidiis omnibus excultus ad humanitatem, Palladiam uxorem duxit. Qua primum ad Sacra nostra, post ad continentiam quoque adducta, in Ecclesia Massiliensi Presbyter est factus. Fuit autem summis ea ætate viris Agrœcio Antipolitano, S. Honorato Massiliensi, S. Eucherio Lugdunensi non usu tantum, sed amicitia, & intima necessitudine conjunctus. Quantum vero eruditioni, & eloquentiæ ejus Eucherius tribueret, ex eo satis manifestum est, quod cum ipse doctissimus, atque una disertissimus esset, filios tamen suos Salonium, & Veranum, summæ spei juvenes Salviano tradidit, humanis æque, ac divinis literis imbuendos. Falluntur autem vehementer, qui Episcopum faciunt. Error inde est ortus, Quod in quibusdam Gennadii editionibus homilias *Episcopus factus* multas composuisse dicitur, cum potius homilias *Episcopis* vel *ad Episcopos factas* legendum sit. Vir enim doctus, & magnam dicendo celebritatem consecutus inter alia sermones quoque conscripsit, qui post ab ipsis Episcopis, ejus operam frequenter expetentibus, in Ecclesia recitarentur. Quæ eadem sane causa est, ob quam Gennadius *Magistrum Episcoporum* eum appellat.

Hæc

Hæc non alia fcimus, ad Salvianum pertinentia; quare ad teftimonia convertimur, quæ varii cum veteres, tum recentiores fcriptis ejus graviffimis tribuerunt.

S. EUCHERIUS in *Nuncupatoria librorum fuorum ad Salonium* Salvianum dicit *eloquentia pariter fcientiaque præeminentem.*

S. HILARIUS Epifcopus Arelatenfis *Serm. de vita S. Honorati cap.* 4. Salvianum cum alias, tum nominatim propter fcripta fua *egregium, & in Chrifto beatiffimum virum* appellat.

GENNADIUS *in Catalog. Viror. illuftr.* ait: *Salvianus apud Maffiliam Presbyter humana, & divina literatura inftructus, & ut absque invidia loquar, magifter Epifcoporum fcripfit fcholaftico, & aperto fermone multa &c.*

Poft hos altum de Salviani eloquentia filentium; nifi forte apud eos, qui Gennadium pro more exfcripfiffe contenti fuerunt. Latuit enim auctor in bibliothecarum angulis usque ad

JOANNEM ALEXANDRUM BRASSICANUM, qui primus protraxit in lucem, & typis edidit. Hic vero eloquentiæ Salviani ejusmodi elogium texit, ut in ejus laudibus, quæ funt ampliffimæ, ordine prædicandis nefcire videatur, quid primum in eo admiretur, quid poftea comprobet, quid poftremo laudibus vehat, & demum fuperlatione homerica eum præferat omnibus. Sed quæ minus verbofe dicta funt, huc tranfcribamus.

„ Quis, exclamat, hoc Salviano vel fanctius, vel
„ incorruptius de iis omnibus rebus, quas maxi-
„ me conveniebat effe fublatas e medio, fcripfit?
„ quis chriftianos fibi perverfe blandientes, ita
„ nominis fui rationem habere admonuit? quis ita
„ probabilibus argumentis docuit, nos, omnes
„ tandem calamitates, pericula, & excidia non
„ a Deo pati, fed noftro vitio, ftultitia, atque

 „ per-

„ perversitate mala tanquam cæcias nubes in ca-
„ put nostrum advocare. . . . Jam quis planius
„ ostendit, nullos omnino homines ita summi sui
„ Imperatoris præcepta, vel minima illa pro nihi-
„ lo ducere atque Christianos? quis certius pro-
„ bavit, nos esse reliquis omnibus, utcunque bar-
„ baris, & incultis gentibus improbiores, qui Deum
„ etiam ipsum incredibili pietate singulis exposi-
„ tum, invitum, & nolentem (utcunque perditi
„ simus) in perniciem nostram non aliter, quam
„ Thessalæ mulieres lunam e cœlo deducentes ex-
„ citamus. Omitto, quam graviter ille divites,
„ ac potentes in ordinem redigat, quam illos de
„ cœlo detrahat, quam officii sui meminisse do-
„ ceat, quando ex iis turpissima vivendi exempla,
„ si sint impotentes, & improbi, in universos
„ omnium mores defluant. Rursus quam solicite
„ pauperum, hoc est innocentiæ causam agit:
„ quam unum aliquem ex multis, omnibus flagi-
„ tiis coopertum, non nominatim perstringit, sed
„ ita alloquitur, ita corripit, ut ferme cum om-
„ nibus loqui videatur; quoniam de vitiis iis lo-
„ quitur, quæ nescio an non in omnibus abunde
„ reperiri possint? Probat autem non tantum ap-
„ posite sacrarum Literarum præsidio, verum et-
„ iam feliciter, quidquid semel instituit, & ut in
„ castigando mirus est artifex, ita & in docendo,
„ formandoque magister est acerrimus. Adhæc
„ suæ ætatis excidia quædam, & post excidia et-
„ iam crescentia vitia sic ob oculos ponit, sic lu-
„ culenter exponit, sic historica fide narrat, ut
„ mihi videre videar hoc corruptissimum sæculum
„ tanquam in tabula graphice expressum: adeo
„ strenue a nobis desudatum est, ne superiorum
„ etiam ætatum perversissimis hominibus videre-
„ mur ex aliqua parte esse meliores. Socratis
„ autem platonici sententiam de communibus uxo-
„ ribus

„ ribus, atque liberis, utcunque ab Attico, Græco
„ Philosopho, defensam, nemo, quantum ego
„ quidem judicare possum, vel verius confutavit,
„ vel rectius everti posse prorsus invictis, ac hone-
„ stissimis argumentis ostendit. Atque hæc ad ju-
„ dicium, integritatemque summi Scriptoris atti-
„ nent. De eruditione modis omnibus absoluta
„ nemo rectius judicabit, quam qui libros illius
„ legerit, meditataque diligentia non semel evol-
„ verit. „

Idem Brassicanus in *Hendecasyllabis* operi præfixis Salvianum vocat *magnum Scriptorem, scriptorum decus elegantiorum, dignum, quem studiis, modisque cunctis mirentur, celebrent, legant frequentes, quotquot sunt, aut aliis erunt in annis magni judicio, & viri periti.*

SIXTUS SENENSIS *in Bibl. Sanct.* Libros Salviani *multa laudatissima opuscula* vocat.

DIONYSIUS FAUCHERIUS *supra* in Eucherio *citatus* virum affirmat Salvianum, *in quo cum vitæ sanctimonia eruditio, & eloquentia certare videbantur.*

PETRUS PITHOEUS, cum Nicolao Fabro Galliæ Regis Consiliario Salvianum nuncuparet, istuc, ni fallor, insigne in Salviani commendationem profitetur: *Quamquam autem ea nunc morum labes est, ut neque mala nostra, neque remedia pati posse videamur; quando tamen ægroto, dum anima est, spes esse dicitur, dedi & hoc spei nostræ, ut Salviani de non absimili sæculo querelas nostris potissimum hominibus exponerem, quibus nullum tot, tantisque malis præsentius remedium esse putavi.*

JOANNES THEODORICI MACHERENTINUS Soc. nostræ Theologus, vir magna opinione sanctitatis, ad exscindendam avaritiam nullum præsentius medium putavit, quam si Salvianum ea de re agentem ederet, atque illustraret; illud utique persuasum habens, Viri eloquentiam divinam potius, quam hu-

manam esse, Cum enim *in Nuncupatoria* apud Servatorem amare de cupiditate, duritia, & cæcitate divitum questus esset, denique ad calcem in has voces erumpit; *Placeat tibi Domine, ab oblivione Sanctorum Patrum nostrorum doctrina vindicetur, quæ eadem tua est. Prodeat zelo tuo ardens beatus servus tuus Salvianus, & eloquentiæ suæ, aut potius tuæ fervore legentium pectora inflammet.*

CONRADUS RITTERSHUSIUS editor, admirabili vir eruditione, atque notitia antiquitatis, tanti libros Salviani fecit, uti eum *totius orbis christiani magistrum* appellaret.

GASPAR BARTHIUS *Libro XLIII. Adversar. c.* 16. jam doctissimum, jam eximium scriptorem sane diligenti *lectione dignum,* jam *virum clarissimum eloquentia* affirmat. Eundem rursus laudat *Libro XXIX. Adversarior. c.* 3.

ANDREAS SAUSSAJUS Episcopus Tullensis *in Martyrolog. Gallican. ad diem XXII. Julii* vocat *scriptis, & meritis gloriosum, qui cælestis sapientiæ irradiatus lumine, ætate sua jubar rectæ fidei, & sanctimoniæ perfectæ speculum nitidum fuit, cumque adhuc esset Presbyter, jam magister Episcoporum Veranum, & Salonium Episcopos fratres, S. Eucherii Lugdunensis filios, postea laude sapientiæ christianæ insignes, in divinis theorematibus erudiverit. Ad quem Salonium libros suos plane cælestes de divina Providentia dicatos miserit, & inscripserit. Libros etiam sub Timothei nomine de Ecclesia catholica concinnasse*, addit, *in quibus cernere sit, quam corruptus jam esset hoc ævo Cleri, ac populi christiani status; contra quorum vitia vir totus zelo Dei plenus mirum in modum excandescat, & apostolici spiritus vehementia acerbe invehatur.*

THEOPHILUS RAYNAUDUS quoties fere Salviani mentionem injicit, scripta viri, & eloquentiam commendat. Sic *Tom. XI. de confix. Libror. pag.* 279. *diser-*

disertissimum, Tom. II. pag. 342. *non minus elegantia scriptionis, quam pietate præstantem* dicit. Quam sæpe autem, & qua laude adjecta locos ejus transcribit, ac gemmarum instar orationi immiscet!

CARDINALIS BONA *in Notit. Auctor.* Salvianum *cultum, ac pium auctorem, sæculi sui Jeremiam* dicit. Quod ultimum ei præconium propter vehementiam, ac libertatem jam ante Cardinalis *Baronius ad ann.* 406. Andreas Libavius in *Prolegom. edit. Rittershusian.* Dominicus Bouhours in *dictis ingeniosis Patrum,* aliique plures tribuerunt.

NATALIS ARGONENSIS, de Salviani facundia quid sentiat, in Dissertat. de eloquentia S. Paulini jam est indicatum.

RENATUS RAPINUS *de Eloquent. Sacr. considerat.* 11. Salvianum inter paucos eos PP. ponit, qui neque sicce, neque aspere scripsissent, aut depravato temporum eorum gustu corrumpi sese passi essent.

Venerab. PAULUS SEGNERI, Italorum Cicero, quo nemo melior testis hac in re adhiberi potest, *Serm.* 5. *Quadrag.* Salviani *divinam facundiam* appellat. Sed & alii summi concionatores, quemadmodum scriptis ejus utuntur frequenter, sic allegatum vix unquam sine commendatione singulari dimittunt. Norunt id, qui in hoc genere studiorum versati sunt. Itaque missa facio nomina eorum, contentus unicum memorasse, sed eum, qui sit instar omnium futurus, Ludovicum Burdaloueum. Neque enim uno loco prodit, quantum & tribuat huic nostro, & quantum ex sensis, & argumentis ejus mutuetur.

BOLLANDIANI *ad diem XXII. Julii inter dimissos,* ut Salvianum neque Sanctum, neque Episcopum faciunt, sic propter *scripta & merita, longum & elegans elogium viro præclarissimo debitum non negant.*

STEPHANUS BALUZIUS *in Præfat. operum, elegantissimum scriptorem* appellat.

JOSEPHUS JUVENTIUS, cujus in humanitate dijudicanda & sanissimum judicium, & usus plurimus, & gravissima auctoritas est, in aureo opere, quod *de ratione discendi & docendi jussu, & auctoritate Congregat. General. XIV.* edidit, *Part. I. cap.* 3. *art.* 2. Magistris scholarum inferiorum vehementer auctor est, uti diebus dominicis mane e SS. Patribus latinis præter Cypriani & Ambrosii, Salviani etiam elegantiores locos, & illustriores ad pietatem non minus quam eruditionem alendam volvant.

Me quod attinet, hoc ipso summi viri hortatu animatus primum ex omnibus Patribus Salvianum in manus sumpsi, & non semel tantum, sed terque, quaterque legi; neque diffiteor, voluptatem, quam ex ejus lectione maximam cepi, in causa fuisse, uti ad alios quoque accederem, denique post annos plures huic maxime rei impensos, opus istuc molirer. Quare mirari nemo debet, si cum comparatione ad molem libri, ex nullo alio tot schemata allegabo: si pro viribus, quoties id licet, commendo, si transferri in omnes linguas cupio, si denique suasi semper, & nunc suadeo, uti qui ad conciones adjecerint animum, hac maxime ætate, nunquam e manibus Salvianum dimittant, eundem spolient totum, atque exscribant, neque dedecori sibi ducant, ejus viri labores usurpare, qui, eo tempore, ubi tot summis viris Galliæ florebant, moresque hominum æque perditi erant, delectus adeo ab Episcopis fuit ad conciones scribendas, quas ipsi memoriæ mandatas publice coram populo recitarent.

Sed nemo Salviani eloquentiam dignius celebravit, atque interpretes duo Galli apud *Trivultienses anno* 1735. *&* 1702. quorum elogiis sua quoque iidem Censores addiderunt, quæ ut vertere longum, ita ibidem legere jucundissimum fuerit.

CA-

CAPUT II.

Character proprius, & peculiaris.

Idem Brassicanus, quem ante laudavi, & qui de Salviano præ omnibus optime est meritus, *loco dato* ita stylum ejus describit. „ Gennadius illi „ sermonem scholasticum, & apertum tribuit; quo „ nomine mirum in modum commendari meretur. „ Si apertus est (ut est egregie dilucidus) quæ ma- „ jor illi laus accedere potuisset? quoniam summa „ virtus orationis est perspicuitas. Si scholastico „ sermone præcellit, neque hoc vulgare, aut asper- „ nandum fuerit ornamentum; præcipue si ita ni- „ tidum, si purum, si eruditum, ac explicatum „ sermonem Gennadius intellexerit. Nam nihil „ minus est illius oratio, quam quæ scholastica, si „ ita inelaboratam, frigidam, ac eruditis auribus „ minime ferendam velis intelligere. In aliis sui, „ aut paulo superioris sæculi Scriptoribus Severi- „ no, cognomento Boëthio, Cassiodoro, Clau- „ diano Mamerto Episcopo Viennensi, Sidonio „ Apollinari, Ennodio, ac aliis nonnullis non ubi- „ que puritatem latini sermonis agnoscimus: in hoc „ nostro plane nihil est, quod ferri non possit, nisi „ quod paucis quibusdam dictionibus suo sæculo, „ ut puto, familiaribus raro admodum utitur, at- „ que ita utitur, ut non ingenii, sed ætatis suæ vi- „ tio, usus esse videatur. Et cum reliquis Gallis „ peculiaris sit quædam grandiloquentia, illius ora- „ tio sic est constituta, ut nusquam supra modum „ assurgat, nusquam in illa emineant venæ, nus- „ quam ossa numerentur: sed temperatus, ac bo- „ nus sanguis impleat omnia membra: denique ner- „ vos ipsos, & robur tegat, & venustas commen- „ det. Quamobrem ut illum non arbitror omni- „ bus esse præferendum, ita neminem etiam ex illis „ antiquioribus illi præfero: quippe qui & erudita

„ pietate, & juxta pia eruditione summos etiam il-
„ los Antistites (neminem autem in invidiam voco)
„ multis stadiis præterierit. Ne vero vel impu-
„ dentius de illo judicare, vel arrogantius pronun-
„ tiare videar, exponam ordine, quanta ille feli-
„ citate, atque dexteritate scribendi usus sit. Ve-
„ rum itaque judicium, & attentam Dei providen-
„ tiam allerturus, non tantum sacrarum Literarum
„ munimentis, verum etiam omnium meliorum ar-
„ tium præsidiis utitur, & in hunc modum utitur,
„ ut dubites, an fortior sit in demoliendis impio-
„ rum argumentis, quam expeditus in nostris astru-
„ endis: qui certe nervi, ut Lactantio Firmiano,
„ ita & multis aliis defuisse videntur. Ad hæc, ut
„ multa paucis colligam, quis ordinis elegantiam,
„ quis exquisitos transitus, quis explicatissima ar-
„ gumenta, quis felicissima epiphonemata, quis
„ annominationes festivas, quis suasorii generis om-
„ nes partes, quis contentiones arduas, nec minus
„ jucundas, quis sententias graves, quis exclama-
„ tiones vehementissimas, quis insignia antitheta,
„ quis instructissima dilemmata, quis Isocratis om-
„ nia schemata tanta felicitate, copia simul, ac ve-
„ nustate exhibuit? „

Itaque hæc expendentibus nobis, Lector optime, quatuor potissimum occurrunt in eo plane singularia, quæ ita eminent, ut nescias, utrum alteri præponderet, & frustra fere in aliis, etiam celeberrimis oratoribus conjuncta ea requiras. Sunt autem illa fervor, & impetus uni illi proprius, robur, densitas, ac dispositio argumentorum, amplificatio, & copia admirabilis, venustas denique, elegantia, pigmentis, floribusque omnis generis illustrata, quæ omnia sive nostris, sive aliorum verbis magis adhuc, magisque explicanda sunt.

Et primum quod attinet, ardens illi ingenium, quod fræno semel laxato contineri vix potest, quin inci-

incitet orationem, & procurrat, & rapidiſſime, liberrimeque feratur. Eleganter Cauſſinus *De eloquent. Sacr. & hum. Libr. III. cap.* 14. *Vis*, inquit, *& impetus Salvianum ſtipant quaſi ſatellites.* Et *Libr. XIV. cap.* 26. cum mirificam ejus vocaſſet acrimoniam & vim dicendi, ſubjicit aliqua, ex quibus (ita enim loquitur) hominis *impetum cum Demoſthenico comparandum* poſſis agnoſcere. Conſpirat cum Cauſſino Scriptor nuperus Franc. Xav. Mannhart in opere, quod *Bibliothecam domeſticam* vocat, *Libr. IV. cap.* 6. ubi ſic habet: *Salvianus ut plurimum abripi ſe paſſus quodam orationis æſtu, ac impetu non inferiore illo, quo Demoſthenes, tonabat potius, quam perorabat.* Ardorem hunc animi inflammabat magis zelus quidam, & vehementiſſimum ſtudium ad gloriam Dei, & Eccleſiæ tuendam, ſervandosque mortales, velut ex condicto ad interitum properantes. Quæ ſi cogitemus, nunquam vitio illi dabimus affectus tragicos, paradoxa grandia, & quantamcunque loquendi, & increpandi libertatem. *Ita exaggerat vitia chriſtianorum,* ait Bellarminus, *& maxime Clericorum ſui temporis, ut nimius videri poſſet, niſi ex vero zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum oratio ejus proficiſceretur* *. Atque iſtuc de ſe ipſe confitetur, quando in Epiſtola, *libris ad Eccleſiam* præfixa, incognitus, & quaſi de alio quodam loquens, ita animum ſuum velut oculis ſubjicit: „ Scriptor ille, ut etiam „ ſcripta ipſa teſtantur, habet hunc in ſe cultum, „ & affectum Dei, ut Deo nihil præponendum putet; ſecundum illud ſcilicet Domini noſtri dictum, „ quo ait: *Qui amat filium, aut filiam plus quam me,* „ *non eſt me dignus &c.* Videns igitur Scriptor ille, „ quem diximus, graves, atque multiplices chriſtianorum pene omnium morbos, atque a cunctis „ in Eccleſia poſitis non ſolum non poſtponi omnia „ Deo,

* *Libr. de Scriptorib. Eccleſ.*

„ Deo, sed prope cuncta præponi &c. commune „ hoc esse malum prope universorum, labemque „ hanc non ad mundiales tantum homines, sed „ etiam ad pœnitentes, atque conversos, ad viduas „ quoque jam continentiam professas, atque ad „ puellas in sacris altaribus consecratas, quodque, „ ut ita dixerim, prope inter monstra reputandum „ est, ad Levitas etiam, atque Presbyteros, & „ quod his feralius multo est, etiam ad Episcopos „ pervenisse, ex quibus multi, quos supra dixi, „ sine affectibus, sine pignore, non familias, non „ filios habentes, opes & substantias suas non pau„ peribus, non ecclesiis, non sibi ipsis, non deni„ que, quod his omnibus majus est, ac præstantius, „ Deo, sed sæcularibus vel maxime & divitibus, & „ extraneis deputarent: factus est in corde ipsius, „ sicut scriptum est, zelus Domini quasi ignis ar„ dens, & quia æstuantibus sacro affectu medullis „ suis, aliud in tali æstu non potuit, in vocem do„ loris erupit.„

Neque opus habebat Salvianus id de se confiteri; nam qui aliter sit comparatus, qui zelo non flagret, ita scribere nequaquam potest, nisi forte superbiæ, & impotenti animo adscribere volumus severitatem illam, ac libertatem? Sed qui obsecro id cogites de homine, qui temperantiæ studio nomen adeo suum suppressit in primario opere? qui hac ipsa, quam diximus, epistola, omnium minimum se, atque postremum judicat, qui inter alia hæc dicit: „ Sed ta„ men, quod confitendum est, præcipuum illud „ fuit, quia scriptor ille, ut legimus, humilis est „ in oculis suis, & vilis sibi, exiguum se penitus, „ atque ultimum putans, & hoc, quod majus est, „ mira fide, non officio humilitatis assumptæ, sed „ judicii simplicis veritate. Unde est, quod jure „ se etiam ab aliis talem habendum putans, qualis „ a semetipso haberetur, recte libellis suis alienum

„ no-

„ nomen inseruit; scilicet, ne auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ parvitas derogaret. Omnia enim amodo dicta tanti æstimantur, quantus est ipse, qui dixit. Siquidem tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac pene tam nulla, ut qui legunt, non tam considerent, quid legant, quam cujus legant: nec tam dictionis vim, atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur Scriptor ille abscondi, & latitare omnibus modis voluit, ne scripta, quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen auctoris. „

Ne igitur aliud in Salviani reprehensionibus, & quantacunque sermonis vehementia cogitemus, quam ardorem mentis sæculi ejus licentia atque impietate succensum; cujus proin culpa, siqua esset, non ipsi, sed ceteris, quibuscum vivebat, sit tribuenda. Theophilus Raynaudus *Tom. XI. de confix. libror. pag.* 259. „ Non modo, cum agitur contra hæreses, inquit, aut errores, sed etiam, cum mores perversi oratione forti sunt perstringendi, innoxia esto severitas, & non parcens iniquitati mordacitas. Quam enim asper, & mordax in Afros, & Gallos suos Salvianus in opere de Providentia? quam salitus in libris ad Ecclesiam Timothei nomine? Nemo tamen eam asperitatem scriptionis, & quasi piam sævitiam reprehensione dignam dixit, quin potius summopere celebravit Salviani zelum, quisquis corruptissimos illius ætatis mores valide, & absque palpatione defricandos perspexit. „ Et iterum *ibid. Hæc durities, & asperitas exprompta ad modum propositum non est vitio vertenda scriptori, sed referenda est in conditionem materiæ.* Id quod ex ipsius Salviani, in sui temporis depravatissimos mores styli strigilem, ut ait, stringentis, excusationibus conficit *. Addo, ipsa

* In *Epilogo* Operis ad *Eccles. Cathol.*

ipsa paradoxa, in quibus totus est, & unde vehementiæ quam plurimum petit, nihil assurgere supra verum, neque artis potius, quam ipsarum rerum partus esse *.

Atque hæc ideo fusius tractanda duximus, ne qui Salvianum legunt, imitari hac in parte vereantur, sed potius cum res postulat, exemplo ejus animati nomine christiani proposito in ruborem dent sceleratos, adversitatum nostrarum invidiam retorqueant in scelera, in ingratitudinem, in avaritiam, luxum, libidinem, crudelitatem, quibus barbaris omnibus improbiores quidam facti sunt, maxime de genere potentum, divitum, ac magistratuum. Medicos enim cogitare se debent, qui desperata ulcera ferro, ac flammis adoriuntur, repugnet licet æger, & vociferetur, & in rabiem, furoremque convertatur. Sæculum & ipsi vivimus, quod nullæ plagæ, clades nullæ emendarunt. Itaque eadem severitate usi ardentes illas actiones, minas, contentiones, exclamationes in subsidium vocemus, insurgamus omnibus lacertis in sceleratos, Dei, suique oblitos homines, exscindamus rapacitatem, adulteria & impuritates theatrorum: innocentiæ causam agamus: pseudophilosophos, & effæminatos Sybaritas tamdiu proscindamus, terreamus, exagitemus, rubore suffundamus, dum vehementia nostra veluti fulminum, aut grandinis incussa vi defixi, atque attoniti resipiscant tandem: vel si perditos servare jam non licet, præservemus ceteros, ne eadem contagione & ipsi perdantur. Tolli ista non possunt? at possunt coërceri. Ad quod brevi obtinendum ingens in Salviano exemplar propositum est, qui, solo fors Chrysostomo excepto, parem in eo genere nullum habet, vitiorum implacabilis

* Quod Salvianus eloquentiæ artibus ævi sui flagitia non exaggerarit, ostendit *Baronius ad ann.* 428.

cabilis adversarius, & disciplinæ christianæ rigidissimus exactor. Hæc de impetu, & vehementia Salviani. In ceteris, quæ minoris sunt momenti, breviores erimus.

Alterum, quod comendari in Salviano debet, est robur, densitas, & dispositio argumentorum: & ipsum magna utique dos oratoris. Sic autem in ea noster excelluit, ut paulatim velut per gradus ascendat ad oppugnandum, & undique opera molitus claudat inlessos, ac neque eruptioni, neque effugio locum relinquat. Id quod vel maxime in confutationibus apparet, ubi instat, & urget, & propellit summo nisu, inversionibus vero, & retorsionibus ipsum non raro Ciceronem superare mihi videtur; tam est invictus, tam subitus, & arduus imminet, tam naturalem tenet ordinem rerum, ac rationum.

Porro amplificatio, & copia ejus singulares sunt. Versat enim argumenta multiplici varietate dicendi, diducit omnia, probeque expendit: denique eandem rem pluribus velut faciebus ostendens, magis, magisque auget, dilatat, exaggerat, vel contentum jam, & expletum lectorem non dimittens, dum ipse sibi fecerit satis, longeque plura præstiterit, quam pollicitus erat. Quare non capio, quid Sixtus Senensis præter latinum, & candidum, *succinctum* quoque illi *sermonem* tribuat: nisi forte ad ea respicit, quæ interciderunt? Tum vero nova quæstio: quomodo discernere potuit, quæ nunquam vidit?

Venustas denique, & elegantia Salviani longe supra ætatem. Equidem nihil horum affectavit, sed quod sponte nascerentur, oblata minime rejecit, ut solent, qui rebus magnis intenti sunt, de minoribus non nisi obiter curare. Ipse de se in libros *de Gubernat.* præfatus hunc in modum loquitur. *'Nos autem, qui rerum magis, quam verborum amatores, utilia*

utilia potius, quam plausibilia sectamur, neque id quærimus, ut in nobis inania sæculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur, in scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia; quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant, quam ægrotorum mentibus prosint, magnum ex utraque re cælestibus donis fructum reportaturi.

Vel sic tamen, cum se minime comat, & exornet, placet, & rapit mirifice Salvianus. Theophilus Raynaudus *libr. cit. pag.* 260. cum dixisset, sermones *de Cardinalibus Christi operibus*, quibus ipse quam plurimum defert, Salviano tribui a nonnullis: negat se ei sententiæ accedere posse, *quod sibi cultior, & planior videretur Salvianus.* Et certe quam plurima in eo reperire est, quæ delicatis etiam, & elegantiæ studiosissimis arridere debent, amœnas descriptiones, grandes, generosasque sententias, transitiones facillimas; item quam perpetuas, tam varias, subitasque conversiones figurarum, numeros ipsos constantes, mixtum gravitati leporem, omnemque pompam, & amœnitatem dictionis. Itaque longissime abest, ut vastus fiat, ac deformis in reprehendendo. Ipsi adeo questus, & lamenta, & expostulationes jucundæ sunt, quod suavitatem ubique novit aspergere, & acorem illum suum temperare. Id quod sane plures animadverterunt. Joannes de Bussieres in *Floscul. historiar. part.* 2. *Illustravit Gallias*, inquit, *Salvianus Massiliensis, suavissimis querelis, & ipso melle conditis ævum incusans.* Sed jam ante Brassicanus *in Hendecasyllabis meras* apud Salvianum, *'delicias, meros lepores, nectar, & nepenthen, & casiam, & rosas* promittit. Nec parum ad id conferunt ipse stylus, & latinitas viri. Etsi enim non omnino purus est, & sæculo suo quid dedit, tamen vel non offendit legentem, vel tam facile iterum permulcet, ut venia ne opus sit quidem.

Abbas

Abbas Ladvocat ita in hanc rem pronuntiat: *Opera hæc scripta sunt stylo elaborato, nitido, facili, & amœno.* Quæ vera sunt singula, si minutias quasdam non attendimus, ut fere in pulchro corpore exiles nævi vix advertuntur nisi a curiosis. Tales sunt repetitiones quædam eorumdem verborum, & scabrities nescio quæ, ac interjectiones longiores, quæ filum sermonis rumpant potius, quam interrumpant. Quæ meo judicio inde sunt orta, quod etsi quædam per otium formaret, multa nihilominus, quæ primo calore cogitationis conceperat, effunderet magis, quam parturiret. Id quod fere omnibus accidit, qui natura sunt extemporales. Ipse enim ardor ingenii facit, ut ad recognoscendum tardiores se præbeant, citiusque expromant nova, quam vetera eliment. Ad illud facti sunt, ita fert eorum indoles: hoc contra naturam est, cum qua hic pugnare semper difficile, præsertim iis, qui gloriæ non serviant, neque famæ sint appetentes.

Neque omitti hoc loco debent paradoxa Salviani, quæ passim ille immiscet, & quibus inter Latinos parem nullum habet. Ejusmodi sunt: *Illuc devenisse nos, uti donum fidei plus obsit nobis, quam prosit: Non jam vitii, sed virtutis nos pudere: Nihil nobis vilius anima, & Deo esse: Infideles atque hæreticos, quo minus ad fidem accedant, a nobis maxime impediri: Plus nocere nos Religioni, quam ipsos ejus hostes: Subditos plus jam a Dominis, quam ab hostibus perpeti: Ante nos a vitiis, quam barbarorum armis superatos: Bonitate Dei pejores nos reddi: Liberos una opum, & vitiorum paternorum hæredes fieri: Nemini minorem a nobis fidem haberi, quam ipsi Deo: Paucos esse vel inter christianos, qui vere crederent, quod credere se profiteantur: Pejores nobis inimicos non esse, quam affines, & propinquos: Malle nos facultates nostras quibuscunque aliis prodesse, quam nobis &c.* Hos enim locos sibi

 pro-

proprios ita exornat, ita diducit, atque exaggerat, ut nihil supra. Cum Chrysostomo ex æquo eum conferas hac in parte, cujus inter Græcos Patres si non unica, certe peculiaris quædam gratia, atque solertia in Paradoxis fuit. Hæc ergo præ ceteris attendenda in Salviano, atque excerpenda, præsertim ab iis, qui quo vitiis obsistant fortius, familiarem sibi reddere, atque adeo imitari præstantissimum Scriptorem statuerunt.

Non desunt etiam, qui valde in nostro hoc laudent allegationes Scripturarum; tam apte scilicet, tam apposite, tam loco suo illas profert, ac interponit. Equidem si delectum, si promptitudinem specto in testimoniis, longe Salvianus & a Cypriano, & a Bernardo superatur; verum & ipse, quod sensui proprio inhæret, Bernardum, & quod parcior est, nec tanta copia, ac densitate locos accumulat, Bernardum, & Cyprianum quam maxime antecellit. Vide Gasparem Barthium *Libro XLIII. Adversarior. cap.* 16. infra sequenti capite adducendum. Item Joannem Alexandrum Brassicanum toties memoratum *ibidem*, qui testimonia hæc instar tessellarum composita, & ubi maxime decebat, inserta, egregie dilaudat.

Anacephaleosis loco esse possunt, quæ Ignatius Weitenauer *Libro IX. Subsidiorum* habet. Sic enim brevissime complexus est, quæ de charactere isto dicebamus. *Libertati & vehementiæ in reprehendendo Salvianus junxit eloquentiam sibi uni propriam, in qua cum summa acrimonia nitorem elegantissimum; cum gravissimo impetu certum, statumque numerum orationis: cum austeritate maxima doctrinæ omnem facundiæ florem, & omne genus oblectamenti copulavit.*

CAPUT

CAPUT III.

Ubi triumphet in primis Salviani eloquentia?

Non eſt dubium, in utroque opere *de Gubernatione Dei*, & *ad Eccleſiam Catholicam* haberi quam plurima, prorſus eximia, quæ vix ullam admittant comparationem. Nihilominus ego ultimum ſemper prætulerim. Hic enim unum idemque perpetuo urget, & multo plenior eſt, & impetum illum ſuum ex magno maximum facit. Raynaudus Libro ſæpe dicto *pag.* 236. *egregium opus* dicit. Joannes Theodorici Macherentinus *loc. cit.* libros hos quatuor a ſe editos *vere aureos* vocat, *dignosque, qui in omnium linguas transferantur*. Atque utinam valeret votum pientiſſimi viri! ſic enim & ſpes ejus, quæ fuit maxima, impleretur continuo, amorque pecuniarum, communiſſima hodie peſtis, ſi non ab omnibus, pluribus certe hominibus negotio nullo profligaretur. Juvit hæc ſcriptio Eccleſiam ea ipſa ætate, quæ ſummis ſceleribus ſummas ſibi calamitates accerſivit, nec tamen emendavit. Si ergo hodie vernaculo ſermone legi ab omnibus poſſet, quanto majores, quanto præſentiores ubique effectus haberet! Et quid, rogo, tot alii libelli pii, quid principes ipſi Aſcetarum, qui omnium teruntur manibus, quid, inquam, ad horum ſententias, copiam, ardorem, vimque velut innatam tam convincendi, quam permovendi?

Libri *de Gubernatione Dei*, vel *de Providentia* inſcripti inſignes pariter, & majoris etiam uſus ſunt, quam quos prius dicebam. Editor Petrus Galeſinius in brevi *Præfatione ad Lectorem*, reputans ſecum, quam pie, graviterque locum de Providentia pertexuerit Salvianus, non dubitat denique pronuntiare, eum Græcis, qui de eadem Providentia ſane plurimi & diſertiſſimi ſcripſerunt, non Philoſophis modo, verum etiam noſtris, multis fortaſſe parti-

bus esse superiorem. Ignat. Hyacinth. Amat. de Graveson *Hist. Eccl. Libr. II. pag. mihi* 43. eosdem *elegantissimum Tractatum* appellat. Gaspar Barthius *Libro XLIII. cap.* 16. *Adversarior. aureolos* dicit hos *libros*. Speciatim etiam, & mirifice idem opus extollit Interpres Gallus, in *Diario Trivultiensi anno* 1702. de quo supra capite primo est memoratum *. Porro inter octo libros illos magis oratorii mea opinione sunt, longeque ceteris præstant *Quartus*, *Quintus*, *Sextus*, & *Septimus*. Nam in primis tribus, ubi docet præcipue, & viam sequentibus sternit, non est tam grandis, neque violenta fertur oratione: *Octavus* autem maximam partem aut deperditus est omnino, aut vetustate ita est obliteratus, ut spes nulla affulgeat illius restituendi **.

Inter *Epistolas* Auctoris nostri optimæ sunt *Quarta*, & *Quinta*. Illam ad *Socerum & Socrum* datam Editor Bremensis *in vita*, operibus præfixa, merito *accuratissimam* vocat, & *eloquentissimam non tam facti sui Apologiam, quam deprecationem culpæ non culpæ*. Hæc una epistola penitus confutat eos, qui Salvianum ad vehementes solum affectus valuisse dicunt. Inde enim patet, ad lenes, & teneros occasionem duntaxat defuisse viro, non artem, non facultatem. Sed hac ipsa de causa tristissimum accidere literarum amatoribus debet, quod vitiata est non uno loco, imo hiatus, & lacunas habet. Alteram *ad Catturam Sororem*, cui a gravi morbo recreatæ salutem gratulatur, & ipsam maximi facio. Est enim mira facilitate, unaque hominis fraternum animum, & sensa vere religiosa luculentissime declarat.

Sed

* Reliqua enim Salviani ipse non transtulit.

** Recole, quæ capite I. tam de hac, quam de priori scriptione ex Andrea Saussajo recitavi. Testimonia enim Auctorum ut distrahere semper minime licet, sic repetere satis est injucundum.

Sed quid jam de *Homiliis* Salviani, illis ſcilicet, quas teſte Gennadio Presbyter ſcripſit, ab Epiſcopis ipſis recitandas? an deperditæ omnes? an in tanta copia (multas enim fuiſſe idem Gennadius affirmat) ne unica quidem triſte naufragium evaſit? Ita quidem communiter ſentiunt, quotquot ejus rei mentionem aliquam fecerunt. Neque nego, in eadem opinione fuiſſe me ſemper, & futurum hodieque, niſi in Gaſparis Barthii *Adverſariorum Librum XLIII.* incidiſſem. Hunc enim cum legerem, nutare primum, denique & dubitare aperte cæpi. Sed verba ipſa eruditiſſimi hominis audienda ſunt, *Cum vir clariſſimus eloquentia eſſet*, ait *cap.* 16. *& mirificus teſtimoniorum divinorum collector, & illuſtrator (quo in genere ſane paucos pares habet) non dubito*, multos optimos viros, minus his donis a Deo dotatos, ejus eloquentiſſimas homilias populis ſuis propoſuiſſe; ut inde merito *Epiſcoporum Magiſter ab σvγχρovῳ ſuo Gennadio ſit nuncupatus. . . . . Nec vero dubito, quin elegantiſſimarum harum homiliarum multæ ſint inter illas ſuperſtites, quas Pariſiis nomine Euſebii Emiſſeni aliquoties editas habemus.* Sed de eo alibi plenius ſcilicet *Libro eodem cap.* 26. ubi iſtuc addit: *Salviani quidem multas in iis eſſe, placiditas ſtyli nervoſa, & tractus ſententiarum cum erudita quapiam ſimplicitate penitus mihi perſuaſerunt.*

Plura de Salviani eloquentia dare poſſit Jacobus Merlohorſtius in *ſeptem tubis orbis chriſtiani.* Item Petrus Gorlius noſter, qui Salvianum gallice redditum *anno* 1655. *Pariſiis* vulgavit. Neque dubito, hominem, quo ſcripta ejus popularibus commendatiora redderet, plura in laudem illorum profundere: quæ ego omnia, quod editionem hanc videre hactenus non licuit, vel invitus debeo præterire. Joannes Baptiſta Guesnay in *Maſſilia gentili, & Chriſtiana, ſeu Annalibus Provinciæ Maſſiliæ*, Honoratus Bouche cum ceteris, qui de rebus Provinciæ, atque Maſſilienſibus ſcripſere. Item Adrianus Bailletus *in vitis SS.* Hiſtoria *literaria Franciæ Tomo II.* & Critici omnes, quotquot ex profeſſo

Ecclesiæ Scriptorum opera dijudicant. Præ omnibus autem Galli duo Interpretes, quos dixi: apud quos eloquentiam, characterem ſtyli, opera ſingula fuſe, & eleganter illuſtrata habes, maxime ſi ipſorum Trivultienſium judicia præmittere volueris.

APPENDIX.

De Eloquentia S. VINCENTII *Lirinenſis.*

Unicus, atque ille exiguus admodum libellus eſt, quem Vincentius noſter exaravit: & tamen eo plus veræ gloriæ, ac celebritatis invenit, quam vel his obtingat, qui plura, eaque vaſtiſſima volumina poſteris reliquerunt. Quod quam veriſſimum, minimeque exaggeratum ſit, omnium temporum Scriptores docere poſſunt, quos more noſtro diligenter, & ordine, nec parvo numero teſtes advocabimus.

Et ex Veteribus quidem S. Eucherius, qui filios ſuos ſummæ expectationis adoleſcentes in diſciplinam Vincentio tradiderat, *Epiſt.* ad Salonium, qua librum de obſcuris Sanctarum Scripturarum capitulis illi offerebat, Vincentium *virum* dixit *eloquentia pariter, ſcientiaque præeminentem.*

GENNADIUS *de viris illuſtribus cap.* 62. ita de Vincentio loquitur: *Vincentius natione Gallus apud monaſterium Lirinenſis inſulæ presbyter, vir in Scripturis Sanctis doctus, & notitia eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus compoſuit ad evitanda hæreticorum collegia nitido ſatis, & aperto ſermone validiſſimam diſputationem adverſus hæreticos &c.* Quibus fere verbis etiam Honorius Auguſtodunenſis *Libro de Luminaribus Eccleſiæ* eſt uſus.

Apud Recentiores vix ullus eſt Patrum, qui tot, tantosque laudatores ſit nactus. Et primo quidem JOANNES MOLANUS in *auctario Matyrologii Uſuardi ad diem XXIV. Maji.* MELCHIOR CANUS *de*

locis

Locis Theologicis Libro VII. cap. 3. ISAACUS CASAUBONUS *ad calcem notarum in Epistol. Nysseni de peregrinat. Hierosolymit.* BARONIUS quoque in *Not. ad Martyrologium Romanum eodem die* *: item NICOLAUS SERARIUS in *Prolegomenis Biblicis cap.* 28 ANTONIUS POSSEVINUS *in Apparatu*, THEOPHILUS RAYNAUDUS variis locis, CHRISTIANUS LUPUS *Tom. IV. in Synodos pag.* 758. *Aureum* dicunt commonitorium Vincentii, aitque Daniel Papebrochius in *Actis SS. ad XXIV. Maji* sic passim appellari. Qua quam brevi, tam communi, atque eximia laude præmissa, nunc cetera audiamus.

JOANNES TRITHEMIUS *Libr. de Scriptorib. Ecclesiast.* ita de Vincentio: *Vincentius monachus, & presbyter monasterii Lirinensis insulæ, natione Gallus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & sæcularium literarum non ignarus, vita, & moribus clarus. Extat ejus insigne opus, quod sub Peregrini nomine composuit, a veteribus Doctoribus percelebre laudatum, de erroribus, & collegiis hæreticorum fugiendis.*

SIXTO SENENSI *Libro IV. Biblioth. sanct. ad finem* Vincentius Lirinensis est *Presbyter disertissimus,*

DIONYSIUS FAUCHERIUS *supra* in Eucherio & Salviano *laudatus* Vincentium inter præcipuos eos ponit a Lerina prolatos, *in quibus cum vitæ sanctimonia eruditio & eloquentia certare videbantur.*

FRANCISCO RIBERÆ *Proœmio in Haggæum doctissimus* dicitur, *& eloquentissimus.*

CARDINALIS BELLARMINUS *de Scriptorib. Ecclesiast. Libellum ejus parvum mole, virtute maximum* nominat.

CARDINALIS BARONIUS in *Annalib. ad annum* 434 „ Hoc ipso anno, ait, qui numeratur terti„ us a Concilio Ephesino, Vincentius Lirinensis „ cum adversus omnes hæreses, tum præcipue ad „ sepeliendas penitus, recens emersas Pelagii, Cæ-

 lestii,

* Et iterum in *Annalibus ad annum* 431.

„ lestii, atque Nestorii hæreses disertissimum elu-
„ cubravit commentarium.„ Et inferius: „ Flo-
„ rebat plane his temporibus illud cœnobium, il-
„ lustris Sanctorum domus, insulæ Lirinensis. . .
„ Hæc excepit e tumultibus Galliarum tanquam
„ portus, ut ipse ait, e procellis liberum Vincen-
„ tium ipsum, cujus quidem, quam mira fuerit
„ eruditio, libellus ipsius ostendit: ut vix sit repe-
„ rire, qui paucioribus chartis majora, & feliciori
„ tractatu concluserit; licet commentariolus idem
„ sit, ut ipse testatur in fine, ex duobus a se
„ scriptis commonitoriis Epitome, his temporibus
„ admodum accomodatus, & in Ecclesia catholi-
„ ca semper posteris profuturus, cum nunquam
„ defuturi sint novatores hæretici, ad quos peni-
„ tus explodendos idem auctor summa industria
„ laboravit.„ Idem in Notis ad Martyrolog. Roman. jam laudatis: „ Aureo plane illo opusculo,
„ ait, fidem catholicam egregie testatam reliquit,
„ quo cum omnes hæreses, tum maxime hæresin
„ Pelagianam cum auctoribus suis impugnat. . . .
„ Claruit temporibus Honorii Imperatoris, mag-
„ namque sui nominis in Ecclesia laudem reliquit.„
Ad *ann. vero* 431. sublimius, eum omnium hæreticorum fundamenta convellere dicit.

PETRUS PITHOEUS *Præfat. ad Salvianum*, ubi Scriptores Galliæ suæ præstantiores recenset, de Vincentii commonitorio istuc affirmat, *nihil eo genere, aut majore judicio, aut acutiore stylo conscriptum se meminisse.*

HERIBERTUS ROSWEYDUS *in Notis ad Eucherii libellum de laude Eremi* Vincentium *nobilem illum Scriptorem ecclesiasticum* appellat.

PHILIPPUS LABBEUS *Dissertat. Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis*, hoc Vincentii commonitorium ait esse *libellum, quem tantum non ad cœlum, ac sane meritissimo jure evehant Pontificii, quoque se obtri-*

obtritos, ac profligatos ultro fateantur, cum ad cor redeunt, sanamque mentem, omnes a fide majorum suorum Apostatæ, Ministri, ac Prædicantes Lutherani, Zwingliani, Calviniani, Anabaptistæ, Sociniani &c.

ANDREAS SAUSSAJUS *in Martyrolog. Gallican. ad diem XXIV. Maji nobilissima* in hoc opusculo *admirabilis doctrinæ, & sacræ eruditionis monumenta* agnoscit.

PHILIPPUS BRIETIUS *Sæcul. V. c.* 4. idem Commonitorium *egregium* contra omnes hæreticos, laudatum a viris magnis vocat.

BRUNO NEUSSERUS *in Prodromo Velitari Part.II. in Vindiciis pro S. Vincentio, & Lirinensibus, semipelagianismi perperam accusatis*, de eodem ait: *Nihil unquam nervosius ad conterendas Novatorum blasphemias, suo saltem judicio, a majoribus nos accepisse.* Et mox ibidem vocat *arma Catholicorum, & Ecclesiæ antiquum illum clypeum jam a mille ducentis annis Novatoribus oppositum.*

CARDINALIS NORIS *Histor. Pelag. Libr. II. c.* 11. Commonitorium *eruditissimum & elegantissimum volumen*, ipsum vero Vincentium *eximiæ eruditionis, ac sanctitatis Patrem* appellat.

JOSEPHUS ANTELMIUS *Dissert. IX. de veris scriptis SS. Leonis, & Prosperi n.* 17. Commonitorium nostrum *opus aureum & nunquam satis pro dignitate commendandum* affirmat. Quibus verbis adoptatis,

ANTONIUS PAGIUS *in Critica Baronii* hæc addit ad *ann.* 434. *Omnes hæreses impugnat; ideoque hæretici validius impugnari non possunt, ac felicius vinci, quam doctrina Commonitorii Vincentii Lirinensis.*

JOANNES MABILLON *Tract. de stud. Monast. part.*2. *mihi pag.* 129. ita de Vincentio habet: *Cujus Admonitorium maximum est & doctrinæ, & eloquentiæ specimen, ac perenne contra omnes hæreses antiquas, novas, & futuras monumentum.*

STEPHANUS BALUZIUS, qui Vincentium ultimus edidit, *initio Notarum* libellum hunc ejus vocat *elegantissimum illud Commonitorium adversus hæreses, quod toties bono publico editum est.*

IGNAT. HYACINTH. AMAT. DE GRAVESON *in Tabul. chronolog. pag. mihi* 108. *Vincentius*, ait, *Lirinensis elegantissimus Scriptor.*

ANONYMUS nescio quis, recensque auctor *Compendii chronologici Ecclesiast. Histor.* gallice scripti *Tabula IV. Vincentius*, inquit, *Lirinensis Monachus tractatum condidit contra hæreses sui temporis, qui sane in pretio esse debet.*

ABBAS LADVOCAT *in Lexico suo historico portatili* Commonitorium Vincentii appellat *excellens opusculum.*

Et sic alii complures, quos molestum sit omnes commemorare, tanta consensione, quæ major esse vix possit. Verbo dicam, vix a quoquam vel allegatum duntaxat Vincentium legi (legi autem sæpissime) qui non cum commendatione id faceret, vel sine elogio libellum eum prætereundum sibi putaret. Recte igitur Cardinalis Noris *Loc. cit. hic Peregrini liber*, ait, *omnium laudes demeruit.*

Istuc porro nefas sit omisisse, quod ipsi adeo Hæretici laude maxima hanc Vincentii lucubrationem extulerint. Ex his CENTURIATORES illi Magdeburgenses, cum mentio de Commonitorio incidisset, ita loquuntur: *Quod si quis diligentius pensitabit, dicet scriptum esse eruditum, & acutum, quodque hæreticorum fraudes clare in apertum producat, detegat, atque egregie impugnet: quin & præsens valde remedium, & antidotum quasi contra eorumdem venena ministret. In quo ipsius scriptoris vis ingenii elucet, & doctrinæ ipsius magnitudo. Antiquitatis enim eum fuisse studiosissimum manifeste deprehenditur, & tam in Græcorum, quam in Latinorum*

rum lectione versatum, in Scripturarum tractatione argutum, facilem, & perspicacem;

GASAUBONUS *in Notis ad Gregorii Nyssensi Epist. ad Eustathiam pag.* 118. *Praeclare,* ait, *Vincentius Lirinensis in aureolo Libello.*

GEORGIUS CALIXTUS Lutheranus Commonitorium hoc semel iterumque edidit præfatione, seu panegyri potius præmissa, quam, quia ad manus mihi nunc non est, satis sit hic allegasse. Alium habet locum Libr. *de arte nova &c. Francofurti ann.* 1652. edito, ubi vocat *exiguum illud, sed eximium, & hactenus omnium voce, suffragiisque approbatum libellum.*

CASPAR BARTHIUS *Libr. XVIII. Adversar. c.* 7. *Commonitorium Vincentii Lirinensis nunquam homini christiano deponendum manibus putem, imo instar quotidiani Enchiridii circumferendum, ut solidum beatitudinis nostræ documentum eleganter, & nervose literis ab eruditissimo homine signatum, utinam non paulo copiosius!* Item *Libr. XXIX. cap.* 10. Vincentii Commonitorium *insigne,* & *Libr. XXV. cap.* 2. *divinum librum* appellat. Novissime

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS *in Apologeticum* Tertulliani præfatus Vincentium Lirinensem *non infacundum scriptorem* affirmat. Mitto alios ex Heterodoxis OSIANDRUM, FRIDERICUM ULRICUM CALIXTUM, MARCUM ANTONIUM DE DOMINIS, CAVEUM, FABRITIUM, qui omnes non vulgari quadam, sed summa cum laude de parvulo hoc libello commemorant. *

Atque

* Nec tamen propterea falsum, quod supra Labbeus dixit; Rivetus enim, Dallæus, & Blondellus inter Duces Calvinianarum partium nihil omiserunt, quo sive auctorem, sive librum ejus deprimerent. Et Dallæus quidem (neque enim omnes vacat allegare) *Libr. II. de usu Patrum c.* 2 *delirum Eremitam, & semipelagianum,* honorificis sane vocabulis, Vincentium salutavit.

Atque hoc judicium, quod de eruditione, eloquentia, & utilitate opusculi ejus isti tulerunt, pro re nata opponere iis possumus, qui pro partium studio infensiores se præbere Vincentio solent, putantque obsequium se gregalibus suis præstare, si, ubicunque possunt, Virum tantum, omnium laudibus cumulatum, incessere ipsi sciant, modisque omnibus lacerare.

Quod si jam quæritur a nobis, quam in scribendo rationem teneat Vincentius? Character meo judicio haud difficulter dignosci potest a ceteris Patribus. Commonitorii hujus ille est scopus, novitatem quamlibet doctrinæ suspectam in Ecclesia esse oportere, antiqua vero, & communi Patrum consensu celebrata dogmata retinenda constantissime, ac defendenda. Hoc nunquam ex oculis dimittit Vincentius, hoc urget perpetuo, hoc versat mira dexteritate & varietate. Quod dum facit, duas præcipue dotes ostentat *elegantiam*, & *nervum*, uti priori capite ex Barthio audivimus, neque illas separat aliquando, atque divellit. Igitur neque nos in charactere ejus describendo eas a se invicem dividemus. Hoc enimvero Auctori nostro proprium, ac peculiare, quod nullo quæsito fuco, nullo lenocinio verborum affectato, pari semper robore, atque efficacitate docertet, atque ita cominus congrediatur, ut ardens ingenium, & stringentes numeri, ac velut lacerti quidam eloquentiæ in eo emineant. Invictum se prebet, & insuperabilem loricatus hic scriptor, neque ullus tam potenter gladium versavit, ac ipse stylo depugnat. Quare eleganter ab Antelmio *Dissertat. IX. de veris scriptis SS. Leonis, & Prosperi, valentissimus pugil* nominatur. Ita ad manus conferendas, ad cædendos, ac proterendos hostes totus factus, certusque de victoria unus provocat omnes, & tantum non pascitur, recreaturque præliando.

liando. Putes te exaudire palmares ictus, crepitusque plagarum quam maxime sonoros, quas undique circumfusis hostibus infligit, dicasque una & palmam ab adversariis, & a legentibus admirationem referre. Belle de eo, ut solet, Ignatius Weitenauer *Libro XI. Subsidior. in Recensione scriptorum.* „ Vincentius Lirinensis Salonii Ma-
„ gister, in quo, dum contra hæreseon impie-
„ tatem decertat, robur eloquentiæ eminet, & la-
„ certi quidam, ut eo fieri nihil possit valentius.
„ Invicto suo, & insuperabili commonitorio alie-
„ num Peregrini nomen præfixit &c. Spectato
„ styli modo, qui nihil blandi habet, sed ad præ-
„ liandum, & vulnerandum factus est, ferreum
„ scriptorem dixeris, ut apud Romanos Atilium
„ tragicum esse appellatum M. Tullius perhibet:
„ vel si de Patre e Patribus phrasin mavis, cum
„ S. Ennodio *Epist. I.* 2. affirmaveris, ferratis ver-
„ borum calcibus Lirinensem omnes Ecclesiæ Ro-
„ manæ hostes elisisse. „

Ut hæc verissima sint omnia, tersus est tamen Commonitor noster, gravis, aptus numeris, copiosus, sui ubique similis, & qui pondus rerum verbis felicissime assequatur. Atque ut paucis me expediam, ita stylum suum regit, ut retenta vi sua persuadendi, & ineluctabili efficacia, aptius scribere vix potuisset, nihilque sit, quod dictione ejus ut firmius atque robustius, sic tersius, facilius magisque proprium nec ab eloquentissimo quovis expromi potuisse videatur. Sed & illud tacere hic minime possum, quod Melchior Canus, quem ego inter disertissimos homines soleo computare, non contentus, quod supra dixi, aureum vocasse Vincentii Librum, eumque frequenter, & cum honoris præfatione allegasse, ejus adeo verba adoptet pluribus locis, haud secus atque illa Ciceronis sui. Neque enim semel deprehendere me memini

memini Vincentianas phrases latinissimis ejus ita commistas, ut ex usu, & lectione perpetua vel uti propria adhiberet, non citaret ut aliena.

Porro nitor ille armorum, & militaris ornatus tanto magis mirandus est in Vincentio, quo certius constat, nihil eum minus cogitasse, quam ut egregium aliquid, ne dicam perfectum extruderet. Imo ne tantillum quidem laboris sumpsisse sibi videtur, uti disponeret aliter, quæ conceperat, limaretve, & comeret aliquantum. Ita enim de se in vestibulo operis confitetur, hanc se scribendi legem servare, ut nequaquam omnia, sed tantum necessaria quæque perstringat, neque id ornato, & exacto, sed facili, communique sermone, ut pleraque significata potius, quam explicata videantur. *Scribant alii laute* inquit, *& accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia, vel officii ratione ducuntur: me vero sublevandæ recordationis, vel potius oblivionis meæ gratia commonitorium mihi parasse suffecerit: quod tamen paulatim recolendo, quæ didici emendare, & implere quotidie Domino præstante conabor. Atqui hoc ipsum idcirco præmonui, ut si forte elapsum nobis in manus Sanctorum * devenerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione limandum.* Tantum vero abest, ut ad id præstandum tempus ille nancisceretur, aut facultatem, ut Pars commonitorii altera pene tota intercideret eo vivente. Quod manifesto mihi argumento est, totum librum nondum transcriptum fuisse ab aliis, sed pressum adhuc, atque absconditum delituisse apud auctorem, qui curam ejus futuro tempori reservabat, quo per otium augeret, & ornatu, delectuque verborum ampliore illustraret. Atque hac ipsa de causa factum est, ut & variet nonnunquam lectio, & ver-

* Ita pro more ætatis ejus Ecclesiasticos, & Monachos vocat.

& verbum ipfum ejusmodi fit, quod conjecturæ locum faciat, errore notariorum mutatum potius, quam a Vincentio ufurpatum effe. Certe etfi operæ non perpercit Baluzius in eodem reftituendo, atque ad fidem veterum codicum emendando, mihi tamen, ut ingenue fatear, nec ipfe videtur obtinuiffe, uti omnia fic legenda nobis perfuadeamus, quemadmodum ipfe legit. Hæc de Vincentii charactere plus, quam latis funt.

Porro qui alia præterea videre cupit ad Vincentii facundiam illuftrandam, habet fane complures, quos adire poffit: Vincentium Barralem in *Chronologia Lerinenfium:* Francifcum Macedo in opufculis Apologeticis pro S. Vincentio Lirinenfi contra Henricum Noris: Jofephum Antelmium in Differtationibus fupra laudatis, & in Diatribe *de Secretis Lirinenfium:* Brunonem Neufferum Libro jam memorato, & (nifi hic idem eft) Anonymum quemdam contra Henricum Noris in opufculo: *Scrupuli orti ex Libro* &c. *Parte II.* Item *Hiftoriæ Pelagianæ Henrici Noris ab Anonymi hujus fcrupulis Vindicias Romæ* 1695. Ludovicum Eliam Dupinum in *Bibliotheca* nova: Sebaftianum Tillemontium in *Monument. Ecclef.* Remigium Ceillier in *Hiftoria Scriptorum Ecclefiafticorum*, ac noviffime Joannem Salinas Neapolitanum, Canonicum Regularem Lateranenfem in *Vindiciis Vincentii Lirinenfis:* Et Laurentium Alticotium in *Differtatione de Semipelagianis rebus, & hominibus* præfixa *parti V. Summæ Auguftinianæ.*

DISSERTATIO XII.

De Eloquentia S. LEONIS.

CAPUT I.

Præftantia hujus, & exiftimatio apud difertos homines.

Quotquot de admirabili hoc Pontifice vel obiter tantum fcripfere, de facundia omnes fingulari cum laude commemorant. Dolendum tamen fummopere, res ab illo difficillimis tem-

temporibus tam fortiter, tam sapienter gestas, neminem ejus ætatis auctorem, qui sub oculis positas haberet, literis consignasse: atque adeo tanto viro ex omni antiquitate usque in hanc diem deesse dignum laudatorem, De institutione ejus, & primis literis nihil assequi nisi conjectando licet. Necesse est enim, oppido fuisse salutarem, & Leonem jam inde ab adolescentia dotes ad dicendum amplissimas, exercitationem Scripturarum, lectionem antiquorum Doctorum, judicium acre, linguam promptam, atque ut ratio nominis postulabat, ingentes animos attulisse. Nihil dico de studio orationis, de elegantia vitæ, ceterisque virtutibus, ac præsidiis dicendi, quas in eo Historiæ silentio cogitare facilius sit, quam sermone complecti.

Adhuc Diaconum ob facundiæ vim, ac celebritatem publicis negotiis adhibitum constat. Forte enim inter Duces Romanos Aëtium & Albinum simultates ortæ ita exarserant, ut scinderetur in partes exercitus, & bellum Civile omnia spectarent. Nihil tum importunius, nihil alienum magis accidere poterat, quod populi ferocissimi undique coorti Imperii provinciis se infunderent, ac velut ad prædam propositam impotenti furore raperentur. Ergo ad concordiam restituendam Leo in Galliam pacificator est missus, atque a dissidentibus illud obtinuit, ut arctissimis in rebus, arma, quæ in mutuas cædes sublatum ibant, in Imperii potius, & Ecclesiæ hostes converterent.

Cum vero maxime reditum maturaret, inopinatus venit nuntius, Sixtum III. Pontificem Maximum morte sublatum: Leonem vero, Diaconum ejus, communibus votis successorem postulari. Itaque ingressus ejus in urbem triumphi speciem habuit: ille vero Summæ Sedi impositus magis etiam ostendit, quantum animo, quan-

quantum sapientia, & voce valeret. Attila Hunnorum Rex ingentibus victoriis elatus, cum populabundo exercitu torrentis instar in Italiam procurrebat. Consternatis omnibus, cum extrema imminerent, nihil territus Leo conspectum adeo Barbari subire, & qui ferro alios subigeret, ipsum oratione subigere decrevit. Itaque in viam se dat, & ubi Mincius in Padum influit, cum maxime copias trajicere Rex pararet, paucissimis comitantibus occurrit, colloquium flagitans. Ergo inter districtos enses, & omnium in se vultus conversos deducitur ad tentorium Tyranni, cui, si unquam alias, ardebant oculi, totoque ab ore crudelitas promicabat. Verum prima allocutione ita eum defixit, atque etiam demulsit vir Sanctus, ut, data pace, paulo post moveret castra, atque ultra Danubium in Pannoniam, mirantibus omnibus, reverteretur. Quare sermonibus causa est præbita, Leoni perquam honorificis, lupum furentem audacia, cædes anhelantem, obvium in via leonem habuisse, cujus voce perterritus prædam, quam tenebat, & cui parum aberat, quin cruentos dentes jam infigeret, subito dimisisse ex unguibus, & fugam quantocius capessivisse. Ingens profecto spectaculum! Quam enim jucundum erat videre, hostem, quem neque Aëtius fortissimus Romanorum, neque quatuor fœderati Reges junctis viribus compescere potuerant, ab uno sacerdote inermi repressum, hocque flagellum terribile Deo velut e manibus extortum!

Haud multo post apud Gensericum quoque Wandalorum Regem, Arianum illum, & immanitate parem Attilæ, eadem suada effecit, ut cum urbem repente invasisset, eaque potitus jam esset, contentus spoliis a flammis saltem, ignominiis, & sanguine abstineret. Atque ita tertia vice Leonis eloquentiæ salutem Roma debet, quam vel sua

 eloquen-

eloquentia ipse Cicero non nisi semel servaverat. Deinceps in hæreticos versa facundia, Manichæos, Eutychen, Pelagianos, Nestorium, Priscillianistas aggressus est, non sine maxima strage, ut adeo non Ecclesia solum eos pelleret, atque arceret, sed tantum non orbe toto exterminaret. Quot belluas Leo noster fugavit! quot monstra exterruit! quam tetras, venenatas, & immanes feras prostravit solus, atque discerpsit! Immortales igitur Deo ter optimo maximo grates sint, cujus providentia singulari est factum, uti scriptorum ejus thesaurus inæstimabilis, in quo veræ Religionis imago excelsa, itemque morum, ac disciplinæ saluberrimæ leges tanta dignitate traditæ sunt, per illa ipsa sæcula, quibus omnia divina, atque humana miscebantur, instar opulentissimæ hæreditatis, si non totus, maximam certe partem ad nos devolveretur. Nunc quanto in pretio apud omnes idoneos æstimatores Leonis facundia fuerit, breviter pro more nostro, nec tamen indiligenter exponendum est.

THEODORETUS CYRENSIS inter Græcos Patres quam maxime eloquens *Epist. ad* ipsummet *Leonem*, Scripta ejus satis esse, inquit, ad significandum viri characterem apostolicum. Incidisse se enim in ea, & quam accurate, ac perfecte exarata forent, admiratum esse.

HADRIANUS I. PAPA *Epist. ad Carol. Magn.* Leonem vocat *egregium, atque mirificum prædicatorem.*

Venerab. HERVÆUS DOLENSIS in *Medulla Tritici Part. IV. cap. ult. Rhetorem divinum.*

MARTYROLOGIUM Romanum inter alia præconia *luculenter scripsisse* Leonem asserit.

JOANNES TRITHEMIUS *de Scriptorib. Ecclesiast. Virum* dicit *in Scripturis divinis eruditissimum, & in declamandis homiliis ad populum adeo celebrem, & facun-*

cundum, ut ſuperiorem in Eccleſia Romana habuerit neminem. Quod, ut deinceps addit, *ſermones ejus clariſſimi teſtantur. Fuit enim eccleſiaſticæ dictionis Tullius, ſacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles,* * *auctoritatis apoſtolicæ Petrus, & in chriſtiano pulpito Paulus.* Quo ſane elogio quid grandius, ſublimiusque dici a nobis vel etiam cogitari poſſit, ego quidem minime video. Ni forte quis putat, rationem Trithemio defuiſſe, qua adductus tam glorioſe de Pontificis noſtri oratione ſentiret. Verum id quidem minime ferendum; quando viri merita in tuto poſita ſunt, & ſua ætate cum eruditionis, tum pietatis laude parem Trithemius vix habuit.

Sed laudum necdum eſt ſatis. A RAPHAELE VOLATERRANO *Libro XXIII. commentar. urb.* Leo *inter viros doctrina, eloquentia, ac ſanctitate præcipuos* connumeratur.

CAROLUS SIGONIUS *in Hiſtor. occidental. Imper. Pontificem non ſolum optimum, ſed etiam diſertiſſimum* dicit.

ERASMUS ROTERODAMUS *in Ciceroniano, Thuſci Leonis,* ait, *qui fuit ejus nominis primus Romanæ urbis Pontifex, eloquentiam mirantur omnes.*

SIXTUS SENENSIS *in Biblioth. ſanct.* Leonem in *declamandis homiliis facundiſſimum* fuiſſe affirmat.

Sed nemo hæc eloquentiæ decora fuſius complexus eſt, quam Venerabilis PETRUS CANISIUS *in Vita Leonis,* quam ſane luculentam edidit, quamque unam Bollandiani dignam putarunt, ut *Actis* illis *Sanctorum* inſereretur. Ait autem inter alia plura: *Chriſti ſpiritum inhabitantem cor ejus moviſſe oris plectrum, & vim arcanam verbis promanantibus*

* Propter ſubtilitatem ejus & myſteriorum noſtrorum intimam cognitionem, qua abſtruſiſſimas hæreſes penitus confutavit.

tibus attulisse. Quo factum sit, ut christianum Demosthenem, imo cœlestem oratorem sonare passim omnibus videtur. Cætera, quæ addit, haud paulo præstantiora opportunius infra, cum de notis eloquentiæ dicendum, afferemus.

Petrus Ribadeneira *in Vitis SS. ad XI. April.* cum dixisset, absentem licet Leonem summum Pontificem esse electum; *quod sanctitate, doctrina, prudentia, & eloquentia parem non haberet:* addit, *mundum scriptis suis illustrasse, & cunctos etiam doctos divina eloquentia in stuporem dedisse.* Et pressius, homilias ejus *admirabiles*, Epistolas vero *gravissimas* appellat.

Jacobus Tirinus in *Indice Auctorum: S Leo Papa I. ejus nominis, natione Thuscus, ob egregiam sanctitatem, doctrinam & eloquentiam cognominatus* Magnus, *scripsit pulcherrimas homilias de præcipuis solennitatibus Christi & Sanctorum, & Epistolas.*

Joannes de Bussieres in *Floscul Historiar.* Leonem *& Religionis, virtutumque omnium studio, & christianæ eloquentiæ facultate, & inconcusso animi robore in singulis magnum dicit.*

Theophilus Raynaudus in *Heptade Præsulum christiana sapientia, & facundia clarissimorum* primum ponit Leonem.

Petrus Blanchot *in Elencho Biblioth. Concionat. P. P. S. Leo*, inquit, *Pontifex Max. &c. insigni sanctitate, doctrina singulari, & divina eloquentia clarus.*

Infelix Paschasius Quesnel, qui nondum rupto ulcere *, quod venis alebat, Leonem bis edidit, *Dissertat. II. de auctore Librorum de vocat. omn. gent.* ita de illo habet: *Stylo eum pugnasse, ac scriptis, qua videlicet præditus fuisset & Scripturarum sacra-*

* Verbis utor, quæ ipsimet Quesnello *Dissertat. I.* dicti operis de Pelagio loquenti exciderunt.

sacrarum doctrina, & dicendi, scribendique facultate eximia.

Casimirus Oudinus, & ipse nihilo felicior Quesnello, in *Supplemento* suo: *S. Leo Magnus cognomine, vitæ sanctitate rebusque gestis, ac scriptis maximus, Romanus Pontifex, vir Apostolicus, orthodoxæ fidei columna, vocis Apostoli Petri interpres, Apostolicorum dogmatum defensor, Apostolis comparandus, scripsit Sermones varios, & in Ecclesia pronuntiavit, christiana pietate, eruditione, facundia admirandos. Scripsit etiam plures Epistolas, quibus catholicam veritatem asseruit, ecclesiasticam disciplinam instauravit, ac propagavit, canonum transgressores, & contemptores coërcuit.*

Joannes Mabillonius *Volum. I. de Studiis monast. pag. mihi* 239. *Epistolæ atque Homiliæ S. Leonis Papæ . . . multam eloquentiam redolent, ac venustatem.*

Natalis Alexander *Histor. Eccles. Sæc. V. cap.* 4. *Art.* 29. *S. Leo*, inquit, *Magnus cognomine, vitæ sanctimonia, gestisque juxta, & scriptis rebus maximus . . . varios Sermones scripsit, & in Ecclesia pronuntiavit, christiana eruditione, pietate, facundia admirandos.*

Anselmus Desing in *Compendio Erudition. Libr. II.* Leonem *divinæ facundiæ virum* vocat.

Laurentius Berti *in Ecclesiast. histor. Breviario Sæculo V. cap.* 1. S. *Leo I. hæreticorum omnium, præsertim Eutychianorum oppugnator, sanctitate, sapientia, facundia, qua Attilam, & Gensericum lenivit, ac deterruit, vere magnus, & jure meritoque a Benedicto XIV. declaratus Ecclesiæ Doctor.*

Sigismundus Calles *Libro V. Histor. Eccles. Germ. num.* 82. *Leo I. Pontifex,* ait, *doctrina eloquentia, sanctitate, rebusque gestis Magnus.*

Josephus Biner *Apparat. Part. XI. pag.* 84. ita de Leone: *Multas scripsit epistolas, & homilias sapien-*

fapientia, eruditione, fanctitate plenas, ftylo latini fermonis facundo & nervofo prorfus elegantes.

Haud fecus Critici ceteri, & quotquot Leonem vel ex folis horariis precibus loquentem fubinde audierunt. Nam & amici eadem de caufa, quod homiliis ejus mirifice affici, & gaudio efferri fe dicerent, cum ejus lectio aliqua recurreret in *Breviario*, etiam me, atque etiam hortati funt, uti in eloquentia ejus exornanda, quanta maxima poffem, induftria, atque accuratione verfarer. Nempe concors omnium fententia eft, Leonem, uti dignitate fupra reliquos Antiftites eminuit, ita & facundia nulli fecundum extitiffe, nec minus ob fcriptorum excellentiam, quam ceteras dotes, puta prudentiam, moderationem animi, doctrinam, folicitudinem, zelumque paftoralem, fortitudinem demum, rerum ufum & auctoritatem *Magni* cognomentum retuliffe. Iftuc vero tanto mirandum magis, quod cum in tempora incidiffet, quibus eloquentia jacebat penitus, vix quidquam tamen de barbarie illa contraxerit, & inter fæculi ejus fordes non illimis tantum, verum & fplendidus feratur.

CAPUT II.

Quid habeat Leo uni fibi proprium?

Nihil facilius videtur, quam characterem in magni hujus Paftoris lucubrationibus internofcere. Pauciffimis quidem verbis, verum accurate omnino eundem exhibet vir in Veterum fcriptis omnibus verfatiffimus Ludovicus Du Mefnil, qui *de doctr. & difciplin. Eccl. ad ann.* 461. ita de Leone: *Multa fcripfit magnifice, & eleganter, in quibus profundioris judicii fapientia, & magni animi firmitas elucet.* Convenit fere cum eo Criticus alius, idemque acerrimus Claudius Fleuryus, ita Leonis

Leonis in scribendo notas definiens *. *Orationis stylus nobilis est, & elegans, quo judicii maturitas, ingenii vis, atque animi magnitudo expressa relucent.* Et Abbas Ladvocat sæpe laudatus. Ait enim: *Stylus ejus est nobilis, & elegans: soliditas item judicii, venustas ingenii, & magnitudo animi in scriptis ejus omnibus admirationi sunt.* Hieronymus Platus *Libro III. de bono Stat. Relig. c.* 11. *Leone vero*, ait, *quis gravior, numerosior, atque ut sic loquar, rotundior? cujus oratio majestate plena, & quibusdam quasi verborum fulminibus instructa.* Cardin. Augustin. Valerius *de Rhetoric. cœlest. cap.* 41. *In Sermonibus S. Leonis*, inquit, *magna inest gravitas, & dicendi majestas.* Erasmus *in Ciceroniano*, Leoni *bene numerosam, satisque perspicuam dictionem, nec ineptos sensus* tribuit. Plene Venerabilis Canisius *loc. dat.* „ Manat, ait, e sanctissimo Leonis pectore gravis, „ & auctoritatis plena oratio, qualem in aliis reperire sit multo difficillimum. Etenim licet „ omnibus quoque dicendi virtutibus excellant, „ quod Leoni maxime concessum est: ægre tamen fiet, quin aliquando remittant æquale, solidumque pondus illud verborum, atque sententiarum. Taceo quam operosum, molestumque „ in homiliis perpetuam unius dictionis gratiam, „ fortemque splendorem ad populum servare. Sed „ hac in parte sic Leo regnat, ut ob sapientissimam eloquentiam, & eloquentissimam sapientiam Magni cognomen apud posteros obtinuerit; „ sic eloquentia nemini Theologorum cedens, „ uti multos excedit sapientia. Et quis demum „ hoc hodie præstare queat, quod suis tot, tantisque scriptis Leo? ne ex istis quidem opinor „ aliquis, qui studium omne collocarunt in paranda dictionis facultate. Tanta autem erat in Leone, tamque mirabilis ingenii facilitas, tanta sa-

 nitas,

* *Histor. Eccles Libr. XXIX.* §. 16.

„ nitas, tantaque præsentia, ut paratam orationis „ ejus copiam cum singulari gravitate, sed & ju- „ cunditate quadam conjunctam nullus non im- „ pendio miraretur. „ Dein insertis illis Trithemii laudibus, a Joanne quoque Andrea repetitis, & auctis, addit: *ita demulcet, ut vinctos auditores teneat, ita docet, ut sensibus divinis aures impleat, ita exhortatur, ut ardoribus virtutis animos incendat. Oratione quidem parcus, sensibus vero sublimis, imprimisque cælestis, & quod est ante omnia admirabile, profundissimus, atque planissimus.* Quod si mihi meam quoque licet sententiam dicere, majestatem præcipue, eamque pontificiam, & summam spirat Leonis oratio, estque inter Latinos Patres haud dubie omnium maxime numerosa. Laconice Nicolaus Caussinus *: *In Leonis labris sedet majestas.* Periodos enim amat, si quis alius, passibusque incedit gravissimis, sine tumore tamen sine rhytmis illorum temporum, sine alia ornatus affectatione. Qua de re vir doctissimus Lud. Antonius Muratorius de *dignit. eloq. pop. cap.* 8. ait: *Augusta est Leonis Pontificis Maximi eloquentia: præclara arte in circuitus fusæ ducuntur illius sententiæ: attamen non excedit, neque opprimit intelligentiam popularem.* Franc. Xaverius Mannhart VIIma. Dissertationum Theologicar. *Nativa facundia plenos*, dicit, *Leonis sermones cum quodam eloquentiæ strepitu. Ingenium sublime, ac quali ætas illa egebat, viro huic fuisse, in scriptis ab eodem operibus passim elucens, & undique velut fulgurans.* Emanuel porro Thesaurus, qui commensuratæ orationis genus vel in lapides introduxit, hoc Leonis numero, hac gravitate, & pompa clausularum ita est delectatus, ut periodos ejus velut *tornatas* assereret, *nec alia cathedra, quam throno Pontificio dignas*

* *Libr. III. cap.* 14 *de Eloquentia sacra, & hum.*

dignas *. Gravitas igitur quædam admirabilis, & majeſtatis a Chriſto traditæ retinens animus in eo utramque paginam implent. Sonitus ipſe, lapſusque verborum, ipſi flexus, & ambages ſententiarum virum ubique tam aperte, & quaſi ante oculos ſtatuunt, ut non dico animus, ſed ne auris quidem dubitare poſſit, Leonem loqui. Verbo, idem de eo dicas, quod de Salomone 2. *Machab.* 2. *v.* 9. divinus Spiritus dixit: *Magnifice ſapientiam tractabat.*

Neque iſtuc recentipres modo, verum & antiquos ſcriptores, eorumque temporum vicinos advertit. Joannes Conſtantinopolitanus *Epiſt. ad conſtantinum Papam*, *animum* Leonis *principaliſſimum* proprio ſuo vocabulo appellavit. Facundo vero Hermianenſi ** *Beatus Leo eſt fidelis, ac fidens propugnator Eccleſiæ, & hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator.* Idem infra *** de eod. *Quis*, exclamat, *hujus Romani Pontificis gravitatem non prædicet, quis tantam conſtantiam non honoret!* Denique eleganter **** Soli eundem comparat, velut æterna lege præfixa in quodum ſuæ dignitatis, ac fidei firmamento luce veritatis irradianti, vel quaſi clariſſimæ tubæ auctoritate ſua inſonanti inquietorum auſibus inhibendis. Ex qua ipſa majeſtate id conſequi neceſſe eſt, ut ſanctiſſimus Pontifex mirificam quoque vim, & efficaciam præferat. Nicolaus enim I. Papa, libertatis & gravitatis ejus, uti dignitatis hæres *Epiſt. ad Michaëlem Imperatorem* ſcribere non dubitavit: *in Epheſino latrocinio, cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prolabentibus, niſi Magnus Leo* (*imitator ſcilicet illius Leonis, de quo ſcriptum eſt: vicit Leo*

* Vide *Idæam argutæ dictionis cap.* 4.
** *Libr. II. de Tribus capitulis cap.* 5.
*** Ejusdem operis *Libr. XII. cap.* 2.
**** *ibidem.*

de tribu Iuda) divinitus excitatus, os aperiens totum orbem & Augustos ipsos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio catholica penitus corruisset.

Est autem multo jucundissimum audire, quomodo Theodorus Petreius Carthusianus, de S. Doctore optime meritus, efficaciam ejus maxime contra hæreticos attollat. Cum enim in *Præfatione ad confessionem* Beati Leonis Magni de Cypriano, & Tertulliano, quorum pariter confessiones vir industrius ediderat, sermonem intulisset, Magnum istum Pontificem *paris eloquentiæ ac fidei auctorem,* vocat, *cujus heroicum scriptionis genus ut summo verborum pondere humanas penetrat mentes, hæreticorumque vim argumentorum elidit, vires incidit, versutias detegit, sic pietati deditum animum divini amoris facibus vehementer inflammat.* Et iterum *ibidem.* „ Hic est ille Leo, ait, qui inter turbidas horrendæ tempestatis procellas tam infracto semper „ fuit animo, ut sicuti leo fortissimus bestiarum „ ad nullius expavescit occursum: ita ille tali „ tempore, quo præsentis periculi metus audacissimum quemque in fugam, ac latebras impulerat, ultro sese, omnem hostilem vim sola oratione, ac vultus sui exhibitione profligaturus, „ offerret. Tanta etenim erat in hoc beatissimo „ viro, tamque mirabilis agendi, dicendique facultas, tanta auctoritas, tanta majestas, ut insignem orationis hujus copiam cum singulari „ gravitate * conjunctam nullus non impendio „ miraretur: adeo, ut ad consensum sui, quos „ suadendo inducere non poterat, cogendo impelleret. Sensere hoc olim, ut non semel Manichæi, Ariani, Macedoniani, Sabelliani (qui & Patri-

* Et forte idipsum vult absurda phrasis Joannis Adelphi Mulingi, qui *Præfat. in Naz.* sic habet: *Quis Leone & in stylo, & in argumento prægnantior.*

„ Patripaſſiani) Priſcillianiſtæ, Apollinariſtæ: ſic „ maxime Neſtoriani, & Eutychiani, quorum il- „ le execrabilium hæreſum portenta qua ſcriptis, „ qua voce velut quibusdam fulminibus evertit, „ proſtravit, profligavit. „

Eſt tamen, ut neque iſtuc diſſimulem, Leonis rugitus non tam terrificus, quam ſonorus, imo: quod Hincmarus Rhemenſis monet *, jucundam vocem habet. Mixta eſt enim gravitati lenitas, modeſtia, & pietas plane ſingularis. Leo eſt, ſed cicur, & manſuefactus, blandus amicis, ad repellendum, quam invadendum promptior; non niſi ad conſpectum hoſtis rictum diducit: ungues vero exerit magis, quam infigit: nec prædas agit, ſed cohibet ſolum, atque abſterret alios prædantes. Commendanda eſt ergo ejus lectio præ multis aliis, & quidem illis maxime, ut ſuadet Card. Federic. Borromæus **, qui humile nimis dicendi genus ſectantur. Hoc enim putat aptiſſimum medium, quo tollatur humo infelix oratio, atque languor ille, qui plane inutilis eſt ad perſuadendum. Ego ab iis præterea volvi velim Leonis ſermones, qui cum diffundunt ſe nimium, longiores fiunt, & onerant magis, atque fatigant, quam incitent, aut teneant audientes.

Sunt denique, quando majeſtatem paululum ille dimittit, igniculi quidam in Leonis oratione, qui ultro erumpunt, & motus habent breves quidem, ſed intimos, & valde ſalutares. Id quod obiter jam ex Caniſii verbis hoc ipſo capite colligi poterat. Sed non ſolus eſt Caniſius, qui id obſervaret. Cardinalis Bona *in Notitia Auctor.* ait, *Leonis Magni Papæ eloquentiam cor afficere, penetrare, urere.* Et jam ante Bonam Trithemius Loc. cit

* *Libr. de non Trina Deitate cap.* 8. ubi *dulciſonum* ejus *rugitum* appellat.

** *L.* 5. *de Sacris Oratorib.*

citat. scripserat: *Ejus sermones cor penetrant, afficiunt animum, fidem Catholicam dulci breviloquio confirmant. Nec mirum; ignem divini amoris gestans accensum in pectore quid aliud, quam verba ardentia proferret?* Ita Trithemius, cui nolim contradicere; neque enim æqualiter omnes affecti sumus. Ego in Leone non tam flammas, quam lucem inveni, putoque gravitati ejus & magnitudini plus longe lenitatis, quam æstus, & contentionis admistum. Quoties ergo extra contentiones movet, & affectum exsuscitat, id quod sæpius facit, unctioni cuidam & melleæ suavitati tribuendum, qua influit potius in animos, quam irrumpit. Atque hanc dotem præ ceteris Joannes Baptista Mantuanus * admirari se dicit:

Quantum decus addat
Florida divinis ejus facundia rebus,
Quis referat? Nemo veterum me judice Patrum
Dulcius eloquitur.

Et alius melior longe Poëta Petrus Justus Sautel in *Anno S. poëtico jj. Aprilis* S. Leonem *dulci eloquentia præditum* affirmans ita canit:

Mortuus exanimi dederat Samsonius ore,
Iste suo vivus mel dedit ore Leo.

Porro de stylo ipso, etsi quædam dicta jam sunt, nondum plene tamen faciunt ad omnimodam ejus cognitionem. Solum ergo de numeris, & familiari periodo, ut cum majestate ejus quodammodo connexis, loquebamur: extra quæ alia præterea notare debemus, vel ea de causa, ut de Libris ejus aliquot valde dubiis rectius, atque securius pronuntiemus. Qua in re non repudiandus est Quesnellus, cui, ut ipse loquitur **, scripta

* *Libr. 4. sacrorum Dierum.*
** *Dissertat. 2.*

ſcripta S. Leonis ex inſtituti ſui neceſſitate ſæpius relegenti, familiariſſima facta eſt phraſis Leonina, totusque dicendi character. Advertiſſe igitur ſe dicit *oppoſitorum congeriem in Leone, verbum, a quo pendet ſenſus, ad finem relegatum, quæ ternarium plerumque numerum non excedat, etſi ſæpe etiam ad quaternarium extendatur.* Aſſumit inſuper verba auctoris *Apologiæ SS. PP. de gratia Part. I.* „Eſt „ ſtylus auctoris iſtius elegans, ac ſublimis, ſermo „ nitidus, & apertus, non injucunda figurarum „ varietate diſtinctus, frequenti verborum oppo„ ſitorum conflictu oblitus, gravi ratiocinio, con„ ceptibus nihil humile, ac demiſſum habentibus, „ catholica ubique, ac cœleſti prorſus doctrina „ refertus, Scripturæ ſacræ doctrinam totus ſpirans, „ atque igneo pietatis vigore, qui Sanctorum „ ſcriptis ineſſe ſolet, pleniſſimus. Gaudet præ„ terea diverſis periodorum membris ſimiliter ca„ dentibus, ac deſinentibus: tota denique com„ poſitio in æquales fere, & commenſuratas par„ tes concinne diſtributa, venuſtam, ac perpoli„ tam orationem exhibet„. Equidem verba hæc quanta, quanta ſunt, de Auctore *Librorum de vocatione omnium Gentium* Apologiſta ſcripſit: verum Queſnellus ex hoc ipſo argumento contendit, Leonis libros eos eſſe, & vel ex ſtyli perfecta ſimilitudine nulli alteri poſſe adjudicari *. Neque negant has dotes Adverſarii, quin ultro fatentur, omnes in Leone quoque reperiri, ſed iſtuc negant, ac pernegant, reperiri in ſolo Leone. Quod ipſis mea quidem ſententia facillimum ſit demonſtrare. Quis enim non videt, modum eum ſcribendi ex frequenti antitheſium conflictu, modulatæque ac tinnulæ orationis affectatione conſtantem, fuiſſe pluribus uſitatum illa ætate, ſi non omnino communis

* Vide etiam Editorem S. Proſperi *Admonitione in hoſce Libros.*

munis fuit? certe Quesnellus alio loco * non rogatus ipse concessit. Verum ego me tricis illis non immisceo. Bene hac in parte, an male Quesnellus senserit, nihil ad me, ut cui satis sit sancti Doctoris characterem quibuscunque demum animadversionibus illustrare magis potuisse.

CAPUT III.

Quae Leonis Scriptiones praecipue laudentur?

Si de ullo alio, certe de beato Leone dici potest, uti dignitatis propriae, sic materiae, de qua scribit, conditioni, ubique stylum accommodasse. Atque in *Sermonibus*, ubi haud dubie latior campus est, longe magis exultat, & afficit oratio ejus, quam in *Epistolis*. Etsi enim hae phrasi ipsi unice propria, neque ad familiarium literarum morem exaratae sint: nihilominus, quod ibi ad unum, vel plures duntaxat, non ad populum, non ad omnes dicebat, moderandus fuit adstrictior ille numerus, ac pompa sermonis: sed neque ita seu figuris indulgendum, seu in amplificationes expatiandum. Ergo Leoni Decretales suas scribenti illud usuvenit, ut Pontificem Maximum potius, quam oratorem praeferret, & potestatis divinitus acceptae esset observantior. quam praeceptionum rhetoricarum. Quid quod judiciorum consuetudini dandum quoque aliquid fuit, & quidam *Curiae*, in qua adoleverat, *stylus* retinendus? Tamen quidquid & ibi ex ejus calamo profluxit, Leonem probat. Stylus est aequabilis: & in ea mole negotiorum, curaque totius orbis praesens animus elucet. Videas ubique praeclarae cujusdam conscientiae securitatem, videas divinae opis, ac beatae felicitatis certam expectationem, videas hominem,

* Ejusdem Dissertationis.

minem, quem nullæ sæculi illecebræ, nulla terriculamenta a rectiſſimo curſu, beneque de omnibus merendi ſtudio avocare, vel impedire tantiſper potuerunt. In Epiſtolis S. Doctoris vel ipſe Pontificum accerrimus hoſtis Witakerus *Pontificii ſpiritus in Leone rugientis notas* agnoſcere ſe non diffitetur.

Et profecto plures ex iis valde patheticæ ſunt; uti celeberrima illa ad *Flavianum* num. 10., nunc ſecundum Editionem a Fratribus Balleriniis curatam XXVIII. Item 24. ad *Theodoſium* Auguſtum, nunc XLIII. & 75. ad *Leonem* Auguſtum, nunc CLVI. cum aliis nonnullis. Et quidem de illa ad Flavianum, ut alias prætercam, homo acatholicus Joan. Jac. Gryneus *Præfat. in Monument. SS. PP. orthodoxographa*, ait: *Leo Papa ejus nominis primus graviter ad Flavianum ſcripſit.* Eandem epiſtolam Joannes Croiſet infra allegandus *admirabilem* vocat. Ribadeneira vero dicit, in ea divine prorſus, ſingulari ſpiritu, doctrina, & eloquentia Verbi incarnationem explicari.

Præcipuum itaque inter Leonis opera ſunt conciones ad populum. De quibus Caniſius *loco dato*: *Pontificia Majeſtate differens, & apoſtolico facundus eloquio, modeſtia illa vere chriſtiana, virtuteque divina cum nuſquam non admirabilis exiſtat, tum in ſuis præcipue* SERMONIBUS, *ut nemo alius effulget, quod brevitatis Magiſter, & unicus pene artifex latiſſima rerum divinarum myſteria perſtringat* *, *& ſecundum Canonicas ſcripturas quemdam ſacri eloquii principatum includat.*

Inter ipſos porro Sermones eminent nonnulli: & inter feſtos quidem illi, quos *de Principibus Apoſtolorum*, ad *Anniverſarium aſſumptionis ſuæ*, de *Incarnatione item*, & *Paſſione Dominica* dixit. Inter

* Et habent id peculiare hi ſermones; neque enim ego breviores ſcio.

Inter Morales me maxime afficiunt, in quibus funt loci communes de *Mifericordia*, de *temporum fuorum calamitatibus*, de *Jejunio*, & *pænitentia*, breves illi quidem femper, fed fuculenti admodum, grandique fenfu, quos femel lectos iterum iterumque non fine delectatione quadam regustes.

Libri *de Vocatione omnium gentium*, fi beati Leonis effent, præferendi haud dubie forent Epiftolis ejus. Cujufcunque autem fint, legi quam maxime merentur, ut qui ufum magnum etiam in Eloquentiæ negotio habere poffint: recteque Erafmus dixit *: *Utinam tales multos libellos Ambrofianis* (feu Leoninis) *immifcuiffet, qui hos admifcuit. Tales impofturas facile tulerimus, quæ pro auro fupponunt aurum.* Sed & *Epiftolæ ad Demetriadem* fuus eft nitor, ac venuftas, tantum abeft, ut Leone indigna habeatur.

Addi poffunt ab eo, qui S. Leonis ftudiofior fit, Ludovici Maimbourg *Hiftoria S. Leonis*, gallice fcripta. *Epiftola Joannis Andreæ Epifcopi Alerienfis ad Paulum II. Papam*, ante opera ejufdem Sancti. *Compendium vitæ* a Theophilo Raynaudo & ipfum operibus præfixum. *Approbatio Editionis Quefnellianæ* a Cohadeo Doctore Sorbonico fcripta. Jofephi Antelmii Canonici Forojulienfis *Differtationes de veris operibus SS Leonis Magni, & Profperi.* Ejufdem Leonis vita in *Exercitiis pietatis* a Joanne Croifet confcriptis *ad diem XI. Aprilis.* *Bibliotheca Pontificia* Ludovici Jacobi. Benedicti XIV. *Bullarium anno* 1754. 15. *Octob.* *Prolegomena & Obfervationes ultimæ editionis* tam Romanæ, quam Venetæ operum S. Leonis. Accedunt Recentiores, qui vitas Pontificum & Hiftoriam Ecclefiæ paulo accuratius, neque tam jejune, uti fuperiores, fcripferunt: Ad quos alio videlicet properantibus nobis fatis hic fuerit lectorem remififfe. Omnes enim ifti fanctiffimi Pontificis eloquentiam celebrant; fed quod nihil novum afferunt, brevitatis ftudio prætermittendos nobis exiftimabamus.

DISSER-

* *Præfat. in hos Libros, Tom. II. Ambrofii*, cui ea ætate tribui folebant.

DISSERTATIO XIII.

De Eloquentia S. Bernardi.

Pervenimus ad ultimum inter Patres, qui tamen ut aliis rebus omnibus, ſic eloquentia quoque non ſolum poſtremus non ſit, ſed vel antiquiſſimis eorum ac celeberrimis minimum concedat.

CAPUT I.

Quam eximia, quam celebris Bernardi Eloquentia ſit?

Bernardus jam adoleſcens, & ante ſeceſſionem a ſæculo Eloquentiæ ſpecimina ſane miranda dedit; quod vim haberet perſuadendi a natura inditam, & gratiæ potius, quam artis ſubſidio excultam. Vicennis erat, cum Galdricum Patruum, virum militarem eo deduxit oratione ſua, uti potentiam, opes, gloriam, & delicias, quæ omnia ille ampliſſima habebat, cum vita religioſa commutaret. Nec ſecius quinis fratribus, atque aliis juvenibus egregiis, maximæque ſpei, ſeceſſionem perſuaſit, & cum ad tyrocinium adiret, triginta ſocios traxit ſecum, ac veluti captivos ad Chriſti ſervitutem adduxit. Verum multo plus confirmata jam ætate in animos potuit, iisdemque omnino incrementis, quibus ſanctitas ejus augebatur, facundiæ quoque aliquid accedebat. Nihil erat tam difficile natura, nihil conſuetudine tam inveteratum, quod Bernardi eloquentiam moraretur; quando nec ipſa ſive amicorum, ſive liberorum arctiſſimæ neceſſitudines illi ferendæ pares fuerunt. Guilielmus ex Abbate S. Theodorici Bernardi diſcipulus, & vitæ ſcriptor *Libr. I. c.* 2. *olim* 3. rem miram narrat, quæ neſcio utrum de ullo alio uſpiam legatur. Quoties Bernardus ad condu-

cendos religiosæ vitæ tyrones excurreret, id quod sæpissime faciebat, matres abscondisse liberos, uxores maritis, amicos amicis timuisse, ne pellecti sermonibus ejus, uti aliis contigerat, perpetuo a se illi abstraherentur *. Manricus quoque in *Annalibus Ordinis Cisterciensis ad annum MCXXI.* eleganter inquit: *Vigebat Bernardi Patris zelus, & multos literatos, multos nobiles, multos potentes de sæculo trahebat. Quippe vix unquam Claramvallem egrediebatur, quin agmina Novitiorum secum reduceret, implendo apibus cœlesti illi alveari, unde examina nova in dies prodirent.*

Atque ab hac suavitate, & efficacia colloquiorum familiarium conjectura fieri potest, quantum concionando, & publicis actionibus ad populum ille valeret. Certe jam Libro I., cum de fervore Patrum mentio fuit, dicebamus, etiam in Germania gallice dicentem, & paucissimis intellectum commovisse homines, & gemitum quam plurimis, atque adeo lacrimas expressisse **. Unde plurium horarum itinere veniebant, ut videre saltem virum possent, quem audire prohibebantur. Porro ubicunque ad concionem Bernardus comparuit, concursus fiebant tam grandes, tam insoliti, quales neque Cicero, neque Demosthenes habuit, ita ut illustres etiam viri, & principes fœminæ loco excluderentur. Personabant autem omnia voce tanti oratoris: *Quæ enim scelera non arguit,* ait Goffridus, seu Gaufridus ***, *quæ odia non extinxit, quæ scandala non compescuit, quæ schismata non resarcivit? quas hæreses non confutavit. Quid vero sanctum, quid hone-*

---

* Adde, quæ idem Guilielmus infra *cap.* 7. *olim* 13. *ejusdem Libr.* itemque Alanus, & *Exordium magnum Cisterciense Distinct. II. c.* 3. habent.

** Vide Goffridum *Libr. III. vitæ c.* 3.

*** *Libr. III. c.* 4. olim. 7.

honeſtum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis, aut laudabilis diſciplinæ ſuis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non ſovit charitas, diligentia non promovit? Quo ſane dici non poteſt, quam ſibi ſenſim famam Bernardus conficeret. Peſſimo tum loco erat res chriſtiana; Clerum nundinationes ſacrilegæ, & morum licentia intolerabilis vaſtabat, monaſteria a primo fervore defecerant; Imperium cum Sacerdotio colliſum, inter Principes diſſidia exarſerant, ſerpebant errorum magiſtri, Terram ſanctam receperant Turcæ, horrendo ſchismate tota Eccleſia diſtrahebatur. Cum ergo ubique Bernardi præſentia deſideraretur, ad ejus adventum acclamationes audiri, & lætitiæ publica ſignificatio dari, ac in ornando uno Monacho inter ſe ſummi Præſules, ampliſſimæ Civitates, Principes, Reges, Imperatores certare, ejus arbitrio permittere cauſas ſuas, nec raro arma ipſa ponere. Summis Pontificibus oraculi inſtar erat, quorum voluntate factum eſt, ut velut communis cauſæ Dux, & Chriſti Legatus negotiis publicis Eccleſiæ etiam in Conciliis non admoveretur tantum, ſed quaſi præſideret, &, qui nulla erat dignitate, auctoritate tamen, & magnitudine rerum geſtarum ceteris omnibus ſuperior eſſet.

Itaque diſſidentium factiones disjecit, Clerum & Cœnobitas reformavit, faſtum & luxuriam pepulit, ruentes in mutuam cædem exercitus exarmavit, Guilielmum Aquitaniæ Ducem ex Lupo rapaciſſimo in Agnum convertit, hæreticos vel nominis terrore fugavit, vel publicis certaminibus contrivit, atque elingues dedit, ſchisma Petri Leonis abolevit, & orbem, qui totus in partes iverat, rurſum ſociavit: aliaque plurima fortiſſime, ac feliciſſime geſſit. Illud nefas ſit obiter memoraſſe, quod bello ſacro præſtitit. Chriſtianis in Palæſtina omnia in dies arctiora fiebant, & amiſſis præcipuis urbibus, ac pro-

pugnaculis ægerrime se contra Mahumetanorum assultus tuebantur. Ergo ultro, citroque ire legati, concionatores omnes insonare classicum sacrum, diplomata Pontificiarum largitionum ubique appendi. Frustra omnia, nihil actum, nemo se movebat, donec Bernardus in subsidium vocatus, protractusque e valle sua mel illud orationis profundere cœpit. Tum enimvero brevi tanti exercitus collecti, ut, quemadmodum conceptis verbis Scriptores graves testantur, solitudo fieret plurimis in locis, & occidens jam non haberet, qui armis ferendis idonei essent. Giselbertus in *Præfat. Dialogi de Synagogæ & Ecclesiæ altercatione* ait, incredibilem omnium ardorem exstitisse, quo in oras eas certatim homines commigrabant, ut non prædiis, non castellis parcendum ducerent, sed res suas omnes in belli sumptus profunderent potius, quam erogarent. Sed nec amor propinquorum, conjugum, & liberorum, qui magis retinere eos debuisset, impedimento fuit, ne iter istud arriperent; quando tanta constantia, & alacritate valere eos jubebant, ac si nihil omnino ad se illi pertinerent. Ipsi summi Pontifices, ipse Ludovicus Rex Galliæ, Conradus Imperator, ejusque frater Bavariæ Dux (ut Præsules, ac Magnates alios prætercam) nomen ei militiæ dederunt, quodque maximam omnium admirationem habet, in Gallia præ ipso Rege supremum copiarum Ducem Bernardum elegerunt, nemine nisi ipso scilicet reclamante. Hæc & his similia alia de Bernardo attoniti legimus, neque dubium est, horum omnium maximam sane partem cœlesti ejus facundiæ deberi.

Sed ne simus in ejus sermonibus celebrandis fusiores, de Libris quoque, in quibus solis ea facundia superstes est, aliquid dicemus. Jocabatur equidem ipse vir sanctus, magistris se quercubus, & fagis usum. Et sane modica ad scribendum subsidia habebat.

bebat. Verum non id ita accipiendum est simpliciter, ut quidam voluere. Mabillonius enim *, rerum ejus cognitor accuratissimus, affirmate pronuntiat, Bernardum, cum in sæculo jam imbutum literis, tum in Monasterio Theologiæ, & Sacris Canonibus operam dedisse. Certe in Scripturæ, & Patrum lectione diligentissimum fuisse, ipsi ejus libri plus quam satis sit, ostendunt. Toties eos allegat, tam apte eorum verba adhibet. Apiculam dixeris maxime sedulam, quæ semper aliquid melioris succi reperit, quod alveari inferret. Quod ipsum tamen mirissimum est inter eas occupationes, ac valetudines perpetuas fieri ab eo potuisse, nisi dicamus, vacationem a curis, & præfectura ad quindecim ipsos annos concessam otii literarii ei plusculum indulsisse **. Ipsi porro libri, sive argumentum, sive scribendi rationem spectes, plane sunt admirabiles, nec quisquam sine voluptate eas legit, tum ob varietatem rerum jam ad Dogmata, jam ad Leges, jam ad Ascesin, & ad Mores spectantium: cum ob ipsam vim, ac dexteritatem ingenii, qua in explicandis abstrusissimis rebus adeo vivaciter, dilucideque versatus est, ut non ejus solum ætatis, quod Goffridus vult ***, plurimos, & excellentes Doctores, sed ceteros quoque in eo genere fere universos antecedat. Quod ne jactantius dictum videri possit, ipsi nobis testes sint; neque enim alia jam nisi illorum verba proferemus.

Petrus Cellensis *Libr. VI. Epist.* 23. ita scribit. *Nullus sum ego ad illius sancta præconia referenda. Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula,*

* *Præfat. Generali operum* §. *II.*

** Ut alia mittamus, *Epistola* 190. non solum Patres allegat Bernardus, sed Doctores etiam. Qui ergo nullam ipsi humanam scientiam tribuerunt, ipsi produnt, se ejus Scripta non legisse.

*** *Libro IV. in fine.*

cula, *fides*, *spes*, *charitas*; *castitas*, *abstinentia*, *mortificatio denum in membris ejus*, *sermo*, *vultus*, *habitus*, & *gestus ejus*, & *his similia ipsa sunt*, *quæ testimonium perhibent de eo.*

AUCTOR *Sermonis de Nativ. Salvat.* inter opera *Petri Damiani* præter ceteras laudes ait *eloquentiam ejus*, & *famam per totam latinitatem non immerito decurrisse*, *seque libenter illius sarcinas adorare.*

NICOLAUS, viri sancti NOTARIUS, homo eruditus, sed versatilis, & denum in vitia, turpissimamque defectionem prolapsus, idem fere repetit *Epist.* 24. *ad Petrum Cellensem.*

CÆSARIUS HEISTERBACENSIS *Libr. IV. Mirac. cap.* 17. ait, *per ejus os Purpuratos Patres*, *Reges*, *Principesque terrarum quasi per commune mundi oraculum locutos.*

AUCTOR *Apologiæ Libri de conceptu Virginali S. Anselmi* propter cœlestem facundiam, & sermonis efficacitatem Bernardum *Organum Spiritus Sancti* appellat.

S. THOMAS AQUINAS *Serm. de S. Bernard.* *os ejus* vocat *vas pretiosum*, *os aureum*, *os gemmeum.*

BONAVENTURA PATAVINUS, Sancto ejusdem nominis haud inferior; nam & Cardinalis fuit, & Martyrii præterea palmam adeptus est: hic, inquam, vir summus *Meditationes suas* Bernardi sententiis velut unionibus distinguit, *eloquentissimum* vocans, neque sat verborum habens ad ejus sapientiam, sanctitatem, splendorem, & vim penetrandi, dulcedinem item, atque unctionem exprimendam *.

HENRICUS GANDAVENSIS *Libr. de Scriptorib. Ecclesiast. cap.* 11. sic de Bernardo loquitur: *Talis*, *ac*

* *Meditationum in Vitam Christi cap.* 36. Atque hæ ipsissimæ Meditationes S. Bonaventuræ Balneoregiensi per errorem suppositæ sunt.

ac tantus in religiosa conversatione, & doctrina fuit, ut minus ad ejus laudem sit, quidquid ab homine dici potest. Disputator subtilis, & orator vehemens, ad quamcunque materiam vertit ingenium, verba habuit apta negotio, quod contendebat, persuadendo. Hujus opusculorum indiculum texere supervacaneum puto, cum in tantum vulgata sint, ut ea nescire non possit, qui aliud scire potest.

CAROLUS SACCIUS Theologus *Serm. de S. Bernard. apud Mabillonium* (neque enim impressus habetur) *Sermones*, ait, *infinitos habuit, libros elegantissimo verborum cultu expeditissime scripsit.*

JOANNES TRITHEMIUS *Libr. de Scriptorib. Eccl.* Bernardo præter divinas, humanasque literas, ac subtilitatem ingenii, *eloquentiæ* etiam *ornamenta* tribuit, & *nihil*, ait, *in suis neglexisse scriptis, quod ad ornandam orationem posset conducere, multaque præclara opuscula edidisse.*

CAROLUS REGIUS *Libr. III. Orat. christ. cap.* 20. Bernardum concionatoribus omnibus proponit, quem & legant assidue, & cultu peculiari velut Divum tutelarem venerentur.

CARDINALIS BARONIUS *ad ann.* 1130. 43. *&* 53. appellat *tubam cœlestem, alterum Eliam, verum Apostolum.*

ANGELUS MANRIQUS Pacensis Episcopus *ad ann.* 1153. de Libris Bernardi dicere aggressus: *Sequuntur ordine libri*, ait, *quos reliquit: ingens volumen, sed pondere, quàm mole longe præcellens; nempe gemmea omnia, seu verius aurea.*

RENATUS noster RAPINUS *de eloquentia sacra Consid.* 11. *&* 36. præ ceteris Latinis PP. Bernardum videtur proponere, quem oratores sacri in dicendo sequantur.

Et quoniam laus omnium maxime ab inimicis perficitur, etiam heterodoxum audiamus, GUILIELMUM CAVE, qui *de Scriptorib. Eccles. ad ann.* 1115.

ita de Bernardo ait: *Literis humanioribus non leviter tinctus, scientia theologica instructissimus, longe supra captum sæculi, quo vixit, elegans, ac eruditus.* Ita ille. Sed nimirum his hominibus nihil est novi, Bernardi scripta celebrare, quando ipse eorum parens Lutherus in *Colloq. Conviv. Cap. de PP. Eccles.* clamat: *Bernardus omnes Ecclesiæ Doctores vincit in concionando.* Quod si apud hos quoque existimationem eam Bernardus invenit, nihil mirum, apud omnes ordines, imo Principes, & Pontifices summo in pretio habitum semper, lectum, amatum, commendatum esse. Neque illud omittendum, editiones operum ejus sine numero factas. Nam, quod Godefridus Bouvart testatur *, a prima *Moguntina anni* 1470. ad ultimam *Parisinam* 1719. Bernardus, versionibus minime annumeratis, quadragies prælum fatigavit. Ipsa Roma, ipsa Lutetia ut quondam dicentis, imo redarguentis linguam veneratæ sunt, ita post manum non quibuscunque, sed pontificiis, sed regiis typis honorarunt. Idoneum sane argumentum, quo loco apud omnes essent scripta ejus, & quo loco hodiedum esse apud omnes deberent. Nunc ad reliqua pergamus.

CAPUT II.

Character, & discrimen ab omni alia eloquentia.

Character Scriptionum Bernardi & ipse ejusmodi est, qui nullo prorsus negotio a ceteris omnibus dignoscatur. Stylo enim utitur, quem vere peculiarem, & uni ipsi proprium dicas, quem, quotquot assequi conati sunt (quemadmodum Guerricus, & eorum temporum plures) frustra fuerunt semper, nec nisi male operam collocarunt. Emicat enim in scriptis ejus spiritus quidam acer ille, magnus,

* Vide Joannem Pinium Bollandianum §. 58.

gnus, ac fublimis, unctio autem tam affluens, & copiofa, ut omnia redoleant pietatem, nullumque fit cor, quod non hortanti aut dedat fe ftatim, aut difficulter admodum refiftat. In rationibus deligendis eft folidus, nihilque habet hians, vel infirmum: in fententiis fapientia, dulcedo & ingenium certant, ficque illas effert, ut aures æque, ac animum impleant. Verba ipfa tam funt concinna, imo elegantia, quæ appareat non delecta fuiffe: & cum tinnulus fit maxime, fyllabis ludat, vocabula vocabulis opponat, ficque exultans feratur, fenfuum tamen ponderi nusquam officit, nusquam obfcurus fit, nihil frigidum habet, nihil affectatum, caret omni fuco eloquentia, ornamenta ipfa non accerfuntur, fed fponte velut in folo fuo nata fic prodeunt, & quamdam oftentant diligentiffimam negligentiam. Paucis dicam, nemo fimul tam fublimis, atque perfpicuus, nemo tam denfus, vividus, ac facilis, uti Bernardus. Etiam communiffima nunquam communiter dicit; in magnis argumentis magnus, quin fe in minoribus demittat aliquando, fed ut ad illa ipfe attollitur, fic ifta attollit ad fe. Ergo omnibus etiam aridis, atque jejunis leporem, gratiam, imo vitam tribuit, & ubi alii non nifi fpinas inveniunt, aut relinquunt, Bernardus meros flores jam ferere, jam metere videtur.

Nunquam animus languere poteft in ejus lectione, fecum rapit legentes, verbis fuis velut animatis femper attentos retinet, erudit, delectat, & perfuadet, uti vult, idque tam fuavi fimul ac potenti quadam ratione, ut quod dicere cupit, non exprimat folum pleniffime, verum in imo etiam corde imprimat. Itaque, quod & de me ipfo debeo confiteri, novus femper apparet lectoribus, & cum nunquam eos finat alio evagari, alia tamen, atque alia identidem voluptate perfundit. Atque inde, ni fallor, factum eft, ut communi fuffragio *Doctor*

Mellitus, seu *Mellifluus* sit dictus. Hunc enim titulum antiquissimi Editores fronti ejus inscripsere. sed & Jacobus Gretserus opuscula quædam edens, Theophilus vero Raynaudus integro libro, quem *Apem Gallicam* vocat, eundem Bernardo data opera vindicarunt. Ortus est hic titulus haud dubie ex ea ratione, quod aliter homines explicare vix possent, sive dulcorem, sive suavitatem, quam in legendo eo persentiscebant. Eleganter Ernaldus *Libr. II. vitæ c.* 8. *nunc* 6. ait: Eum *scribentem in tabulis cereis mella* (*ceris*) *restituisse*, *& quidem gratiora prioribus.*

Atque ne in una hac mellis similitudine hæreamus, Hugo Metellus Canonicus Regularis non minus jucunde *oleo effuso* Bernardum comparat, & *more contritorum aromatum fragrare* ait *. *Guilielmus* Parisiensis ** inquit, eum *gratiosissime docuisse.* Augustinus Valerius Cardinalis & Episcopus Veronensis *** *In Sancti Bernardi libris*, ait, *inest admirabilis quædam suavitas*, *ita*, *ut cum sancta animi voluptate semper legatur.* Nicolaus Pithoeus in Epistola, quam thesauro suo ex Sancti operibus collecto præfixit, istuc affirmat, se ab amico, qui Divum summis laudibus extollebat, maximique ejus dulcia scripta faciebat, ad ea volvenda inductum: tantam vero ex ejus se lectione voluptatem cepisse, ut omnes pene, quæ animum suum tum misere excruiabant, molestiæ abigerentur.

His testibus alium adjungere juvat Calvinianum scriptorem, *Danielem* dico *Heinsium*, si quem alium eruditum, ac elegantem. Hic *Orat. III. Quis*, exclamat, *suavius Bernardo scribit? cujus ego Meditationes rivum Paradisi*, *ambrosiam animarum*, *pabulum*

* *Epistol. ad S. Bernardum apud Mabillonium Tom. I. column.* 378.
** *Sermon. de S. Bernardo.*
*** In *Rhetorica Ecclesiastica cap.* 41.

bulum angelicum, medullam pietatis vocare soleo. Item Lutheranum, Michaëlem scilicet Neandrum, qui *Præfat. ad Gnomologias Græcorum* præter alia in hanc rem Bernardum *melle ac lacte dulciorem vocat, ipsamque pietatem spirare* dicit.

Ad hanc porro suavitatem, non nego, plurimum sane ipsa natura contulit. Ut enim Goffridus *Libr. III. vitæ cap.* 1. affirmat, *apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius, quam carnalis, in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cœlestis, in oculis angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis, & gratiæ copiose perfusus homo quoque exterior videretur.* Quod si ergo legendo scripta ejus quæcunque ita accendimur animo, ita efferimur, & tantum non exilimus: quid illis accidisse necessum est, quibus vultum hunc, quibus oculos, quibus gestum dicentis videre licuit, qui vocem ipsam argenteam, & blandissime sonantem percipere potuerunt.

Neque tamen (quod pace summorum hominum dixerim) a melle ego repetam totum Bernardi characterem, quin dubito, an vel præcipuus inde repetendus sit. Utut enim favos distillet, utut affluat, & diffluat dulcedine, omnibusque gratiis delibuta sit oratio ejus, utut consoletur intime, levetque animum, & blandissimos passim suscitet affectus, tamen sæpissime plus vini, quam olei, plus aloës, quam mellis habet, plus pungit, quam ungit; atque ideo solum videtur penetrasse in mentes hominum, uti aculeos suos quam altissime, ac penitissime illis infigeret. Nam & apes argumentosæ sunt, certatrices, genusque pugnax, & bellicosum. Arma enim natura habent, glomerantur, stridore suo velut tuba exhortantur sese, & hostis os ipsum invo-

involant imperterritæ, quoties irritatæ sunt; circumsistunt autem domum suam, favos acerrime defensantes, & aculeos in vulnere relinquentes; ut mihi adeo examen apum speciem aliquam castrorum describere, atque exhibere videatur. Quod si jam ista Bernardo accomodemus, certum est, ipsam ejus doctrinam austeritatis haud parum habere. Sed & terrorem subito incutere novit, ferturque concitatius, arguit, & increpat acerrime, socordiam suam homini ponendo ob oculos, nihilque non agendo, quo pudeat eum aliquando, atque pœniteat rerum suarum. Quotiescunque vero id facit Sanctus Pater, fervor quidam mirificus ex eo ebullit, ut non ipse solum ardere totus, sed scintillas, sed faces spargere, atque incendere omnia velle putetur. Eliæ instar surgit tanquam ignis, & verbum ejus sicut facula ardebat. Nempe monitum præclarum, quod omnibus Ecclesiæ Pastoribus inculcavit, exemplo etiam suo ostendit, *suaviter fortis, & fortiter suavis.* Quare neminem veritus, purpurata etiam vitia protraxit in medium, eaque libertate corripuit, quæ ipsi uni videri possit convenire. Et est sane supra omnem non usum modo, verum & ipsam admirationem, cum ante Regum solia velut Magister ad Discipulos loqueretur, miramque alias libertatem, nunc dicendo, nunc scribendo præferret, vix unquam contigisse, ut offensum se inde aliquis, aut læsum existimaret; verum omnes æqui bonique consulerent sermones ejus, & correptiones ipsas in lucro reponerent. Ergo, quod dixi, nolim Bernardum simpliciter a Melle nominari, sed ab ardore etiam, vi, acrimonia.

Probe id advertit Sixtum Senensem, sagacem, & eruditum hominem, qui in *Bibliotheca sancta*, cum illa, quæ prius de notis Bernardi diximus, omnia confirmat, addit tamen: *Oratio ubicunque dulcis, & ardens ita delectat, & ardenter incendit,*

ut

ut ex ſuaviſſima lingua ejus mel, & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Atque jam ante ipſum Goffridus, ſeu Gaufridus Abbas *Libr. III. cap.* 3. *nunc* 1. admonuit: *Quam placabilem, & perſuaſibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut ſciret, quem & quando deberet proferre ſermonem, quibus videlicet conſolatio, vel obſecratio, quibus exhortatio congrueret, vel increpatio. noſſe poterunt aliquatenus, qui ipſius legerint ſcripta, etſi longe minus ab eis, qui verba ipſius ſæpius audierunt. Siquidem diffuſa erat gratia in labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut non poſſet ne ipſius quidem ſtylus licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem: mel, & lac ſub lingua ejus, & nihilominus in ore ejus ignea lex.* Sed & Jodocus Clitovæus Theologus *Præfat.* operibus S. Bernardi præfixa ſic de Scriptis ejus pronuntiat: *Si auctorem ſpectare libet, & vitæ ſanctimonia, & præclara eruditione præſtantiſſimus occurret. Si characterem ipſum, rationemque ſcribendi, comperietur ſuaviſſima, & ſine aſperitatis offendiculo cum ſumma facilitate, elegantiaque decurrens, ut melle dulcior videatur ex ejus ore fluxiſſe oratio. Si denique materia, quam pertractat, exquiritur, aliud invenietur nihil, niſi quod involucra ſacræ Scripturæ in lucem proferat, aut vitia gravi verborum tonitruo effulminet, aut ad virtutem ſtudioſius invitet.* Juſtus quoque Lipſius, quantum nomen! rogatus ab Auberto Miræo, quosnam e Patribus legendos formandis concionibus judicaret, hoc reſponſi dedit *: *Mihi inter omnes Græcos placet Chryſoſtomus lectus: inter Latinos Bernardus me capit, & uſum habet excitandi ob acrimoniam ubique, & calorem: tum etiam docendi, atque imprimendi ob ſententiarum acumen, quas crebro, & ſalubriter miſcet.* Hæc ſane omnia oſten-

* *Epiſtol.* 49. *Centuriæ III.*

ostendunt, quod proposui, dulcedinem scilicet non esse præcipuam Bernardi dotem, sed æqualem, aut etiam potiorem alteram, quæ acrem præterea, & ardentem pene efficit ejus orationem.

Porro ceteros ductus inimitabilis hujus calami, notasque peculiares varii descripserunt. Ab Hieremia Drexelio diligentissimo Bernardi lectore * dicitur *verbis disertus, sententiis venustus, rebus abundans, sensu, ac succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis, & mera pietatis mella stillans assidue, veritatis semper amantissimus. Superi!* addit, *quam ille delectat! docet! stringit! movet! persuadet! expugnat!*

Ipse David Chytræus Melanchtonis discipulus *Orat. de Philip. Melancht. pag.* 509. *Bernardus*, inquit, *admirabili Religionis studio, & Sacrarum Literarum peritia, quarum verba, & sententiæ dicenti se sponte offerunt: in movendis etiam affectibus piis non segnis, nec inefficax, simul tamen festivus, & jucundus est, ut melliflui cognomen non immerito ipsi tributum videatur.* Profecit ex Erasmo, qui *Libro* 2. *Ecclesiastis*, & alibi similia habet. Nuperrimus Scriptor, Abbas Ladvocat *in Lexico* suo: *Stylus*, ait, *S. Bernardi vividus est, floridus, sensa nobilia, atque ingeniosa, phantasia splendida, & allegoriarum ferax. Plenus item est unctionis, & teneritatis, modos quosdam blandos, & delicatos habet, quibus continuo illabitur in animum, denique vi, & cum vehementia cor ferit.* Copiosissime autem ista omnia Mabillonius expressit, cujus verba tam pulchra simul pro more, tamque gravia sunt, ut non verear huc transcribere universa: „ In Scriptis ejus, inquit, elucet inge- „ nium natura nobile, generosum, excelsum; sed „ humanum, civile, & honestum: eloquentia „ quasi congenita, sine fuco, non sine ornamento, „ sed

* In *Aurifodina Part. I. c.* 7.

„ sed nativo: stylus pressus, omnino vivax, dictio „ propria, cogitatus sublimes, affectus pii, lepo- „ resque sponte nascentes, totus sermo unum Deum, „ ac cœlestia spirans: ardet non urens, sed inflam- „ mans, pungit, & stimulat, non ut irritet, sed „ ut moveat: terret, sed amando, non indignan- „ do: blanditur, sed non adulatur: laudat, sed „ non extollit: urget blande, perstringit sine „ molestia, delectat, recreat, placet. „ Recitatis dein verbis Sixti Senensis supra datis, de ipsa do- ctrina istuc subdit. „ Jam doctrinam habet minime „ vulgarem, Scripturæ Sacræ verbis, ac succo re- „ fertam: sic autem Patrum sententiis inhærentem, „ ut tamen propria ejus sentiatur. Ita quippe scri- „ bit de rebus divinis, de gratia, de libero arbi- „ trio, de moribus, & officio Pontificum, Cleri- „ corum, Monachorum, laicorum, ut fontem „ hæc indicent, non canalem. „

Porro phrasis Scripturæ, quam Sanctus Pater nunquam ponit, peculiarem hoc loco tractationem meretur. Plures ante me observarunt, sic ab ineunte ætate Sacrarum Literarum notitiam, dein memoriam quoque imbibisse Bernardum, ut ex abundantia cordis, & os loqueretur perpetuo, & calamus difflueret. Quidquid ergo conabatur scribere, versus erat ex divinis Literis desumptus; tanta est in ea re facilitas, tam apte, tam constanter redhibet eos locos, ut quasi ad usum unius hominis locutus divinus Spiritus videri possit. *Utebatur sane Scripturis*, ait Goffridus, *tam libere, commodeque, ut non tam sequi illas, quam præcedere crederetur, & ducere ipse quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum sequens. Quem nimirum, ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus spiritu sapientiæ, & intellectus, ut secundum quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem. Nam & confessus est aliquando, sibi medi-*

meditanti, vel oranti Sacram omnem, velut sub se positam, & expositam apparuisse Scripturam *. Propterea Drexelius *Part. I. cap.* 7. *Aurifod. calamum* Bernardi recte dixit *continuo e divinis fontibus stillare.* Et Hieronymus Platus de *bono Stat. Relig. Libro III. c.* 11. *Id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stylum immisceat, & contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipsius ore sonare videretur; quæ res unacum lepore gravitatem quoque, ac vim habet mirabilem.* Sixtus vero Senensis *loc. cit. Sic*, ait, *ab infantia sua sacras Literas imbibit, & per omnem ætatem memoria retinuit, ut quoties aut aliquid scribere, aut loqui tentaret, toties in verba, & sententias sanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur. Unde & universa scripta ejus, quæ nihil aliud, quam centones divinorum Voluminum dici queunt, undecunque Veteris, ac Novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus, hisque adeo commode, & apte insertis, ut ibi nata esse credantur.* Denique Franciscus Combefis in *Not. ad Orat.*2. *S.Germani* de *Dormit.Virg.Tom.I. Auct. nov.* ait, hanc verbis, sensisque Scripturæ intextam orationem iis velut margaritis & splendere, & devotius quid spirare, uti omnes in eo adverterent, mirarenturque. Merito igitur Mabillonius *eod. loco* illud Apostoli Viro sancto accomodat: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei*, & sensum improprium ex ornatu argumenti, attentioneque, & delectatione auditorum breviter quidem, verum sapienter excusat. Nolim autem, quando hac de re sermo est, dissimulare, hanc ipsam exuberantiam, in qua sæpe allegoria allegoriam, ut fluctus fluctum trudit, non omnibus placere: imo si sincere, ut sentio, loquendum est, puto id unicum esse vitium, quod Bernardi facundiæ ab eruditis objici possit.

Notant

* *Libr. III. vitæ cap.* 3. *num* 1.

Notant & illud auctores in calamo Sancti viri, hoc veluti penicillo aliquo se ipsum totum, rationem vivendi, sensusque omnes ad vivum expressisse. *Bernardi effigiem videre cupis?* quærit Drexelius *loco jam dato*: *Scripta intuere.* Plane enim loquitur, quæ sentit, neque tam ex ore, quam ipso corde, & intimis visceribus profecta videntur, quæcunque dicit, signans paginam vestigiis suis, neque aliquid exigens a ceteris, quod non ipse cumulatius præstitisset. Itaque Goffridus *Libr. III. vitæ cap.* 4. *olim* 7. fusius quidem, sed eleganter, postquam de moribus ejus dixerat: „ Ceterum, ait, longe eminentius in suis ille libris apparet, & ex literis propriis innotescit: in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: *Laude sua ipse se sonet, & laureatus spiritu, scriptis coronetur suis.* Si quis enim nosse desiderat, quam solicitus ab initio sui ipsius dijudicator, & scrutator extiterit, primum opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Inde, si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad Homilias in laudibus Virginis Matris, & illum, quem de diligendo Deo edidit, librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo, & circumspecta discretio, de Præcepto, & Dispensatione disserens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator exstiterit, & adjutor, exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus Gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de Gratia & libero arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus, & in rerum superiorum pariter, inferiorumque scientia locuples, in his, quæ ad Papam Eugenium de Consideratione scri-

„ psit, diligens considerator agnoscat. Quam devo-
„ tissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligen-
„ ter Episcopi Sancti Malachiæ vitam prosecutus
„ ostendit. Nam & in Sermonibus super Cantica,
„ & investigator mysteriorum, & morum ædifica-
„ tor magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad
„ diversas personas ob negotia diversa dictavit, pru-
„ dens lector advertet, quo fervore spiritus justi-
„ tiam omnem dilexerit, omnem æque oderit in-
„ justitiam. „ Ita Goffridus. Contrahamus jam, quæ fuse hoc capite dicta sunt, & sic de Bernardi charactere paucis habeamus. Bernardus scribens Augustini subtilitatem, Hieronymi eruditionem, suavitatem Ambrosii, Chrysostomi nervum in se collegit, & cum tam apte, tam jucunde, tam venuste scriberet, patet ex ipsis verbis, quod longe majori robore loqueretur. Elucet in eo ubique magna humanarum literarum, major divinarum cognitio, nec unquam aliquis felicius videtur lenitatem cum efficacia, copiam cum firmitate, gratiam cum severitate conjunxisse. Allicit enim lenitate sua cor, efficacia mentem invadit, copia torrentis in morem secum rapit, firmitate convincit, gratia fascinat, severitate, quidquid obstat, destruit, atque evertit. Nemo erat, qui ei resisteret, & hodieque, ubi eloquentia ejus scripta vitæ plurimum amisit, difficillimum sit diutius eum dicentem sustinere. Hæc de charactere Bernardi diligenter, nec sine affectu erga tantum Doctorem dicta sunt, atque etiam curiosis harum rerum sufficere possunt. Alia, nec tamen nova dabunt Franciscus Ribera *Proœmio in Malach.* Carolus Regius *loc. cit.* Theodorus Petreius in *Nuncup. Confess. Bernard.* Joannes Croiset in *Exercit. Piet.* & alii complures.

CAPUT

CAPUT III.

Quibus Locis præstet Bernardus in dicendo, & scribendo?

Tot tamque variorum operum crisin daturus, ut ordine progrediar, illam ipsam mihi sequendam seriem existimavi, quam in nova Editione Mabillonius secutus est. Et primo quidem de *Epistolis*, dein de *Libris de Consideratione*, aliisque præstantioribus *Tractatibus*, denique ultimo loco de *Sermonibus* dicam.

De *Epistolis* idem judicium ferri minime potest. Aliæ enim Ecclesiasticæ sunt, quæ disciplinam, & Clerum spectant; & hæ ut numero plurimæ sunt, sic fere ardentiores: aliæ Morales de virtutibus, vitiisque ac variorum statuum officiis agunt; & hæ cum Sermonibus, de quibus infra, affinitatem habent: aliæ demum permultæ Asceticam profitentur, atque cum Tractatibus, de quibus post dicemus, multis rebus conveniunt: denique paucæ privatas res, & negotia concernunt. Omnes autem Bernardo dignissimæ, &, si breviores quasdam excipias, eloquentissimæ sunt. Robur enim, libertatem, sapientiam, zelum, documentorum item ac sententiarum ubertatem, verbo, totum Bernardum ostendunt. Stylum tamen quod attinet, neque sibi neque aliis operibus semper similes invenias; quod scilicet plurimæ, ut res ferebant, dictatæ solum, aliæ festinantius scriptæ, aliæ demum limatæ fuerunt. *Vid. Guilielmum & Goffridum vitæ scriptores, Libro nostro I. Dissertat. V. cap.* 1. §. 5. *relatos.* Ceterum miris eas laudibus efferunt duo Interpretes Galli apud Trivultienses 1702. & 1718., quibus suas ipsi quoque Trivultienses adjecerunt.

Libri *de Consideratione* omni laude superiores sunt, habentque tot, ac tantos præcones, ut præ

copia verba facere de iis vix possim; cum videam, & initium me difficulter, & exitum fore habiturum. Illos enim non modo Eugenius Papa, cui inscripti erant, veneratione summa suscepit, sed etiam Nicolaus V. ante inventam artem typographicam elegantissime describi jussit. Pius V. præ aliis ad mensam suam prælegi voluit, sententiarumque gravitatem attentissime ponderans, cum iis, quæ suo tempore, ac loco exequeretur, summa diligentia contulit. Gregorius XIII. seorsim impressos habuit, & suo tempore legit. Urbanus VII. familiarissimos sibi reddidit. Gregorius XIV. omnibus etiam inferioribus Prælatis summopere commendari, atque in manibus perpetuo esse optavit. Clemens VIII. suis typis publicari est passus. Sunt & alia antiquiorum præclara elogia his Libris tributa, ut Helinandi Frigidi montis Monachi *de Reparatione Lapsi* c. 8. Ernaldi vel Arnoldi Bonæ vallis *L. II. vitæ c. 8. Edition. veter. nunc 6.* &c. Nos Recentiorum laudibus contenti erimus. Hieremias Drexelius *loc. cit.* eleganter ait: *In scripto hoc Bernardus superavit Bernardum. Nam modo cautum Oeconomum, modo solicitum Patremfamilias, modo fidelem monitorem, modo serium præceptorem, jam Ascetam, jam Ethicum jam & Politicum, nunc Philosophum, nunc Theologum agit. Illustre prorsus scriptum a multiplici eruditione.* Pagius quoque in *Critica Baronii ad annum* 1152. *hos quinque libros inter* Bernardi *opera præstare* affirmat. Mabillonius in *Nuncupatoria ad Alexandrum VIII. plane cedro dignos, & tot oraculis refertos* dicit, *ut ad dirigendos Summos Pontifices, imo ad regendam universam Ecclesiam quasi divinitus dictati esse videantur.* Idem rursum in *Præfatione generali* PLANE DIVINOS vocat. Et *Præfatione ad Tomum II.* de Opusculis universe locutus hæc subjungit: „ In his omnibus nullum Bernardo

„ ardo dignius videtur, quam libri V. de Considerratione ad Eugenium Papam. Si enim argumenti & personæ dignitatem spectes, nihil generosius: si modum tractandi, nihil sublimius: si styli majestatem, & sententiarum gravitatem, nihil eloquentius, ac fortius: si denique dictorum puritatem, & inhærentem sacris Canonibus disciplinam, nihil catholico Doctori, & sanctissimo Patri convenientius. Quid vero magis arduum erat homini in solitudine educato, a mundi rebus, & negotiis alieno, quam vivendi leges Summo Pontifici, nedum toti Ecclesiæ tradere, & quasi præscribere? Quid homini privato difficilius, quam de totius Ecclesiæ statu, de moribus sacrorum Ministrorum, de omnium officiis, virtutibus, ac vitiis apte, & accurate breviterque disserere, imo & justam ferre sententiam! Quid sapientius, quam ita sublimium quorumcunque hominum vitia, errata, abusus notare, persequi, castigare: ut non modo invidiam, & criminandi suspicionem evites, sed etiam amorem reportes, & admirationem? Et hæc sane fuit Bernardi seu dexteritas, seu felicitas, seu divinitus concessa auctoritas, ut quamprimum ejus Libri de Consideratione in publicum prodiere, eos certatim exquisierint, lectitarint, amaverint universi, etiam Summi, quos maxime tangebant, Pontifices.„ Denique *Præfat. in Tomum IV.* iterum præponit omnibus, novumque illis elogium pangit, dicens, in illis libris, quidquid sanctius in sacris Literis, & in Conciliis, quidquid salubrius in scriptis veterum Patrum, & in Decretis Pontificum ad regimen Ecclesiæ præscribitur, id omne sub eleganti compendio comprehensum haberi. Vide versionem eorum Italicam, de qua Trivultienses 1760.

Tractatus de Moribus Prælatorum ad Henricum Senensem uti argumento sic ceteris fere dotibus cum Libris de consideratione affinis est.

Sermo, seu *Tractatus de Conversione ad Clericos* ingenti libertate, & ardore scriptus est, recteque Mabillonius *Admonitione* in hoc opusculum ait: *Gravis, & patheticus est hic sermo.* Nempe vivis coloribus Clericorum ejus ætatis inertiam, & vitia depingit, nihilque non agit, uti ad saniora eos convertat. *Declamationes* vero ad eosdem Clericos sunt multo præstantiores; nam & accuratissime perscriptas esse patet, & ita numeris illigatas, ut vehementissimæ licet, & acerrimæ sint, nihilominus veluti flumen quoddam eloquentiæ fundant.

Apologia ad Guilielmum Abbatem Bernardum tota loquitur, & præter facundiam insignem, comitatem præterea & leporem eximium præfert.

Inter Dogmatica eminet opusculum *de Gratia, & libero arbitrio*, ut quod non Theologum solum ostendit qualemcunque, sed nitidum, clarum, factumque ad res eas pertractandas. Mabillonius in *Admonitione* præfixa hanc de illo sententiam tulit. „Parvus liber, sed qui plus succi, & solidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum „volumina, quæ de hoc Theologico argumento „pertractant. Stylus vegetus, vivaci ingenio, „& lumine plenus, verba propria, & materiæ „accomoda, oratio facilis, non arte quæsita, sed „quasi naturalis, non obesa, non exilis, sed pin„guis, & nervosa, elegans, concinna, & ju„cunda, non trivialibus scholæ verbis languens, „non barbara, aut inculta, non ita pressa, ut „parce, & guttatim fluat, nec tamen ita profusa, „ut torrentis instar, quasi rupto aggere, & siccato alveo erumpat: sed pari tenore, & gravi „majestate æquabiliter profluens, fontem indicat

inde-

„ indeficientem, qui non ex alieno plenus sit, sed „ ex proprio, imo ex Dei dono, atque ex con„ tinua Scripturæ meditatione, præsertim Apostoli.„ Joannes vero Pinius *in Actis SS. festo D. Bernardi* §. 15. ait, *confectione hujus opusculi de Ecclesia Catholica universa sanctum Doctorem immortali titulo meritum.*

His absolutis ad *Sermones* progrediamur, de quibus generatim dici potest, præclari oratoris fœtus esse. Wibaldus Abbas Stabulensis, & Corbejensis *, qui in Germania concionantem audierat, & demiratus erat, sanctum Doctorem, tanquam egregium christiani oratoris exemplum proponit his verbis: „ Est tamen interdum in Ecclesia quædam „ rerum opportunitas, in qua dicendi artificium „ irreprehensibiliter exercetur, & maxime in præ„ dicandi officio, in cujus gratiæ principatu, meo „ quidem judicio, ponitur vir nostrorum tempo„ rum valde illustris Bernardus Clarevallensis Ab„ bas. Oratorem non immerito dixerim, qui a „ Rhetoribus definitur vir bonus dicendi peritus. „ Siquidem vir ille bonus, longo eremi squallore, „ & jejuniis, ac pallore confectus, & in quam„ dam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius „ persuadet visus, quam auditus. Optima ei a „ Deo concessa est natura, eruditio summa, indu„ stria incomparabilis, exercitium ingens, pronun„ tiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicen„ di modum accommodatus. Non igitur mirum, „ si potenti tantarum rerum virtute excitat dor„ mientes, imo, ut plus dicam, mortuos, & Do„ mino cooperante, & sermonem confirmante, al„ terat homines, & ad jugum Dei trahit captivos, „ qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu

 „ vere

* Epistol. 147. *ad Manegoldum Scholæ Magistrum* apud Edmundum Martene *Tom. 2. Veter. Monum. pag.* 339.

„ vere dixisses eloquentem, qui non est intus „ Nero, foris Cato, quem si videas, doceris, si „ audias, instrueris, si sequare, profeceris.„

Sed Mabillonius quoque *Præfat. in Tom. III.* audiendus est: „ Cum in Sanctorum Patrum scri„ ptis ea pars, quæ *Homilias* seu *Sermones* com„ plectitur, minus elaborata passim, & accurata, „ quam reliqua eorum ingenii monumenta videat„ ur: hanc sibi laudem præ ceteris, aut certe in „ paucis vendicat sanctus Bernardus, quod ejus „ Sermones non minori verborum acumine, va„ rietate sententiarum, cogitationumque sublimi„ tate, nec dispari affectuum pietate præditi sint, „ quam aliæ ejus lucubrationes. Mihi vero hu„ jus rei causam meditanti occurrit, non modo „ ingenii ejus solertia, celeresque animi motus, „ ad res explicandas, & affectus commovendos „ faciles, sed etiam auditorum diversitas, quorum „ in gratiam sermones ejusmodi condebantur. „ Nam cum veteres illi Patres sanctissimi infor„ mandis christianæ religionis doctrina ac pietate „ populis sermones suos exponerent, eos ad vul„ gi captum, & ad communes fere locos, audi„ torum utilitati consulentes, humili stylo pruden„ tes componebant. At Bernardus ad homines „ in rebus spiritualibus, atque in scientia Scriptu„ rarum instructos, plerosque in sæculo quondam „ eruditione, & dignitate præstantes, sermones „ habebat suos, quorum doctrinæ, & perfectioni „ accommodanda erat oratio. Unde accidit, ut „ non modo eximii Sermones illi *in Cantica*, qui „ majori studio conscripti sunt, sed etiam alii sive „ de annuis festis ac diebus, seu de diversis argu„ mentis, quos hoc in Tomo exhibemus, vulgari„ bus Patrum Homiliis, ac Sermonibus a viris „ cum piis, tum doctis præferri soleant. Neque „ enim privata, aut singularis mea hæc de Bernardi Ser-

„ Sermonibus opinio, sed illustrium in re litera-„ ria virorum, qui suum hac de re judicium, seu „ verbo, seu scripto protulerunt. „ Affert dein sententiam Justi Lipsii, quam nos supra, loco videlicet suo, retulimus, atque ex eo arguit, virum doctissimum Bernardum ceteris Latinis Patribus anteponendum existimasse. Addit denique narratiunculam * de viro summo Henrico Valesio, qui Græcis quoque ipsis præferendum judicasset: „ Ante annos tres, vel quatuor, quam decederet, „ quoties Festis diebus morbo vexatus domi se „ continere cogebatur, Bernardi Clarevallensis Ab-„ batis sermones ab anagnoste suo sibi legi jube-„ bat, attenteque eos audiebat, & avidis auri-„ bus hauriebat. Quippe existimabat, & ami-„ cis etiam dicere consueverat, dies dominicos ac „ festos Dei laudibus, non studiis literarum im-„ pendi oportere. Sermones autem Bernardi „ quibuslibet veterum Patrum cum Græcorum, „ tum Latinorum Homiliis ac Sermonibus multo „ esse ad excitandam in animis nostris, accenden-„ damque pietatem aptiores. „ Subdit Mabillonius: „ Hoc testimonium eo lubentius refero, quod „ & ad commendandos Bernardi Sermones pluri-„ mum valeat tanti viri auctoritas, & quod animo „ meo jucundissima sit hujus viri recordatio qui „ me quondam sua & amicitia, & familiaritate „ dignatus est. „

Ut vero testimonium istuc apud eos, qui Valesium non satis norunt, plus ponderis habeat, non abs re erit, si addamus hoc loco, illum sæcularem licet hominem, in Historia omni Ecclesiastica peritissimum, in legendis, edendisque Patribus ætatem fere omnem contrivisse, atque inter

* Desumpta est ex Hadriano Valesio, qui Fratris vitam magna ingenuitate scripsit.

primi nominis Interpretes hodieque ab omnibus haberi.

Porro inter *Sermones* omnium judicio *Sermones in Cantica* palmam referunt; tantus in illis non solum doctrinæ apparatus, sed splendor quoque & eloquentia est. *Evervinus* Steinfeldensis Præpositus in *Epistola ad Sanctum nostrum* * ita de his sermonibus scribit. *Lætabor ego super eloquia tua, quasi qui invenit spolia multa, qui nobis memoriam abundantiæ suavitatis Dei eructare in omnibus dictis, & scriptis vestris soletis, maxime in Cantico Amoris Sponsi, & Sponsæ, hoc est Christi & Ecclesiæ: ita ut eidem Sponso dicere veraciter possimus: Servasti bonum vinum usque adhuc. Huius vini tam pretiosi pincernam te nobis ipse constituit, non cesses propinare, non hæsites, hydrias non poteris evacuare &c.*

Eandem admirabilem unctionem, quæ prima dos est oratoris sacri, atque intimos illos motus, quos Bernardus in piorum animis hisce sermonibus efficit, brevius, non minus tamen eleganter Guerricus expressit, quando vivente adhuc auctore scripsit: Eum *de Canticis disserentem Interpretem Spiritus Sancti* esse **. S. Thomas Aquinas rogatus a Fossæ novæ fratribus, ubi æger decumbebat, uti, quod S. Bernardus morte præventus non perfecisset, ipse absolveret, quasi diffidens a se posse æquari ejus dulcedinem, respondisse fertur: *Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam opera Bernardi.* Sixtus Senensis ita de iisdem Sermonibus dicit: *Extat præter hæc insigne hujus auctoris opus, quod eruditi omnes ceteris ipsius laboribus præferunt, hoc est in tria prima* CANTICI CANTICORUM *capita explanationis mysticæ, atque continuæ*

* Apud Mabillonium *Tom. III. Veterum Analector.* pag. 452.

** *Serm. III. in Natali Apostol. Petri, & Pauli.*

*continuæ Sermones octoginta sex, quos ultimo vitæ suæ anno * coram Monachis suis in solatium quotidiani laboris viva voce, & ex intimo corde profudit: in quibus tanta facundia divinæ charitatis vim, atque sublimitatem expressit, ut appareat, illum omnes in se ipso cœlestis amoris affectus, motus, & aculeos vero, ac vivo spiritus sui experimento sensisse.* Alexander Natalis *Histor. Eccles. Sæcul. XII. cap.6.* § 2. Sermones hos *divinum opus* appellat. Joannes Mabillonius, quoties mentio ejus incidit, jam *insigne opus*, jam *insignem explanationem*, jam *aureum opus* vocat. Fusius vero *Præfat. in Tom. IV.* eosdem cum libris de Consideratione primo loco inter Bernardi opera ponit, dicens, præcipue apud omnes in pretio esse debere, atque ista addit: „In „ his Sermonibus, quæcunque de vitiis, & virtu- „ tibus, atque de tota vita spirituali respersa sunt, „ in his, inquam, Sermonibus hæc omnia solidi- „ us, ac sublimius pertractantur, & ex mystica- „ rum allegoriarum involucris, ac figuris totius „ perfectionis eruuntur arcana, non minus jucun- „ do atque utili, quam sublimi modo, ita ut hi „ Sermones, quasi castæ quædam piorum hominum „ deliciæ censendæ sint. Jucundum atque utilem „ hunc scribendi modum appellamus. Hæc enim „ est, teste ipso Bernardo, miranda prorsus, & „ miseranda humanarum conditio animarum, ut „ licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, „ egeant omnino figuris, & ænigmatibus quibus- „ dam corporearum similitudinum, ut ex visibili- „ bus & exterioribus possint vel aliquatenus in- „ visibilia, atque interna conjicere. Quod qui- „ dem his in Sermonibus præclare omnino præ- „ statur. „ Istuc autem eo majorem habet admiratio-

* Fallitur hic Sixtus, uti jam sæpe a pluribus ostensum est.

rationem, quod sanctus Pater illos sæpe solummodo meditatus dixit, anteaquam scriberet. Nam certe extemporalia multa in iis sunt, uti *Serm.* 9. *n.* 9. *Serm.* 36. *n.* 7. *Serm.* vero 54. *n.* 1. conceptis verbis asserit, se primum scripsisse, posteaquam dixerat. Ait enim: *Scripta sunt, ut dicta sunt, & excepta stylo, sicut & sermones ceteri, ut facile recuperetur, quod forte exciderit.* Idem & *Serm.* 77. *n.* 2. significat. Dolendum itaque, & maximas inter jacturas reputandum est, quod Reipublicæ negotiis distentus illustre opus abrumpere debuit, & demum ei immortuus, non ultra caput secundum perduxit: quod si omnia complecterertur, nihil simile sive inter Græcorum, sive Latinorum commentarios haberemus.

Post *Sermones in Cantica* commendari maxime merentur illi, quos *de Beatissima Virgine* jucunditatis, fiduciæ, & pii affectus plenos scripsit. Exultat hic plane Bernardus, atque dulcissimi pusionis instar in matris gremio deliciatur. Recte Petrus Cellensis *Libro VI. Epist. ult.* Bernardum, ait, *Alumnum familiarissimum fuisse Dominæ nostræ, & ad ejus laudem politissimos tractatus, & facundos composuisse.* Andreas Brunnerus *in Fastis Marianis ad* 20. *Augusti* Bernardi volumina *meros favos* vocat, *tum præcipue, cum de mellea Virgine sermo est.* Joannes vero Croiset in *Exercit. Piet. Teneritudo*, inquit, *erga Sanctam Virginem singulariter ejus scriptis expressa est. Neque id mirum. Non enim visus est aliquis erga Mariam magis ardens, magis obsequiosus, magis eloquens, magisque zelans pro inspiranda ejus religione, cultuque propagando. Sufficit legere opera ejus, ut fateamur, sanctam Virginem fors non habuisse unquam sive clientem magis carum, sive servum magis fidelem.* Nominatim Homilias *super Missus est* Theophilus Raynaudus in *Api Gallica c.* 85. *lucubrationem melli-*

mellitissimam, *& Bernardi devotione dignissimam* appellat. Et jam ante Guilielmus *Libr.* I. *vitæ cap.*2. *num.* I. *insigne opusculum* dixit. Sed de hoc plenissime Hippolytus Maraccius in opere *de Scriptoribus Marianis*.

Sermones in psalmum nonagesimum, numero decem, & septem pariter insignes, magnoque studio legendi sunt, cum propter ipsum argumentum, tum ob affectus vivacissimæ, & plane immobilis in Deum fiduciæ. Experti sunt plurimi, tristitiam, & metum futurorum nulla magis re pelli, atrasque in animo nubes haud secus, ac favonio quodam flante momento dissipari.

Ceteri quoque *Sermones* Bernardo digni omnes sunt, & paucos reperias, qui non locum aliquem splendidum, atque admirabilem habeant, ad cujus lectionem vel magistri dicendi excitentur, afficianturque suavissime.

Sed & in *Panegyrico genere* singulare quid Bernardus præfert, utque corripit, & reprehendit acerrime, quoties opus est, ita laudare mirifice novit. Sermones *funebres*, quod attinet, uti in *transitu S. Malachiæ* duos, item unum in *obitu Domni Huberti*, egregii quidem sunt: sed nihil ad illum, quem in funere fratris Gerardi dixit, sane ab omnibus mire comprobatum. *. Ut enim pathetica omnia sunt, quæ tempore illo seu fecit, seu dixit, ita quæ scripsit, sunt plane ad movendum, & collacrimandum. Ita autem mecum statui semper, orationem illam exemplar nobis esse debere commotionum omnium, quas in eo genere vel sentire ipsi volumus, vel aliis communicare. Jam enim dolorem, jam amorem summum spirat: nunc lacrimarum, & luctus, nunc laudum, & fiduciæ suavem vicissitudinem efficit, atque eam dulcedinem affectus ubique intermiscet, ut, solo fors

* *Est 26us in Cantica.*

fors Hieronymo * excepto, non dico parem, sed nec valde proximum illi hac in parte habeamus.

Sed finiendum aliquando, aut abrumpendum potius, quando quidquid de Bernardi facundia dicimus, parum est. Committere autem non possum, ut non clausulæ loco ejus lectionem iterum, iterumque sacris oratoribus commendem. Utor autem iisdem prorsus verbis, quibus laudatus toties Mabillonius *Tractat. de studiis Monast.* ** Religiosos maxime viros, & Monachos ad eandem hortatus est: *In hanc quippe* (lectionem) *iuxta fluunt, quæcunque alibi dispersa occurrunt; nimirum soliditas, venustas, varietas, proprietas, brevitas, fervor, & energia sermonis.* Provoco autem ad cujusque experientiam; neque dubito asseverantius pronuntiare, vix præstantiorem Bernardo futurum in dicendo, si partem eorum, quæ precibus, & laboribus dedit, literis dare, & facundiam tantisper more nostro excolere ille voluisset.

Plura de Bernardi eloquentia dabunt viri immortaliter de eodem meriti, Theophilus Raynaudus in *Hagiologio exotico*, opusculo, quod *Apis gallica* dicitur ***: Jacobus Merlo (vel Merlonus) Horstius in *editione operum S. Bernardi*, cujus cum *Prolegomena*, tum *Appendices* maximam sane laudem merentur ****: Joannes Mabillonius, qui, licet aliis, iisque gravissimis studiis distractus, vitæ maxima parte eruendo, expoliendo, illustrandoque Bernardo omnem curam,

ac

* *In Nepotianum. Blesileam* &c.

** *Parte I. cap.* 3. *n.* 2.


*** Sanctissimi Instituti Supremis magistratibus tantopere lucubratio ea placuit, ut auctorem communi Decreto omnium apud Suos recte factorum participem vellent.

**** Sed neque ipsum textum melius quis, aut accuratius ante Horstium recensuit; cumque auctiorem denuo, & correctiorem edere parat vir, præventus morte ad Bernardi consortium, quem mirifice amabat, in cœlos evolavit. Idem jam ante in *septem Tubis Orbis christiani* Libros de Consideratione, maximi a se habitos, luci commiserat.

ac diligentiam impendit. Joannes Pinius Hagiographus Antwerpienſis in *Actis SS. ad diem XX. Auguſti*, qui pariter ab hominibus piis, & Bernardi ſtudioſis ſummam opere ſuo gratiam iniit. Adde Scriptores vitæ ejus Guilielmum Abbatem S. Theodorici, Ernaldum, ſeu Arnoldum, Abbatem Bonæ vallis, Gaufridum, ſeu Goffridum Abbatem Clarevallenſem. Triumviri hi partes geſtorum ſingulas eleganter non minus, quam fideliter, & accurate literis conſignarunt; tanto libentius legendi, & æſtimandi magis, quod Bernardi æquales erant omnes, eumque intime noverant. Nec omittendus Angelus Manricus in *Annalibus Ordinis Ciſtercienſis*, auctor luculentus, ſummæque fidei: & qui elogia Viro Sancto breviora texuerunt, Goffridus *in Serm. de Bernardo* *. Hieronymus Platus *Libr. II. de bono ſtatus Relig. cap.* 30. Andreas Sauſſayus in *Martyrologio Gallicano* **. Oratores denique ſacri recentiores, præſertim Galli, qui inſignes locos ſuppeditant in rem noſtram, unctionemque Bernardi, & efficaciam in ſcribendo æque, ac loquendo, & deſcribunt pulcherrime, & magnifice etiam prædicant, uti Flechier, de la Ruë, Biroat, Maſſillon, Bretonneau, Abbas de la Tour du Pin &c.

Finis Libri II. de Eloquentia Patrum.

O. A. M. D. G.



* Habetur *ad Calcem Tomi VI.*

** Eſt hoc elogium præter morem auctoris magnificum prorſus, dignumque conſideratu, & magnam partem egregie huc facit.



Errata in LIBRO II.

Pagina;	Linea:			
9	21	vita,	*Lege:*	vitæ,
36	3	ſumma quoque		ſumma quæque
57	ult.	dicree.		dicere,
62	1	*num.* 3. 13. & 14.		*num.* 1. 3. 13. & 14.
118	17	piſcos		priſcos
123	18	Sed eſt illud		Sed & illud
162	5	tantum		tantam
169	27	fecit		fecerit
175	2	partim ſtudium		partium ſtudium
177	3 & 4	doles:		dotes:
190	24	*percam*		*parcam*
Ibid.	26	*mori poſſum.* . .	Adde:	*tacere non poſſum* . . .
228	6	peccatis,	*Lege:*	pacatis,
249	29	in qua		in quæ
256	26	pleni effectus,		pleni affectus,
299	3	GASAUBONUS		CASAUBONUS
302	2	vel uti		veluti
313	11	recentipres		recentiores
320	4	ſuculenti		ſucculenti
321	29	ipſa		ipſæ

